Collegii Regali Medicorum
Almae Academiae Edin-
-burgensis in pignus summae
reverentiae quondam ejus alum-
-nus offert auctor.

PHARMACOPŒIA
CASTRENSIS
RUTHENICA

AUCTORE

Jacobo Wylie Equite Baronetto

S. I. M. ab Intimis Consiliario; Supremo Rei Medico - Chirurgicae Castrensis Inspectore; S. I. M. Archiatro; Doctore Medicinae et Chirurgiae; Curiae Medicae sub Administr. Rerum Internarum, Imp. Academiae Scientiarum variarumque erud. Societatum Membro Honorario; Ordd. Imp. St. Alexandri Newsky adamant. ornat., St. Wladimiri ii cl. magnae crucis, St. Annae i cl. adamant. ornat. Equite; Reg. Boruss. Aquilae rubrae i cl.; Austr. Caesareo-Regii St. Leopoldi ii cl.; Franco-gallici: Legionis Honorariae Officiali; Coronae Würtembergicae et Ordinis Bavarici ob merita Commendatore; Indicem xl annorum, in perfungendis muneribus integre exactorum, consecuto.

EDITIO QUARTA.

Jussu Augusti Imperatoris.

PETROPOLI

Typis Caroli Kray.

MDCCCXL.

SERENISSIMO ET EXCELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

NICOLAO I

AUGUSTO OMNIUM ROSSIARUM IMPERATORI

ETC. ETC. ETC.

RECTI JUSTIQUE CULTORI;

SCIENTIARUM ET ARTIUM FAUTORI;

CÆSARI BELLIPOTENTISSIMO,

HANC CASTRENSEM PHARMACOPŒIAM,

PERMISSU CLEMENTISSIME CONCESSO,

EA, QUA PAR EST, DEVOTIONE

D. D. D.

SUBDITISSIMUS AUCTOR.

PRÆFATIO.

Qutum continuis scientiarum medicarum progressibus et ratio conficiendorum medicaminum, et curationes, quæ morbis adhibentur, novam in dies mutationem subeant, id consilii cepi, ut librum, ante viginti annos tertio editum, denuo restaurarem et novis in re medica ac pharmaceutica locupletatum inventis, typis repetendum curarem. Triennium in elaborando opere impendi, et optima quæque, tum a nostratibus prolata, tum ex probatissimis cæterarum cultarum gentium auctoribus excerpta, breviter et distincte exponere conatus sum.

Objicient forsitan nonnulli, quod in mutandis remediorum nominibus frustra operam consumpserim. Hi velim diligentius perpendant: nova quædam medicamenta composita, majoribus nostris ignota, nomine passim usitato carere, et vario a plerisque insigniri; exemplo sit conjunctio Jodi cum Potassio, quam aliis Jodidum Potassii, aliis Jodetum Kalii seu kalicum, aliis Joduretum Potassii, aliis Hydrio-

datem Potassæ, aliis Kali hydriodicum vel hydriodinicum, aliis denique Kalium jodatum nuncupare placuit. Hæc igitur erant sancienda; quamobrem ejusmodi præ cæteris nominandi rationem assumpsi, quæ omnibus, tum novis, tum pristinis medicaminibus facili modo posset adcommodari; verebar equidem, ne indigestam molem producerem, si novis tantummodo remediis, relicto pristinis veteri nomine, artificiosam denominationem imposuissem; hinc composita omnia ad systematis normam revocavi. Ne autem per errorem remedium aliud alio substituatur, usitatissima ubicunque nomina sunt adnexa, et perscribenti formulas fas erit illis ad libitum uti, quum Pharmacopola, inspecto Indice rerum contentarum, postulatum facile inveniet medicamen.

Petropoli. Mense Junio MDCCCXL.

MONITA.

Ut reliquis doctrinis, quæ nunc plane cumulateque perfectæ sunt, res quoque pharmaceutica quodammodo adæquari posset, recentiorum Chemicorum investigationibus atque commentis erat illustranda. Hinc eorum theoriæ assentiens, qui corpora ex atomis constare sibi persuasum habent, eorum quoque opiniones in explicandis rerum chemicarum phænomenis penitus secutus sum; quamobrem fundamenta hujusmodi systematis præmittenda existimavi, quorum præcipua sunt sequentia :

Corpora simplicia, seu elementa, stabili quadam proportione (quoad pondus) sibi invicem junguntur.

Quantitates duorum (vel plurium) elementorum eadem proportione sibi mutuo junguntur, qua cum tertio elemento (pro unitate posito) junctæ fuerunt. *)

Si elementum, quod reliqua corpora simplicia vehementer appetunt, ut oxygenium vel hydrogenium, æquetur unitati, quantitates aliorum elementorum, quæ illi junctæ sint, si numeris exprimantur, audiunt ÆQUIVALENTES, quum in componendis corporibus æque posse aut valere existimentur, et alterum alteri substitui possit.

Dum elementum quoddam, non una tantum proportione, sed pluribus, cum aliis elementis jungitur, pro-

---

*) Cum parte Hydrogenii, pondere sumpta, junguntur et constituunt :

Hydrogenii	1 + 6,12	Carbonei	= Hydrogenium carbonatum	= H^2C
» »	1 + 8	Oxygenii	= Aqua	= H^2O
» »	1 + 16,1	Sulphuris	= Hydrogenium sulphuratum	= H^2S
» »	1 + 35,5	Chlori	= Acidum Hydrochloricum	= H^2Cl^2

Hinc etiam :

Carbonei 6,12 + 8 Oxygenii = Oxydum Carbonei = CO

Sulphuris 16,1 + 8 Oxygenii = Acidum Hyposulphurosum = SO.

portiones hæ sunt multiplicata ex simplici (id est minima) proportione derivanda. *)

Causa, cur elementa nonnisi certis proportionibus stabilibus (pondere tamen inter se adeo diversis) mutuo jungantur, impulit naturæ scrutatores, quorum primus Dalton fuit, ad statuendam hypothesin: Corpora simplicia constare e minimis particulis, pondere singulari præditis, visu tamen haud conspicuis, nec ultro dividendis, quas Atomos appellavere.

Omnia corpora *solida* et *fluida*, eidem caloris gradui, vel eidem pressioni exposita, *vario modo* dilatantur et contrahuntur; ex quo sequitur, distantiam inter Atomos horum esse *variam;* hinc etiam eadem magnitudo cujuslibet corporis solidi aut fluidi, e. g. pollex cubicus ferri, argenti, hydrargyri etc., varium Atomorum numerum continebit. — Corpora autem *gasiformia*, eidem caloris gradui, vel eidem pressioni exposita, *æquo modo* dilatantur, ex quo sequitur, distantiam inter Atomos esse *æqualem* in omnibus gasibus; hinc etiam eadem magnitudo cujuslibet gasis, e. g. pollex cubicus hydrogenii, nitrogenii etc. æqualem Atomorum numerum continebit. Ex hoc patet differentia inter Æquivalentes et Atomos. Juxta hunc explicationis modum Aqua, quæ e duabus mensuris hydrogenii et una mensura oxygenii constat, si Æquivalentes adhibeas, erit = 1 Æq. H + 1 Æq. O; si Atomos, erit = H^2O. In designandis præparatis chemicis ubique formulæ Atomorum sunt adhibitæ.

---

*) Oxygenii	partes	8 + 28,4	Nitrogenii	=	Oxydum Nitrogenii	=	N^2O
»	»	16 + 28,4	» »	=	Acidum Hyponitrosum	=	N^2O^2
»	»	24 + 28,4	» »	=	Acidum Nitrosum	=	N^2O^3
»	»	32 + 28,4	» »	=	Acidum Hyponitricum	=	N^2O^4
»	»	40 + 28,4	» »	=	Acidum Nitricum	=	N^2O^5

Ex adlato exemplo patet, 16, 24, 32, 40, esse multiplicata numeri 8.

De Nomenclatura.

Theoriæ neotericorum insistens, denominationes ad designanda præparata chemica tales potissimum adhibui, quæ Atomos Elementorum, corpora composita efficientium, exprimunt.

Ad indicandam duplicem proportionem Atomorum cujuslibet Elementi, vel partis constitutivæ, usus sum, aliorum exempla secutus, adverbio numerali latino ***Bis*** vel ***Bi***, e. g. Bichloridum Hydrargyri $= HgCl^2$; Bitartras Potassæ $= KO, \overline{T}^2 + H^2O$; Bicarbonas Sodæ $= NaO, 2CO^2 + H^2O$ etc.; sic etiam unum cum dimidio designavi, e. g. Sesquisulphuretum Stibii $= Sb^2S^3$; ad indicandam dimidiam proportionem adhibui nomen numerale græcum ***Dis*** vel ***Di***, e. g. Disulphas Chiniæ $= 2(N^2C^{20}H^{24}O^2) + SO^3 + 10aq.$; Disarsenis Potassæ $= 2KO, As^2O^3$. Dum vero proportio Atomorum major duplici fuit, usurpata sunt vocabula ***Poly*** vel ***Super***, e. g. Polysulphuretum Stibii $= Sb^2S^5$; Supersulphas Aluminæ et Potassæ $= KO, SO^3 + Al^2O^3, 3SO^3 + 24aq.$; dum e contrario proportio dimidio minor exstitit, in usum vocavi particulam ***Sub***, e. g. Subnitras Bismuthi $= 4BiO, N^2O^5 + 3aq.$

Pondera et Mensuræ Liquidorum.

a) Pondera.

LIBRA MEDICA ROSSICA, seu NORIMBERGENSIS.

= 83,9146 Zolotnik.
= 0,8741 Libr. Mercat. Ross.
(40 Libræ Medicæ = 35 Libr. Mercator.)
= 357,854 Grammatibus.

Libra hæc continet 5760 grana, et dividitur in 12 Uncias.

Uncia (in 8 Drach.) = 480 gr. Med. vel = 7 Zolotn. circiter.

Drachma(in 3 Scrup.) = 60 gr. Med. vel
= 83,915 Doli unius Zolotnik.
Scrupulus = 20 gr. Med. vel
= 27,97 Doli unius Zolotn.

Libra Medica Aquæ destillatæ continet 21,839 Pollic. cub. Ross.

LIBRA MERCATORIA ROSSICA.

Гражданскій Фунтъ. = 6586,08 granis Medic. vel
= 1,144 Libr. Med.
= 409,393 Grammatibus.

Libra hæc dividitur in 96 Zolotnik.
Zolotnik (in 96 Doli) = 68,605 gr. Med.
(1000 Doli = 715 granis Med.).

Libra Mercatoria Aquæ destillatæ continet 25 Poll. cub. Ross.

Relatio variorum ponderum ad pondus Grammatum.

(Gramma = 16,095 granis Med. Norimb. = 22,512 Doli unius Zolotnik).

	Continet Grammata.
Kilogramma	1000.
Hectogramma	100.
Decagramma	10.
Decigramma	0,1.
Centigramma	0,01.
Libra metrica Gallica (16 Unciarum)	500.
» Medica Anglica (Troy-Weight)	372,96.
» Mercatoria » (Avoir du poids)	453,4.
» Medica Borussica	350,78.
» Mercatoria »	467,71.
» Medica Austriaca	420.
» Mercatoria »	560,06.
» Medica Bavarica	360.
» Mercatoria »	560.

b) Mensuræ Liquidorum.

Pollex cubicus Rossicus (= Anglico) Aquæ destillatæ, ad + 12° R., pondus habet : 263,747 granorum Medic. Norimbergensium; hinc pondus hujusmodi Pollicis cubici = 252,506 gr. Troy - W. Anglorum = 16,386 Grammatibus Gallorum.

Vedro Rossicum. *(Ведро).*	= 750,03 Pollicibus cubicis Rossicis.	
	= 2,70 unius Imperial Gallon	Anglorum.
	= 21,64 Pintis (hujus Gallon)	Anglorum.
	= 25,97 (circiter 26) Pintis Wine Measure	Anglorum.
	= 12,29 Litris	Gallorum.
	= 13,16 Pintis Parisiensibus	Gallorum.
	= 0,178 Eimer	Borussorum.
	= 10,73 Quart	Borussorum.
Vedro Aquæ destillatæ pondus habet	: 34,34 (circiter $34\frac{1}{3}$) Libr. Med. Norimb.	
	: 30,03 (circiter $30\frac{1}{25}$) Libr. Merc. Ross.	
	Mensura hæc mercatoria dividitur in: 8 Vosmuschki seu Stoff.	
	Stoff = 93,75 Poll. cub. Ross.	
	Anker Rossic. = 2320 Poll. cub. Ross. vel circiter = 3 Vedro.	
Imperial Gallon Anglorum.	= 277,273 Poll. cubic. Rossic.	
	= 0,37 unius Vedro.	
	= 2,95 (circiter 3) Stoff.	
Imperial Gallon Aquæ destillatæ pondus habet	: 12,69 Libr. Med. Norimb.	
	Mensura hæc continet 8 Pintas seu Octarios.	
	Pinta (Aq. dest. = 19 Unc. Pd. Med. N.) continet 20 Fluiduncias.	
	Fluiduncia (Aq. dest. = $7\frac{1}{2}$ Drch. P. M. N.) continet 8 Fluidrachmas.	

Fluidrachma (Aq.dest. = 57 gr.P.M.N.) continet 60 Minima.

Pinta Wine Measure Anglorum continet 28,875 Pollic. cub. Ross.

Mensura illius Aquæ destillatæ pondus habet 16 Unciarum P. M. N. circiter. 5 Pintæ Imp. Gal. = 6 Pintis Wine Measure.

LITRUM Gallorum. = 61,028 Pollicibus cubicis Rossicis.
= 0,08 unius Vedro.
(123 Litra constituunt 80 Stoff).

Litrum aquæ destillatæ pondus habet : 1000 Grammatum seu unius Kilogrammatis.
: 2,794 Libr. Med. Norimb.
: 16095 granorum Med. Norimb. vel
: 34 Unciarum circiter.
: 2,44 Libr. Mercat. Ross.

Litrum est cubus $\frac{1}{10}$ partis Metri, vel unius Decimetri, et dividitur in 10 Decilitra, vel 100 Centilitra.

Pinta Parisiensis = 57 Poll. cub. Ross.

Mensura illius Aquæ destillatæ pondus habet : 2,61 Libr. Med. Norimb.

QUART Borussorum. = 64 Pollicibus cubicis Borussicis.
= 69,877 Poll. cub. Rossic.
= 0,093 unius Vedro.
= 0,745 unius Stoff.

Eimer Borussicum = 60 Quart.

Anker Borussic. = 30 Quart.
= 2096 Poll. cub. Ros.

Tabulæ aræometricæ,

pondus specificum cum gradibus comparatum exhibentes.

Tabula I pro liquidis Aqua *levioribus*.

Gradus Aræometri.	Pondus specificum.		Gradus Aræometri.	Pondus specificum.	
	Secundum Beaumé.	Secundum Beck.		Secundum Beaumé.	Secundum Beck.
70	——	0,7083	35	0,849	0,8292
69	——	0,7112	34	0,854	0,8333
68	——	0,7142	33	0,859	0,8374
67	——	0,7173	32	0,864	0,8415
66	——	0,7203	31	0,869	0,8457
65	——	0,7234	30	0,875	0,8500
64	——	0,7265	29	0,881	0,8542
63	——	0,7296	28	0,886	0,8585
62	——	0,7328	27	0,892	0,8629
61	——	0,7359	26	0,897	0,8673
60	0,744	0,7391	25	0,903	0,8717
59	——	0,7423	24	0,909	0,8762
58	——	0,7456	23	0,915	0,8808
57	——	0,7489	22	0,921	0,8854
56	——	0,7522	21	0,927	0,8900
55	0,763	0,7556	20	0,933	0,8947
54	——	0,7589	19	0,939	0,8994
53	——	0,7623	18	0,946	0,9042
52	——	0,7658	17	0,952	0,9090
51	——	0,7692	16	0,959	0,9139
50	0,784	0,7727	15	0,965	0,9189
49	0,788	0,7763	14	0,972	0,9239
48	0,792	0,7799	13	0,979	0,9289
47	0,795	0,7834	12	0,986	0,9340
46	0,799	0,7871	11	0,992	0,9392
45	0,803	0,7907	10	1,000	0,9444
44	0,807	0,7944	9	——	0,9497
43	0,811	0,7981	8	——	0,9550
42	0,816	0,8018	7	——	0,9604
41	0,820	0,8061	6	——	0,9659
40	0,824	0,8095	5	——	0,9714
39	0,829	0,8133	4	——	0,9770
38	0,834	0,8173	3	——	0,9826
37	0,839	0,8212	2	——	0,9883
36	0,844	0,8252	1	——	0,9941
			0	——	1,000.

Tabula II pro liquidis Aqua *gravioribus.*

Gradus Aræometri.	Pondus specificum.		Gradus Aræometri.	Pondus specificum.	
	Secundum Beaumé.	Secundum Beck.		Secundum Beaumé.	Secundum Beck.
0	1,000	1,0000	37	1,337	1,2782
1	1,007	1,0059	38	1,349	1,2879
2	1,014	1,0119	39	1,362	1,2977
3	1,020	1,0180	40	1,375	1,3077
4	1,028	1,0241	41	1,388	1,3178
5	1,034	1,0303	42	1,401	1,3281
6	1,041	1,0366	43	1,414	1,3386
7	1,049	1,0429	44	1,428	1,3492
8	1,057	1,0494	45	1,442	1,3600
9	1,064	1,0559	46	1,456	1,3710
10	1,072	1,0625	47	1,470	1,3821
11	1,080	1,0692	48	1,485	1,3934
12	1,088	1,0759	49	1,500	1,4050
13	1,096	1,0828	50	1,515	1,4167
14	1,104	1,0897	51	1,531	1,4286
15	1,113	1,0968	52	1,546	1,4407
16	1,121	1,1039	53	1,562	1,4530
17	1,130	1,1111	54	1,578	1,4655
18	1,138	1,1184	55	1,596	1,4783
19	1,147	1,1258	56	1,615	1,4912
20	1,157	1,1333	57	1,634	1,5044
21	1,166	1,1409	58	1,653	1,5179
22	1,176	1,1486	59	1,671	1,5315
23	1,185	1,1565	60	1,690	1,5454
24	1,195	1,1644	61	1,709	1,5596
25	1,205	1,1724	62	1,729	1,5741
26	1,215	1,1806	63	1,750	1,5888
27	1,225	1,1888	64	1,771	1,6038
28	1,235	1,1972	65	1,793	1,6190
29	1,245	1,2057	66	1,815	1,6346
30	1,256	1,2143	67	1,839	1,6505
31	1,267	1,2230	68	1,864	1,6667
32	1,278	1,2319	69	1,885	1,6832
33	1,289	1,2409	70	1,909	1,7000
34	1,300	1,2500	71	1,935	——
35	1,312	1,2593	72	1,960	——
36	1,324	1,2687			

Tabula comparativa graduum thermometri

Fahrenheit, Celsii et Réaumur.

Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.	Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.	Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.
+ 212	+100	+80	+ 165	+73,89	+59,11	+ 118	+47,78	+38,22
211	99,44	79,56	164	73,33	58,67	117	47,22	37,78
210	98,89	79,11	163	72,78	58,22	116	46,67	37,33
209	98,33	78,67	162	72,22	57,78	115	46,11	36,89
208	97,78	78,22	161	71,67	57,33	114	45,55	36,44
207	97,22	77,78	160	71,11	56,89	113	45	36
206	96,67	77,33	159	70,55	56,44	112	44,44	35,56
205	96,11	76,89	158	70	56	111	43,89	35,11
204	95,55	76,44	157	69,44	55,56	110	43,33	34,67
203	95	76	156	68,89	55,11	109	42,78	34,22
202	94,44	75,56	155	68,33	54,67	108	42,22	33,78
201	93,89	75,11	154	67,78	54,22	107	41,67	33,33
200	93,33	74,67	153	67,22	53,78	106	41,11	32,89
199	92,78	74,22	152	66,67	53,33	105	40,55	32,44
198	22,22	73,78	151	66,11	52,89	104	40	32
197	91,67	73,33	150	65,55	52,44	103	39,44	31,56
196	91,11	72,89	149	65	52	102	38,89	31,11
195	90,55	72,44	148	64,44	51,56	101	38,33	30,67
194	90	72	147	63,89	51,11	100	37,78	30,22
193	89,44	71,56	146	63,33	50,67	99	37,22	29,78
192	88,89	71,11	145	62,78	50,22	98	36,67	29,33
191	88,33	70,67	144	62,22	49,78	97	36,11	28,89
190	87,78	70,22	143	61,67	49,33	96	35,55	28,44
189	87,22	69,78	142	61,11	48,89	95	35	28
188	86,67	69,33	141	60,55	48,44	94	34,44	27,56
187	86,11	68,89	140	60	48	93	33,89	27,11
186	85,55	68,44	139	59,44	47,56	92	33,33	26,67
185	85	68	138	58,89	47,11	91	32,78	26,22
184	84,44	67,56	137	58,33	46,67	90	32,22	25,78
183	83,89	67,11	136	57,78	46,22	89	31,67	25,33
182	83,33	66,67	135	57,22	45,78	88	31,11	24,89
181	82,78	66,22	134	56,67	45,33	87	30,55	24,44
180	82,22	65,78	133	56,11	44,89	86	30	24
179	81,67	65,33	132	55,55	44,44	85	29,44	23,56
178	81,11	64,89	131	55	44	84	28,89	23,11
177	80,55	64,44	130	54,44	43,56	83	28,33	22,67
176	80	64	129	53,89	43,11	82	27,78	22,22
175	79,44	63,56	128	53,33	42,67	81	27,22	21,78
174	78,89	63,11	127	52,78	42,22	80	26,67	21,33
173	78,33	62,67	126	52,22	41,78	79	26,11	20,89
172	77,78	62,22	125	51,67	41,33	78	25,55	20,44
171	77,22	61,78	124	51,11	40,89	77	25	20
170	76,67	61 33	123	50,55	40,44	76	24,44	19,56
169	76,11	60,89	122	50	40	75	23,89	19,11
168	75,55	60,44	121	49,44	39,56	74	23,33	18,67
167	75	60	120	48,89	39,11	73	22,78	18,22
166	74,44	59,56	119	48,33	38,67	72	22,22	17,78

Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.	Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.	Fahrenheit.	Celsius.	Réaumur.
+ 71	+21,67	+17,33	+ 33	+ 0,55	+ 0,44	— 5	—20,55	—16,44
70	21,11	16,89	32	0	0	6	21,11	16,89
69	20,55	16,44	31	— 0,55	— 0,44	7	21,67	17,33
68	20	16	30	1,11	0,89	8	22,22	17,78
67	19,44	15,56	29	1,67	1,33	9	22,78	18,22
66	18,89	15,11	28	2,22	1,78	10	23,33	18,67
65	18,33	14,67	27	2,78	2,22	11	23,89	19,11
64	17,78	14,22	26	3,33	2,67	12	24,44	19,56
63	17,22	13,78	25	3,89	3,11	13	25	20
62	16,67	13,33	24	4,44	3,56	14	25,55	20,44
61	16,11	12,89	23	5	4	15	26,11	20,89
60	15,55	12,44	22	5,55	4,44	16	26,67	21,33
59	15	12	21	6,11	4,89	17	27,22	21,78
58	14,44	11,56	20	6,67	5,33	18	27,78	22,22
57	13,89	11,11	19	7,22	5,78	19	28,33	22,67
56	13,33	10,67	18	7,78	6,22	20	28,89	23,11
55	12,78	10,22	17	8,33	6,67	21	29,44	23,56
54	12,22	9,78	16	8,89	7,11	22	30	24
53	11,67	9,33	15	9,44	7,56	23	30,55	24,44
52	11,11	8,89	14	10	8	24	31,11	24,89
51	10,55	8,44	13	10,55	8,44	25	31,67	25,33
50	10	8	12	11,11	8,89	26	32,22	25,78
49	9,44	7,56	11	11,67	9,33	27	32,78	26,22
48	8,89	7,11	10	12,22	9,78	28	33,33	26,67
47	8,33	6,67	9	12,78	10,22	29	33,89	27,11
46	7,78	6,22	8	13,33	10,67	30	34,44	27,56
45	7,22	5,78	7	13,89	11,11	31	35	28
44	6,67	5,33	6	14,44	11,56	32	35,55	28,44
43	6,11	4,89	5	15	12	33	36,11	28,89
42	5,55	4,44	4	15,55	12,44	34	36,67	29,33
41	5	4	3	16,11	12,89	35	37,22	29,78
40	4,44	3,56	2	16,67	13,33	36	37,78	30,22
39	3,89	3,11	1	17,22	13,78	37	38,33	30,67
38	3,33	2,67	0	17,78	14,22	38	38,89	31,11
37	2,78	2,22	— 1	18,33	14,67	39	39,44	31,56
36	2,22	1,78	2	18,89	15,11	40	40	32
35	1,67	1,33	3	19,44	15,56			
34	1,11	0,89	4	20	16			

Tabula indicans pondus liquidorum,

quæ guttatim præscribi solent.

Viginti guttæ.	Pondus habent gr. Med. Nor.
Ætheris Sulphurici	6.
Spiritus Sulphurico-ætherei	7.
Spiritus Vini rectificati	8.
Olei Olivarum	9.
Acidi Acetici	10.
Aquæ destillatæ	11.
Tincturæ Opii (granum Opii continentes) . .	12.
Potassæ liquidæ	14.
Acidi Sulphurici concentrati	19.
Aquæ communis cochlear theanum	80.

Cochlear mensale = 4 cochl. thean.
= drachmis quinque.
Poculum mensale = 8 cochlear. mensal.
= unciis quinque.

De Dosibus Medicamentorum.

Medicaminum doses expositæ sunt, quales ab auctoribus in genere determinantur; nihilominus tamen animadversione dignum est, easdem pro re nata augeri, aut diminui posse. Res circumstantes, quæ in remediorum efficaciam influunt, sunt sequentes: sexus, temperamentum, consuetudo, morbi indoles, idiosyncrasia et ætas. Sexus sequior in genere minorem cujuslibet medicamenti quantitatem exposcit, quam masculinus. Homines temperamento sic dicto sanguineo prædití, minorem dosin ferunt ac illi, qui melancholico obnoxii sunt. Consuetudo plurium medicaminum in organismum animalem efficaciam minuere solet, imprimis narcoticorum et stimulantium, quæ et largiori interdum dosi impune

capi possunt, eorum nempe usu per longius temporis spatium protracto. Nec minus morbi indoles remedii dosin immutare sæpenumero cogit. Idiosyncrasia tandem plurimum in moderandam medicaminum efficaciam influit; nam quædam individua magna pollent receptivitate ad ea remedia, quæ in genere omnino parvum exserunt effectum; quum in aliis maxime activa remedia vix aliquam efficacitatem exerceant. Ætas in determinanda medicaminum dosi certiorem omnino offert regulam, et sequens tabula, e clarissimi Gaubii operibus deprompta, junioribus Medicis inservire poterit.

Ætas.	*Quantitas proportionata.*	*Dosis relata ad ætatem.*
Pro adulto.	Supposito, dosim in genere esse = 1.	Drachma.
Infra annum	Requiritur solummodo $\frac{1}{12}$	gr. quinque.
Bimulo . .	» » » » $\frac{1}{8}$	» septem et semis.
Trimo . .	» » » » $\frac{1}{6}$	» decem.
Quadrimo	» » » » $\frac{1}{4}$	» quindecim.
Septenni .	» » » » $\frac{1}{3}$	Scrupulus.
14 annorum	» » » » $\frac{1}{2}$	Semidrachma.
17 » »	» » » » 2	Duo scrupuli.
21 » »	Dosis communis integra	Drachma.
65 » »	» » » » $\frac{2}{3}$	Duo scrupuli.

PARS I.

MEDICAMENTA

VEGETABILIA ET ANIMALIA.

ACACIA CATECHU. Wild.

Акація индейская; Катеху.

Arbor in India, præcipue in regione Hindostan, in montibus Kanhana abunde crescens. Cl. Polygamia. O. Monœc. O. N. Leguminosæ. *Usuale est:*

Extractum catechu, *Катеху*, succus extractivo-adstringens, e ligno arboris interiore, vel prout alii malunt, e nucleis excoctus et spissatus, siccus, durus, friabilis, in fractura nitens, extrinsecus nigrescens, interne rubidus; aceto, alcohole diluto et vino fere ex toto solvitur.

Q. Saporis est adstringentis, initio dulcescentis, dein amaricantis. Ejus gravitas specifica = 140. Analysi chemica, a Cl. Davy instituta, sequentia innotuere: 200 grana Catechu Bombayensis continent: 109 principii tannini, 68 materiæ extractivæ, 13 mucilaginis et grana 10 terræ aliarumque sordium; ex eadem quantitate Catechu Bengalensis obtenta fuere: 97 tannini, 73 materiæ extractivæ, 10 mucilaginis, et 14 grana terræ aliarumque sordium. Adulteratur terra punicea argillacea renitente, et eo dignoscitur, quod nec in alcohole diluto, nec in aceto, nec in vino solvatur. Paratur etiam in ora Coromandeliana succus e fructi-

1*

bus Arecæ Catechu; dantur quoque alia vegetabilia, quæ similem succum largiuntur, et imprimis cortex Cassiæ auriculatæ, Acaciæ leucophleæ et A. arabicæ. W.

V. Adstringens et tonicum est remedium; si vero salibus alcalinis jungitur, virtus ejus adstringens plane abolitur. Cavendum, ne tincturæ opii addatur, nam una cum morphia fundum petit; pari quoque modo emetina illo præcipitatur.

U. Laudatur in diarrhœa, ex præcedente dysenteria, haud raro pertinaci, quo in casu, referente Alibert, optimo successu exhibitum fuit decoctum oryzæ, cujus unciæ 32 continebant extracti semidrachmam; minime vero idcirco suademus, dysenteriæ curam adstringentibus aggredi. In leucorrhœa et blennorrhœa urethræ, quibus ægroti jam diu vexantur, plerumque nubitur remediis balsamicis, et forma pilularum exhibetur. Celebratur tanquam adstringens idoneum in variis hæmorrhagiis, imprimis menorrhagia, ita etiam in hæmoptysi et hæmorrhoide immodica. Nec inutilem opem præstare fertur gargarismatis forma in tussi, ex relaxatione uvulæ proveniente. Pastæ odoriferæ in terris orientalibus componuntur ex extracto ejusdem, ambra, moscho, mucilagine gummi tragacanthæ subactis (Hermbstädt). Extrinsecus adhibetur ad compescendas hæmorrhagias, ad firmandas laxas gingivas, quo scopo carboni lignario jungitur et optimum præbet pulverem dentifricium. In ulceribus scorbuticis, aliisque atoniæ notas ferentibus, adjicitur unguentis digestivis tinctura, vel ipsummet extractum melle exceptum in unguentum cogitur. Indi ad curanda ulcera magni faciunt unguentum ex unciis 4 Catechu, unciis 9 aluminis, unciis 4 colophonii et unciis 10 olei oli-

varum cum sufficienti aquæ quantitate paratum. Ingreditur præterea Extractum Catechu varia gargarismata, prout iis vim stypticam vel tonicam impertiendi nobis est animus.

D. A granis decem ad scrupulum et drachmam usque, in substantia.

ACACIA TORTILIS. Forskal.

A. Seyal. Delile.

A. vera. W.

Акація завивная; — сеялъ; — настоящая.

Arbores in Arabia Aegypti, in desertis Nubiæ, Abyssinia et in variis Africæ regionibus crescentes, spinosæ, foliis bipinnatis, capitulis florum axillaribus flavis. Cl. et O. præcedentis. *Usuale est:*

Gummi acaciarum *(Gummi arabicum) G. Mimosæ*, *Аравійская камедь*, succus proprius, solis æstu condensatus, in globulis diversæ magnitudinis, aut frustulis angulatis, pellucidis, albescentibus vel flavescentibus, rugosis, friabilibus, interne vitri ad instar splendentibus, in coriis e Cairo veniens. Optimum ex Marocco adfertur. Similem lacrymam exhibet Acacia Senegal *(Gummi Senegal)* amplissimas sylvas inter fluvios Senegal et Gambiam, et circa Tombuctu constituens. Interdum cum gummi Pruni domesticæ, cerasi et armeniacæ, majori lentitia distinguendis, permiscetur. Pars Gummi Acaciarum sex partibus aquæ soluta, præbet mucilaginem crassiorem, gelatinæ similem, plus minus pellucidam.

Q. Purum gummi in aqua solvitur, uti etiam in acidis et solutionibus alcalinis. Olea ætherea et pinguia, nec non resinæ, ope gummi cum aqua intime

miscentur *(Emulsio spuria)*. Gummi hocce, aqua solutum, a nitrate hydrargyri roseum aut phœniceum colorem obtinet, a nitrate autem ferri flavescit, et floccis dein albescentibus præcipitatur.

V. Demulcens, involvens; partes tensas humectat et mitigat, dolores sopit. Qua nutrimentum magni æstimatur ab Æthiopibus, Senegambiæ accolis. Hasselquist uno hoc gummi in itinere usus, vitam per sesquimensem sustentavit.

U. Qua involvens frequentissimi est usus in morbis membranarum mucosarum; hinc plerumque opponitur tussi, raucedini et aliis adfectionibus organorum respirationi inservientium; non minoris est efficaciæ in morbis, ubi canalis intestinalis muco violenter denudatur, uti in diarrhœa et dysenteria, quo in casu spasmos doloresque inde profectos mitigat. Præsentaneum habetur remedium in blennorrhœa, urolithiasi, et in omnibus fere vitiis organorum, efferendo lotio servientium. In sistendis sanguifluxibus mechanico modo agit (Ollenroth). Ad sopiendum dolorem, erosæ mammarum papillæ vel pulvere Gummi arabici consperguntur, vel mucilagine ejusdem illiniuntur. Clysmata mucilaginosa irritationem intestini recti, concomitantesque tenesmos sublevant. Adcommodum est hoc Gummi fortioribus medicinis vehiculum, ejusque auxilio varia remedia, uti: camphora, resinæ, balsama, et olea, forma emulsionis (sic dictæ spuriæ) propinantur. Substantiæ pulverulentæ et resinosæ mucilagine Gummi Acaciæ veræ in massam pilularum rediguntur, quod tamen minime convenit, quoniam massa durescit, et difficulter solvitur. Hydrargyrum metallicum cum mucilagine hujusce Gummi diutius tritum, splendorem amittit, et in particulas minimas abit *(Mercurius*

gummosus Plenkii). Scire licet, e Gummi Acaciæ veræ et chloro, justa methodo tractatis, acidum citricum, in scorbuto valentissimum, exsurgere (Vauquelin).

D. In pulvere, et solutum, a drachma ad semunciam in octo unciis aquæ. Mucilago ex aquæ libra et gummi uncia, liquidum offert palato gratum, plurimisque indicationibus examussim respondens.

ACHILLEA MILLEFOLIUM.

Тысячелистникъ; Деревей; Кровавникъ; Дикая греча; Гулявица тысячелистная.

Ubivis, inprimis vero in locis siccioribus, et ad vias passim occurrens. Cl. Syngenes. O. Superfluæ. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Flores corymbosi, vulgo *Summitates* florentes, involucris ovatis, oblongis, imbricatis; flosculis radii circiter 5, dilatatis. Folia, pilosiuscula, bipinnatifida, laciniis linearibus, dentatis, mucronatis. Aliæ species, uti Achillea nobilis, A. Ageratum, huic a quibusdam non modo substituuntur, sed etiam præferuntur.

Q. In oleo volatili et principio extractivo amaro residet, matricariæ chamomillæ analoga, plus tamen extractivi quam illa, minus autem olei continens. Saporis subadstringentis, subamari, plus minus aromatici.

V. Leniter adstringens. Spasmos, qui molimina hæmorrhoidum comitari solent, plerumque sedat et nimium sanguinis fluxum coërcet. Organorum, quæ digestioni inserviunt, vires restaurat, et muci viscidi generationem, a prava tubi intestinalis functione pen-

dentem, cohibet. Externe: discutiens (Hoffmann, Stahl). *Foliorum:* cum primis tonica.

U. In morbis asthenicis, ut hypochondriasi et hysteria invaluit. In hæmorrhagiis pulmonum, vi subadstringente, leniter roborante et spasmodicos motus sopiente, multum prodest. Utilitatem sane promittit in hæmoptysi, quæ a topica partium debilitate provenit, vel congestionibus a remotis partibus, aut sympathicis nervorum stimulis exorta est, e. g. suppressa hæmorrhoide, aut si status morbi spasmodicus potius, quam inflammatorius urget. In metrorrhagia gravidarum, vel post partum aut abortum plurimum valet, si ægrota hysteria laborat et spasmis (Thomas) obnoxia est, atque tum recte additur ferrum, vel pro re nata acidum sulphuricum, congrua dosi. Prodest quoque in doloribus spasmodicis post partum (Mönch), nec non in nimia hæmorrhoide (Stahl) a debilitate; quem in finem Quarinus suadet extracti Millefolii partes quatuor, ferri pulverati partem, ut fiant catapotia granorum trium, pulvere corticis cinnamomi conspergenda, atque tria vel plura ter in diem sumenda. Ad hæmorrhoidem mucosam tollendam, multum valet forma infusi, e florum drachmis tribus cum aquæ unciis octo, lacte admisto, mane hauriendi (Juhlin). In chronicis pulmonum affectionibus, debilitate, accumulatione pituitæ et glandularum obstructione stipatis, vel prævalente habitu scrofuloso, magni æstimatur a Mellino. Phthisiscentibus convenit, eique tum recte additur cetraria Islandica, aut sub habitu scrofuloso, tussilaginis farfaræ folia. Variolas ex debilitate retrogradas, usu ejus provocavit Maumery. Decoctum ejusdem fortius par esse movendo lotio, atque proliciendis calculis, Mellinus adseverat. Extrinsecus pro vulnerario habe-

tur; additur quippe cataplasmatibus aromaticis ad curanda impura vulnera, ulcera, contusiones etc. hinc planta stratiotes et Achillea dicta.

D. Florum unciæ duæ ad sesquilibram aquæ in infuso, rite colando. Exhibetur etiam succus foliorum expressus, aut folia, aqua infusa.

ACONITUM PANICULATUM. (de Candole).

Бореңъ; Лютикъ; Прострѣльная трава.

Nascitur in montosis, subalpinis. Occurrit in omni Ruthenia, ad Kamtschatcam usque; præsertim vero in australibus Imperii oris. Cl. Polyandr. O. Trigyn. O. N. Ranunculaceæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, nitida, digitato-quinquepartita, laciniis lato-lanceolatis, brevissime dentatis, pedunculis glabris, galea convexa, cuculli calcare adunco obtuso, labio lanceolato, revoluto, bifido. Folia Delphinii elati interdum loco horum sumuntur; sed illa sunt subpeltata, tripartita, laciniis multifidis, galea nulla, corolla quinquepetala.

Q. Odoris nauseosi, nonnihil narcotici; saporis acris. Tota planta venenata est. Diutius servata et siccata, vi sua et acrimonia spoliatur. Pallas, et illum sequutus Brandes, ex Aconito extricarunt principium peculiare, dederuntque ipsi nomen *Aconitiæ*, quæ formam habet aciculorum fulvorum transparentium, saporis admodum amari, solviturque in aqua frigida et alcohole fervido.

V. Irritans; narcotica; diaphoretica; in quibusdam casibus diuretica; in systema nervosum peculiari modo agens.

U. Ut nervos irritans, in variis paralyseos speciebus laudatur; ita paralyseos artuum brachii crurisque, ex terrore subortæ, amauroseos etc. exempla leguntnr curatæ; tumores quoque in osseam duritiem densatos discussit, hydrargyro ipsi et conio m. renitentes, haud secus ac glandularum scirrhos dissipavit. In plexus nerveos abdominis et venæ portarum agendo, productas torpore horum febres intermittentes (Burdach), uti et intumescentiam leucophlegmaticam et œdematosam, post hanc superstitem, curat. In myodynia rheumatica (rheumatalgia), etiam arthrodynia, ischiade nervosa, anchylosibus, solamen auxiliumque adfert efficax. Nec in syphilide, psora, herpetibus, scrofulis, trichomate, spina ventosa, ulceribus malignis irritum, imo et ipsi phthisi obpositum.

D. Foliorum pulvis a granis duobus ad quinque. Extracti: granum mane et vespere, in pilulis, ad quatuor, vel plura sensim adscendendo grana. Hoc, si anno vetustius est, fit virtute cassum. Plantam recentem incaute sumptam, interjecto brevi tempore, immanes ciere turbas, et quidem insignem imbecillitatem; motus faciei convulsivos; sudorem ejusdem frigidum; paralysin artuum; vomitiones biliosas et lividas; deliquium animi; involuntariam alvi dejectionem; asphyxiam; tandem vero mortem apoplecticam, experiundo didicimus.

ACORUS CALAMUS.

Calamus aromaticus.

Аиръ; Иръ; Касатикъ.

Planta aquarum stagnantium et lente fluentium incola, in Rossia temperata creberrima. Quæ in locis

montosis crescit, fluviatili angustior atque tenuior est. Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Aroideæ. Perennis.
Usualis est:

Radix, primo vere aut sero autumno effodienda, admodum longa, geniculata, spongiosa, pollicem crassa, extrinsecus ex viridi rubens, intus alba. Confusio rhizotomorum cum Iride Pseudoacoro, cujus radix intus rubicunda, extrinsecus subferruginea (nullo in eam cadente aromate), inodora, sapore acri adstringente, evitari facile potest.

Q. Saporis est aromatico-amari, acriculi; odoris fragrantis, qui radicis siccatione intensior et fortior fit. Partes ejus constitutivæ sunt: oleum æthereum, resina, gummi, principium amylaceum, principium extractivum, pauxillum chloridi potassii et phosphatis potassæ, nec non fibrina vegetabilis.

V. Stimulans, eaque valida ac permanens, nisum simul plasticum sollicitans; tonica; peptica; antiseptica insignis; cumprimis abnormitati reproductionis, a debilitate ortæ, succurrens.

U. Apud Ruthenos magni æstimatur, ut valens remedium ad febres intermittentes debellandas, quem in finem vel corticis cinchonæ loco adhibetur, vel eidem, qua egregium adjuvans, jungitur. In morbis, torpori systematis nervosi innixis, et adynamiæ notas ferentibus laudatur; ita in myodynia rheumatica, in arthrodynia, in febribus remittentibus, typhodibus, rheumatica aut catarrhali complicatione stipatis, haud secus ac in morbis vitiosa reproductione conspicuis, ut in scorbuto, stomacace etc. Hunc in finem cerevisia quoque commendatur, addita cado ejusdem adhuc fervidæ selibra radicis. Indigestionem et molestias ex hoc fonte provenientes curat. Extrinsecus pulvis ejus-

dem recte inspergitur ulceribus scrofulosis, ichorosis, putescentibus, gangrænescentibus, imo ipsi ossium cariei, vel per se, vel per modum fotus, aut injectionis. Odorem ulcerum cancrosorum emendat. Turcæ Acoro Calamo virtutem inesse a contagiis præmunientem credunt. Larvis et insectis inimica radix hæc, ad conservanda vestimenta lanea idonea est. Inter indigena aromata primatum tenet, meritoque pro succedaneo cæterorum aromaticorum exoticæ originis, atque majoris dispendii, habetur.

D. Pulveris radicis scrupulus vel duo aliquoties de die cum saccharo, vel forma electuarii. Datur quoque in infuso aquoso aut vinoso a drachmis duabus ad unciam, et uncias duas, ter quaterve de die, vel etiam in decocto-infuso e. g. uncia decoquitur atque in decocto hoc, libræ unius, semuncia radicis per semihoram digeritur, dein addita spiritus sulphurico-ætherei semuncia, duobus cochlearibus singula hora propinatur. Pulverata radix scopo antarthritico a quinque ad quindecim grana propinatur.

ALLIUM CEPA.

Лукъ; Цибуля.

Colitur crebro in hortis. Cl. Hexandria. O. Monogynia. O. N. Liliaceæ. Biennis. *Usualis est:*

Bulbus recens, rotundus, depressus, ruber, e membranis concentricis conflatus. Bulbi flaccidi, maculosi, aut in putredinem nitentes, usui medico alieni.

Q. Recentis: odor peculiaris, alliaceus dictus, volatilis. Radix dissecta vapores lacrymas excientes spargit. Sapore est acriculo, subdulci. Continet oleum æthereum acre, album, sulphuri junctum, saccharum,

mucum, gluten, animali simile, acidum phosphoricum et nonnulla salia.

V. Recentis: stimulans; sudorem lotiumque movens; pituitam ducens; aphrodisiaca; externe rubefaciens. Radicis coctæ extrinsecus admotæ: stimulans; pedibus applicatæ: excalifaciens, vesicans.

U. Agit in primis in plexus nerveos abdominis, quo indigestioni propere subvenit; spasmis quoque hystericarum (quas etiam naribus subposita excitat) haud impar est tollendis. Actioni nervorum pulmonalium calcar addit, quo in pituitoso spasmodicoque asthmate, screatus promovendo, utilis fit. Succus expressus ad uncias duas, cum tantillo sacchari interne adhibitus, urinam optime provocat, et excretionem ejus auget. Hydropicis, præcipue vero asciticis calculosisque (ab his etiam in prophylaxin sumpta) non inutilis esse creditur. Forma cataplasmatis in pulpam contusa et cum emollientibus regioni urocystidis superdata, retentioni urinæ, paralysi ejusdem ortæ, succurrit; nec in bubonibus, cocta vel assata, laude sua orbatur; in cophosi rheumatica et susurru aurium, succus gossypio exceptus, meatuique auditorio inditus (etiam irritando) confert; in herpetes vero acri suo principio agere videtur. In scorbuto (cibis addita) coërcendo efficax. Interaneorum animalia, tum interno usu, quum injecto clystere, pellit. Contusa si corpori admoveatur, irritando producit erythema. Condiendis cibis adcommodatissima, præsertim grassantibus morbis contagiosis. Militibus commendari meretur jusculum cepinum, matutino tempore sorbillandum: bulbis 12 in lebete cum butyro ad rubedinem elixatis ac farina denique conspersis additur aqua cum modica salis culinaris et piperis quantitate, coctione autem peracta, pauxillum

aceti. Haud dissimili virtute pollent: Allium Ascalonicum, Al. fistulosum, Al. Sphænoprasum, Al. Scorodoprasum, quæ rarius adhibentur in medicina; ast deficiente Allio Cepa, et ubi mitius agere expedit, vix sunt hæ species despicatui ducendæ.

ALLIUM SATIVUM.

Чеснокъ.

Planta in hortis frequentissime culta, in Sicilia spontanea (Morison). Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Liliac. Perennis. *Usualis est:*

Bulbus recens, subrotundus, membrana communi instructus, e bulbulis pluribus fasciculatim varia serie conjunctis, constans, quolibet fasciculo propria tunica obvelato. Succus ex eodem elicitus quartam fere bulbi partem constituit. Bulbus in sabulo adservandus; recens vero ob majorem efficaciam præferendus.

Q. Nititur oleo volatili, acri, sulphurato, quod, si purum obtentum fuerit, flavum, spissum et aqua ponderosius est. Continet præterea albumen, partes saccharinas et amylaceas, nec non fibrinam. Odorem specificum, ingratum, alliaceum dictum, per minima corporis nostri vascula facile penetrantem, copiosissime spargit. Semina plantarum umbelliferarum, folia petroselini et herbæ aromaticæ ad delendum Allii fœtorem, ejusque efficaciam minuendam, multum faciunt (Paris). Saporis est subdulcis et urentis. Bulbus Allii siccatione a quindecim ad novem partes in centenis perdit, et qualitates modo dictas vix aut ne vix quidem retinet.

V. Intus sumptum stimulat, irritat, totumqne organismum excitat; pituitam in viis aëreis collectam,

sudorem lotiumque movet. Extrinsecus cuti applicatum, eam inflammat, exasperat, et in vesiculas attollit. Forma cataplasmatis abscessui superdatum, suppurationem promovet, et pus maturat.

U. Condimentum ciborum in Rossia usitatissimum est. Ruricolæ et plebeji, ad pellendos intestinorum vermes, bulbum et succum deglutiunt, quod tamen raro teniæ educendæ par est. Vasorum lymphaticorum, et membranæ pulmonum mucosæ exhalantium, activitatem augendo, in asthmate pituitoso, uti etiam in inveteratis senum catarrhis, aliquando in connubio cum scilla, optime conducit. Bulbus lacti incoctus, atque ad libram mane ac vespere potui datus, attestante magni nominis viro Murray, in tussi catarrhali apyretica profuit. Hydropicis et calculosis profecisse dicitur. De curata Allio peste, etsi pauca, tamen dantur exempla. Febribus intermittentibus autumno grassantibus, Bergius opposuit hocce remedium, propinato ab initio mane ac vespere bulbulo, dein addendo, donec febriens qualibet vice quatuor vel quinque sumpsisset. Contusum bulbum carpis aut plantis pedum adpositum, prompte cutem irritando, in pertussi et comate febrili auxilium sæpius præstitisse, pro certo habetur; pari quoque modo adplicitus, teste Sydenhamo, magnæ æstimationis clinico, variolas atonicas confluentes, retrogradas revocavit. Succus Allii, oleo amygdalarum immistus, et radice alcannæ tinctus, in surditate chronica atonica, a quibusdam adhibetur. Contusum bulbum adipi suillæ junctum, verrucas extirpasse, succum veró clavos herpetesque sustulisse, perhibetur. Ad scorpionum et aranearum ictum, Allium cum ruta miscentur, et, oleo contrita, superimponuntur. Bulbus ejusdem lacti incoctus, ascaridibus, intestinum rectum occupan-

tibus, eliciendis par est, si per modum clysteris injiciatur, vel si forma vaporum in anum adscendentium (ægroto natibus in sella familiarica incoxato), adhibeatur.

D. Drachma vel duæ non mansi bulbi deglutiuntur, vel uncia ejusdem contusi cum ebullientis libra lactis infunditur, vasculisque præbetur.

ALOË.

Aloë vulgaris et socotrina. De Cand et Haw.

Сабуръ обыкновенный.

Plantæ arborescentes, succulentæ, in variis Africæ, Asiæ et Americæ australis regionibus crescentes. Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Asphodeleæ. *Usualis est:*

Aloë, seu succus spissatus, qui multum variat, pro diversa plantarum, ex quibus obtinetur, varietate, nec non pro varia, qua paratur, methodo. Succus enim vel sponte stillat ex foliis influxui solis expositis, vel folia aqua bulliente infunduntur, et infusum coctione ad spissitudinem extracti evaporatur, vel folia denique aqua diutius macerata exprimuntur, expressumque spissatur. Aloën sponte stillatam præferendam esse illi, quæ infusione et coctione paratur, et hanc tertiæ, scilicet quæ expressione obtenta fuit, liquido patet. Habita ratione plantarum, multifariæ Aloës varietates prostant, sed omnes commode ad tres reduci possunt hæ sunt: 1) *Aloë lucida* (Capensis), quam plerumque largiuntur: Aloë spicata Thunb., perfoliata Linn., vel Aloë arborescens De Cand., plantæ in promontorio Bonæ Spei crescentes; coloris est ex fusco-rubescentis, saporis admodum amari, nauseosi, odore pollet

peculiari aromatico, myrrhæ analogo; frustula ad marginem pellucida sunt; in pulverem redacta colorem exhibet pallide luteum, fere aureum; in alcohole ex toto solvitur. 2) *Aloë Socotrina.* Obtinetur ex A. Socotrina De Cand. in insula Socotora; omnium varietatum est vulgatissima; discernitur a præcedenti minori pelluciditate et odore debiliori. 3) *Aloë hepatica.* Paratur ex succo Aloës vulgaris De Cand. et A. Barbadensis Haworth. Crescunt plantæ istæ in Orientali et Occidentali India (ins. Barbados), nec non in insulis Archipelagi Græci, et substantiam fuscam, coloris hepatici, impellucidam, et spiritu vini non plane solubilem largiuntur. Prostat quarta adhuc species, omnium vilissima, *Aloë fœtida* s. *caballina* dicta, quæ in usum artis veterinariæ potissimum ducitur.

Q. Remediis heroicis adnumeratur; potius principio extractivo amaro, quam resinoso agere creditur.

V. Ad excitandos nervos viscerum et vasorum sanguiferorum abdominis, præcipue vasorum hæmorrhoidalium, potens remedium; pro ratione dosis pepticum, tonicum, excalefaciens, catharticum, anthelminthicum, emmenagogum; in intestina crassa, hepar, vasa hæmorrhoidalia et uterina, in primis agens. Dum saponi vel alcalibus jungitur, potius in intestina tenuia, quam crassa actionem suam exerit. Aloë equis porrecta nauseam provocat, et digitalis ad instar homini datæ, actionem cordis et arteriarum minuit, cursumque sanguinis moratur.

U. Ubi digestio lenta est, bilis secretio parca, alvus segnis, cui malo præsertim obnoxii sunt, qui sedentariam agunt vitam et imbecillo stomacho, vel hy-

pochondriasi laborant, parvis potius exhibetur dosibus, eique pro re nata additur, aut rheum, aut fel tauri spissatum et id genus alia. Convenit ad ducendam alvum assueto modo adstrictam, imprimis hominibus compage corporis laxa præditis, atque sic dicta pituita vitrea oneratis; quo in casu apte jungitur: saponi medicato, extracto colocynthidis, quin etiam chlorido hydrargyri, aut hydrochlorati ammoniæ, aut salibus eccoproticis. In hæmorrhoidibus mucosis, ex stagnante in vena portarum sanguine, vel ex inerti hepatis functione repetendis, a remotissimis temporibus celebratur, quem in finem haud raro sulphuri depurato et salibus alcalinis additur. In chlorosi atonica, amenorrhœa, et fluore albo, datur in connubio cum ferri præparatis, myrrha, aliisque gummiresinis et emmenagogis, præcipue fœminis flaccidi habitus, segnibus, pallentibus, atque pituita abundantibus. Quid in turgore hepatis atque lienis chronico, nec non in ictero, atoniæ notas ferentibus, præstare valeat, cuique perspectum est. In ascite, scrofula et helminthiasi, multis auxilio fuit. Notatu dignum est, additione tartratis stibii et potassæ vim ejus catharticam intentiorem reddi. Aloë fonticulo imposita, vel tinctura ejus abdomini infricta, alvo ciendæ par est. Extrinsecus ulceribus atonicis impuris applicata, eadem depurgat. Usus ejus inhibetur statu febrili et inflammatorio, plethora, hæmorrhagiis præcipue activis, hæmorrhoidibus furentibus, fluentibus catameniis, prægnatione, adaucta irritabilitate canalis intestinalis, et indurationibus viscerum abdominalium scirrhosis.

D. Scopo peptico: granum; eccoprotico: grana duo vel tria; cathartico: a quatuor ad decem grana.

ALTHÆA OFFICINALIS.

Просвирнякъ аптечный.

In Europæ subhumidis, argillosis, copiose in Chersoneso taurica et Caucaso, ad rivulos et fossas crescens; hinc inde culta. Cl. Monadelph. O. Polyandr. O. N. Malvaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis tomentosis, oblongo-ovatis, obsolete trilobis, dentatis. Radix, crassitie plerumque digiti minimi, extrinsecus subgrisea, interne alba; epidermide exuta in officinis servatur. Frequenter ei, aut errore aut dolo, Lavatera thuringiaca substituitur, qua tamen medicamentosior est Althæa. Prior differt calyce exteriori trifido, foliis latioribus, subtomentosis, angulatis, subtrilobis.

Q. Mucilaginosa. Dimidia fere radicis pars est mucilago blanda, quæ coquendo cum aqua extrahitur. Folia plus extractivi principii, quam mucilaginis habent, et iis vix quarta ponderis eorum pars mucilaginis inest. Radix est inodora, saporis subdulcis, mucilaginosi. Mucilago Althææ a mucilagine Acaciæ eo differt, quod hæc silicate potassæ et sulphate ferri præcipitetur, illa vero minime. Præter mucilaginem Althæa asparaginum continet (A. Payen, A. Chevalier et Plisson).

V. Nutriens; emolliens; demulcens. Agit mechanice, vel stimulos involvendo, vel ab iisdem arcendo organicas partes, aut diluendo acria, debita liquidi, qua præbetur, quantitate.

U. Extrinsecus: forma fomentationis mucilagineæ in ophthalmiis siccis, vel lacrymatione acri stipatis, inflammatione papillarum mammalium, et tuberculis hæmorrhoidalibus sensificis, æque ac in ulceribus sensi-

bilitate et irritabilitate abnormi præditis, nec non eruptionibus cutaneis, laticem acrem fundentibus, utilis est. In angina gargarisma e decocto ejus commodum est, haud secus ac in blennorrhagía injectio ex eodem tepefacta, interno aliorum remediorum usu haud neglecto. Cataplasma e radice contusa et aquæ vel lacti incocta, emolliendis maturandisque tumoribus inflammatoriis haud impar est. Intus adhibetur ad resarciendum naturalis muci dispendium, hinc raucis, tussitantibus, hæmoptoicis, phthisiscentibus adcommoda, vel forma decocti, vel pastæ, vel syrupi. Ita quoque in diarrhœa et dysenteria laudatur, haud secus ac in dysuria et spasmis urocystidis a calculo vel venenis. In vitiis tamen viarum urinariarum Althæam, æque ac alia mucilaginosa, potius liquidi quantitate, cui plerumque junguntur, quam mucilagine prodesse, credimus.

D. Drachmæ duæ vel semuncia radicis pro decocto, ad libram aquæ. Herbæ uncia ad libram aquæ.

AMMONIACUM.

Dorema Ammoniacum. Don.

Аммоніакъ.

In Persia copiose crescit inter Yerdekaust et Kumischa in provincia Irauk, et nomine Oschak ibi venit. In Armenia quoque frequens. Arabes plantam Feschuk appellant. Cl. Pentandria. O. Digynia. O. N. Umbellifer. Perenn. *Usualis est:*

Gummiresina (vulgo *Gummi Ammoniacum*), tenax, digitis malaxata mollescens. Dioscoridi etiam fuit nota atque, eo judice, e planta desumebatur Agasyllide dicta, quæ in deserto regni Barca, circa templum Jovis

Ammonis, uberrime crescebat, et hinc forsan Ammoniaci nomen obtinuit. In Rossiam e Persia per urbes Astrachan et Orenburg, in alias Europæ regiones per Massiliam et Tergestum, in Angliam vero ex Indiis Oridentalibus, importatur. Prostat vel in granis angulatis variæ magnitudinis, intus albidis, atque inter se plerumque conglutinatis; vel in massis rotundis; tum granula albida substantiæ molliori fuscæ immista sunt. Probatur sordium expers, splendens, albida, thus æmulans, veteribus vulgo Thrausma dicta. Adulteratur non raro aliis gummiresinis, variisque quisquiliis, a quibus pro usu medico depuratur contusione et transmissione per cribrum sub gelu hiemali, vel solutione in aceto.

Q. Odoris penetrantis, ingrati, alliacei, castoreum nonnihil æmulantis; saporis amari, acriculi, diutissime ori inhærentis. Secundum analysin Cl. Braconnot 100 partes Gummi Ammoniaci constant ex: 18,4 gummi, 70,0 resinæ, 4,4 materiæ glutini similis, 6,0 aquæ, et 1,2 materiæ, quæ sub operatione perditur. Calmeyer et Bucholz oleum æthereum ibidem invenerunt. Aceto Gummi Ammoniacum prorsus dissolvitur, alcohole et æthere nonnisi resina et oleum æthereum extrahuntur, in aqua vero, vitello ovi, aut mucilagine auxiliante, omnes ejus partes in suspensione tenentur.

V. Stimulans, quam in membranas mucosas, vasa sanguifera majora et capillaria, vasa lymphatica, glandulas et viscera abdominalia exserit; inde solvens, expectorans, functiones tubi alimentaris, organorum digestioni inservientium et viarum uriniferarum sollicitans; resorptioni, secretionibus et excretionibus favens Languidas functiones uteri extollit. Antispasmodicam

quoque, et majori dosi catharticam virtutem Gummi Ammoniaco inesse, notum est.

U. In vasa capillaria tunicæ mucosæ, quæ vias aëriferas obvestit, stimulando agens, secretiones promovet, quam ob rem, pituita pulmones gravante, tussim, ravim et screatus levat, ac proinde phthisiscentibus (sputis moram trahentibus vel suppressis), nisi stimulus metuendus sit, opportunum remedium, præsertim oxymelle scillitico, ipecacuanha, assa fœtida, vel etiam tartrate stibii et potassæ, pro re nata, adjutum. Ita in asthmate, catarrho chronico, dyspnœa catarrhali et id genus aliis utile est. In languente humorum per vasa abdominalia circuitu, et hinc contracto organorum torpore, in adcumulatione pituitæ, variisque morbis, inde originem repetentibus, efficacia ejus elucet; ideoque laborantibus viscerum obstructione, hypochondriacis, ictericis, hydropicis, arthriticis ac hæmorrhoidariis non est alienum, præsertim in connubio myrrhæ, rhei aliorumque amarorum, imo, si indicatio therapeutica suadeat, camphoræ. In uterum quoque agit, functionem hujus visceris excitando, hinc in amenorrhœa et leucorrhœa, a debilitate ortis, vis ejus enitet, et in priori morbo, conjunctim cum aloë et sapone (Weickard) perutilis. In renes haud secus ac in obscœnas partes agendo, in dysuria, diabete et id genus aliis profuit. Tentari etiam meretur, ubi sabulum in urina deponitur, ac metus adest, ne calculi in vesica urinaria concrescant. Externe, qua discutiens et pus maturans, applicatur tumoribus frigidis, stimulo egentibus, cysticis, fungisque articulorum, hydrarthro, lupiæ, glandulis, mammis ac testiculis induratis, gangliis, clavis, nodis arthriticis, scirrho (Ammoniaco cum aceto scillitico ad spissitudinem pultis cocto atque duritiei

admoto), abscessibus maturandis, scrofulis, pernionibus etc. Secretioni morbidæ opitulatur, hinc usus ejus in carie, ulceribus mali moris et chronicis fœditatibus cutis, non spernendus. Ita in tinea capitis, emplastro, quod ex Ammoniaco et aceto paratur (crusta prius adipe suilla emollita ablataque) superdato, utilitatem præstat.

D. A granis decem ad scrupulum et drachmam integram in die. Si in pulmones agere lubet, tum minores doses e re sunt; si vero in organa abdominalia, tum majoribus opus est. Forma pulveris, qui in aëre mollescit, non est adcommoda; præferenda pilularis, in qua excipitur extractis amaris, cum myrrha, assa fœtida, aloë, vel polysulphureto stibii. Sed etiam aqua quapiam aromatica excipi potest; ita fit emulsio, e duabus Ammoniaci drachmis, vitello ovi, vel semidrachma gummi acaciæ veræ, et quatuor aquæ unciis, adjecto, si opus, oxymelle scillitico, secunda quaque hora cochleatim sumenda.

AMYGDALUS COMMUNIS.

Миндальное дерево.

Arbor, in Asia et Africa sponte crescens, colitur etiam in Europa meridionali. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Rosaceæ. *Usuales sunt.*

Amygdalæ dulces et amaræ *(сладкій и горькій миндаль)* seu nuclei amygdali communis, cujus fructus est drupa ovalis, nonnihil compressa, pubescens, carnosa, nucem ovalem continens, in superficie fissam, lignosam, cui nucleus albus inest. Duæ species amygdalarum distinguuntur, eæque a cultura ejusdem plantæ diversas qualitates nactæ sunt (Bischoff):

1) Amygdalæ dulces, ex Italia, Valentia et Malaca ad nos venientes, quarum septem diversitates MARTIUS enumerat, quæque nonnisi extrinsecus paululum inter se discrepant. 2) Amygdalæ amaræ, antecedentibus paulo minores, quæ ex Sicilia plerumque et Mogador, Africæ septentrionalis emporio, ad nos importantur.

Q. Amygdalæ dulces odoris fere nullius, saporis grati oleoso-dulcis. Multum olei unguinosi continent, et emulsio earum lacti humano haud dissimilis est. Centum partes continent olei dulcis 54, albuminis 24, sacchari 6, lignini 4, gummi 3, cum acidi acetici vestigiis (PROUST).

Amygdalæ amaræ, etiam nullius odoris sunt, inter digitos tamen tritæ odorem mali persici spargunt. Præter partes, dulcibus quæ insunt, principium peculiare continent,quod mediante aqua oleum æthereum volatile et acidum hydrocyanicum format, cui toxica vis tribuenda est; principium tamen hoc lethale ita a natura oleo et albumine temperatum est, ut amygdalæ amaræ sine incommodo comedi queant.

Ut oleum æthereum volatile obtineatur, pasta, post expressionem olei pinguis residua, cum aqua commiscetur et destillationi subjicitur; hocce processu 112 libræ uncias duas et amplius olei volatilis pungentis, acidum hydrocyanicum in se continentis, largiuntur. Aqua, e massa post expressionem olei pinguis remanente, parata, aquæ lauro-cerasi non dissimilis est. Ex utrisque Amygdalis sine calore expressum oleum, inodorum et insipidum est.

V. Amygdalis dulcibus vis inest obvolvens, emolliens, nutriens; amaris eadem et insimul obtundens, virtuti aquæ lauro-cerasi similis, ita quidem, ut cani-

bus aliisque animalibus ad instar veneni obsint, homini autem nonnisi in magna quantitate noceant.

U. In re pharmaceutica et culinari usus utrarumque est frequentissimus. Dulces, si nuclei sex aut octo comedantur, pyrosin sublevare dicuntur. Earum emulsio, cum per se adhibetur pro potu in variis morbis, tum ut vehiculum camphoræ et resinarum. Amaræ in febribus in universum, imprimis febre intermittente (Bergius), pertussi, adfectione pulmonum chronica, asthmate, et variis morbis inflammatoriis, etiam localibus, conveniunt; quibus in casibus forma emulsionis vel in substantia (aliquot nuclei) propinantur; præterea aquæ amygdalarum amararum parandæ inserviunt. Emulsio earundem, forma lotionis, guttam rosaceam tollit. In quibusdam tamen individuis, quæ idiosyncrasiam contra hoc remedium habent, urticariam et alia provocat incommoda.

AMYLUM.

Крахмалъ.

Materia vegetabilis peculiaris, jam veteribus nota, a Dioscoride eam ob causam ἄμυλον nuncupata, quod farinam referat, sine mola parabilem. Disquisitionibus microscopicis probatum est, illud e minimis particulis rotundis, ovatis, aut irregularibus, compositum esse. Hoc elemento vegetabili variæ plantarum partes, imprimis vero semina, scatent, quarum cellulæ eodem repletæ sunt. Plantarum dicotyledonum et monocotyledonum semina (pisum, faba, nuces castaneæ) haud unquam Amylo carent. Variarum plantarum tubera (Solani tuberosi et Orchidum) et radices (Ari, Bryoniæ,

Convolvuli Curcumæ, Jatrophæ, Iridis, Marantæ) eodem redundant; æque ac quædam palmarum stirpes (Sagum et Cycades) materia hac vegetabili sunt refertissimæ. Usitatissimæ, quæ habentur, Amyli varietates parari solent: 1) E farina seminum Tritici, aliorumque frumentorum (Amylum triticinum). 2) E tuberibus Solani tuberosi (A. Solani tuberosi, *картофельная мука*). 3) E radicibus Marantæ arundinaceæ, M. Indicæ et nonnullarum Curcumæ specierum (A. Marantæ, *Arrowroot*). 4) E medulla farinacea stirpis: Sagi fariniferæ et S. Rumphii, Cycadis circinalis, C. revolutæ, C. inermis aliarumque *(Grana Sago)*. 5) E radice Janiphæ Manihot *(Tapioca* vel *Cassava)* et e parenchymate trunci ejusdem plantæ *(Mandiocca)*. Variæ omnino extant Amylum parandi rationes, pro varia vegetabilium, ex quibus obtinetur, indole, omnes tamen methodi eo potissimum nituntur, quod Amylum sistat materiam in aqua frigida ferme insolubilem. Semina vel radices, addita abunde aqua triturantur, quo Amylum eo facilius ex earum cellulis eliciatur, quod, liquore effuso quiescente, forma sedimenti obtinetur.

Enumeratæ Amyli varietates, dum puræ sunt, quoad aspectum tantummodo inter se discrepant, qualitatibus autem physicis et chemicis, omnes conveniunt. Differentia, quæ inter quasdam intercedit, a heterogeneis adhærentibus pendet, sic fæcula Solani tuberosi tantillum chlorophylli et materiæ cereæ, Amylum autem Triticinum glutinis vestigia continere solet.

Q. Amylum exhibet materiam opacam, pulveream, coloris, odoris atque saporis expertem; humefactum et calori + 48° Réaum. expositum, massam refert ex albo flavescentem, tenacem. Aqua frigida (quin trituretur), æthere, et alcohole insolubile est. Aqua fervida

solvitur et solutionem format mucilaginis instar viscidam, quæ additione jodi colorem ducit cœruleum, a charactere soli Amylo proprio pendentem. Amylum aqua fervida solutum, addito acido sulphurico multa aqua diluto, coctione in materiam gummosam, serius in saccharinam mutatur; similem metamorphosin quoque subit calore modico et diastasio (materia peculiari ex hordeo fermentato elicita) simul agentibus.

Secundum experimenta Berzelii 100 partes Amyli, e tuberibus Solani tuberosi parati, constant: 43,481 carbonei; 7,064 hydrogenii; et 49,455 oxygenii.

V. Nutriens; obvolvens; lubricans; exsiccans.

U. Amylum, e plantis indigenis obtentum, potius domestico ac œconomico usui dicatum est, quin tamen idcirco superfluum faciat Medicinæ subsidium. In morbis organorum digestionis, ubi mucum vel deficientem supplere, vel acrem involvere tendimus, adcommodum fit remedium; proinde in diarrhœa et dysenteria clyster Amyli simplex aut opiatus, parvis quantitatibus sæpius injectus, compescendo malo idoneus est. Puls ex Amylo Solani tuberosi parata et succo V. Oxycocci condita, nutrimentum præbet convalescentibus aptum. Tartras stibii et potassæ, in connubio Amyli porrectus, virtute alvum ducendi orbari dicitur, emergente imprimis emetica (Hufeland). Amylum Marantæ (Arrow-root) lacti, jusculis vel aquæ incoctum, in morbis atrophicis, ex nimia humorum vel sanguinis jactura ingruentibus, præ cæteris infantibus tenellis, ob gustus gratiam, optime convenit. Grana Sago digestu facillima, hinc imbecillo stomacho vel maxime congrua. Pulvis Amyli excoriationibus recte adspergitur. Constituendis autem pilulis, ne nimis exinde indurescant, alienus.

D. Sesquidrachma adultis in clystere, in aquæ calidæ libra soluta et rite colata, subterdatur.

ANGELICA ARCHANGELICA.

ARCHANGELICA OFFICINALIS.

Дягиль; Дягильникъ; Коровошникъ.

Pl. ubique in Europa boreali, præcipue in locis montosis et ad ripas fluviorum, iisdem proximorum, lubenter crescens. Mensibus Julio et Augusto florescit. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellifer. Biennis. *Usualis est:*

RADIX, fibrosa, rhizomate oblongo, crasso, extrinsecus ex flavo brunea, in superficiebus segmentorum transversorum alba, maculis numerosis, flavis, oleo volatili et resina repletis, punctata. Vernali tempore non solum incisa, sed etiam digitis pressa (si radix bona est) succum flavescentem fundit, qui virtutibus A. Archangelicæ medicamentosis abunde gaudet, et a MARTIO Balsamum ejusdem vocatur; siccatus gummi-resinam præbet, fermentatus vero, in liquorem spirituosum mutatur. Pro usu medico ineunte vere, foliis radicalibus propulsis, effodienda, et celeriter calore modico siccata, in vasis bene clausis servanda est. Ab Angelica sylvestri L. perenni, minus efficaci, quæ interdum Archangelicæ officinali dolose subrogatur, probe distinguenda. Angelica sylvestris nascitur in locis subhumidis, habet flores rubellos et foliola æqualia, ovato-lanceolata, serrata; cum altera floribus gaudeat virescentibus, foliorum impari lobato, ejusque radix sit admodum tenax, multoque fragrantior, transversimque secta, exhibeat copiosa puncta flava.

Q. Stirps omnibus partibus aromatica, et moschum quodammodo redolens. Radix, præter camphoram, continet principium extractivum, resinam, magna ex parte aqua, alcohole autem prorsus solubilem, nec non oleum æthereum. Odor fragrans, aromaticus; sapor ab initio subdulcis, dein aromaticus, acris, amarus.

V. Radicis præsertim ab oleo volatili et resina pendet, estque stimulans, sudorifica, citissime systema nervosum excitans, imprimis autem vim organorum digestioni inservientium et membranarum mucosarum intendens; masticatæ: salivam movens; foliorum, secundum experimenta Celeb. Pringle: antiseptica.

U. In morbis atonicis, præcipue inertia ventriculi et pulmonum stipatis, et in genere stimulo egentibus, typhodibus, imprimis contagiosis, præsertim ubi actionem in cutem e re fore censemus, in diarrhœa atonica, nec non in paralyticis adfectionibus. In myodynia rheumatica, ubi transpirationis ratio habenda. Ita in adfectionibus pulmonum pituitosis, catarrho chronico, asthmate, cum polysulphureto stibii, radice inulæ helenii etc. Lappones crudos Archangelicæ caules, adipe balenæ conditos, magna cum voluptate edunt, e medulla vero ejus siccata panem conficiunt. Cæterum A. Archangelica, dorsteniæ contrayervæ, valerianæ off. et serpentariæ æquivalet, iisque, ubi hæ desunt, substituitur.

D. Rarius in pulvere, a granis decem ad semidrachmam et drachmam integram, ter quaterve in die datur; justius infusi aquosi, e semuncia cum aquæ unciis octo parati, secunda quaque hora cochlearia duo exhibentur.

ANTHEMIS NOBILIS.

Chamomilla romana.

Ромашка римская, или горькая.

Pl. Europæ australis, in pratis quoque Rutheniæ temperatioris spontanea, alibi vero hortensis; foliis bipinnatis, foliolis bipartitis, lineari - subulatis, subvillosis; flore radiato, plerumque pleno. Mense Augusto et Septembri florescit, quo tempore flores novelli colliguntur. Cl. Syngenes. O. Superflua. O. N. Synanthereæ. Annua. *Usuales sunt:*

Flores, compositi, radiati, receptaculo conico, paleaceo; flosculis disci tubulosis, flavis, amaro - aromaticis; radiantibus vero albis, fere insipidis.

Q. Odor suavis; sapor amarus, aromaticus. Qualitas præcipua florum in oleo volatili, principio extractivo amaro, resina et piperino sita est (Thomson). Brandes — Manuel ex 128 libris florum sesquiunciam, Hayne vero ex 108 libris eorum 90 drachmas et 55 grana olei ætherei, coloris saphirini, obtinuerunt. Principia florum efficacia aqua et alcohole plane extrahuntur. Infusum Anthemidis nobilis insociabile est omnibus ferri præparatis, nitrati argenti, bichlorido hydrargyri, diacetati plumbi, ichthyocollæ, nec non decocto vel infuso cinchonæ.

V. Eximia, stimulans; tonica; antispasmodica; carminativa; antiseptica (Pringle).

U. In morbis debilitate et statu spastico stipatis, opportunum remedium. Hinc in inertia, aut adfectionibus spasmodicis organorum abdominalium: in dyspepsia, pyrosi, colica spasmodica et flatulenta, gastrodynia, chlorosi, hypochondriasi, hysteria, amenorrhœa,

podagra, aliisque molestiis, ex hoc fonte originem suam ducentibus, convenit. In febri quoque intermittente magni penditur, congruis præsertim aromaticis et alcalinis nupta. Qua tonicum, extractum ejus, admodum amarum, cum myrrha, ferro, opio et adstringentibus forma pilularum adhiberi solet. Extrinsecus infusum ulceribus atonicis, putescentibus opponitur.

D. Infusum paratur ex drachmis duabus, vel quatuor cum aquæ libra; flores pulverati æque ac extractum, exhibentur dosi unius scrupuli ad duos; oleum Chamomillæ Romanæ æthereum datur dosi guttæ dimidiæ, ad duas, forma elæosacchari, vel æthere exceptum.

APIS MELLIFICA.

Пчела.

In Rossia ubivis habitat, præsertim in apiariis; libentius tamen in australi, quam cæteris Ruthenici Imperii oris. Cl. Insecta. O. Hymenoptera. Fam. Mellifica. *Usualia sunt:*

Mel, substantia vegetabilis, spissa, subpellucida, filamentorum instar ductilis, ab apibus e nectariis florum collecta, atque in earum corpore quodammodo alterata. Habetur ope secretionis: a) *Mel saccharinum* (narbonense), referens substantiam admodum albidam, granulosam, suaviter olentem; b) *Mel album*, seu *virgineum* vulgo dictum, sponte e favis juniorum insectorum exstillans; c) *Mel commune* seu crudum, calore pressioneque e cellulis apum ceraceis prolicitum. Cera, materia vegetabilis propriæ indolis, quæ ab apibus collecta, et in apiaria deposita, solidam favorum substantiam constituit, iisque, separato antea melle, aqua fervida liquefactis, obtinetur, et *Ceræ flavæ* vel *crudæ*

nomine insignitur. Ubi vero Cera cruda per apricationem, sub frequenti aquæ adspersione, colore flavo orbata ac indurata est, *Cera alba* dicitur. Cera medium tenet inter vegetabilia et animalia olea. Mel purum commiscetur interdum cum impuro, fermentationem perpesso, acescente, amaricante, humorem redolente, vel mucido, bullas e superficie sua emittente, æquoque validius expresso, usui medico minus apto; adulteratur vero aqua, et tum cito diffluit effusum; ita etiam radicibus dauci carotæ, aliisque dulcibus succis, quo in casu turbidum redditur, neque amplius ad modum filamentorum ductile, multumque, mutato jam odore, sedimenti deponit; subinde etiam amylo tenuius contuso, aut farina miliaria, aut e pisis; sed tum fraus striis albis proditur, et sedimento, in solutione aquosa, farinaceo. Cera, si resinis adulteretur, tum fraus alcohole, eas solvente, detegitur; si vero aut farina, aut terra eidem admistæ sunt, quum liquefit, fundum illæ petunt. Sulphur adjectum, proprio se in prunis prodit odore.

Q. Mellis saccharino-mucilaginosa. Odor ejus fragrans, isque haud raro plantas, e quibus legitur, redolet. Mel tauricum in Rossia odoratius, saporeque est proprio dulci. Quod sub torridis zonis e narcoticis plantis legitur ab apibus, est veneniferum. Azaleæ ponticæ flores nectare scatent hydrogeneo-carbonico, unde venenatum mel parari ab apibus, certum est. Mel parum a saccharo discrepans, solvitur, ut hoc, in aqua et spiritu vini. Ceræ qualitas oleosa. Odoris Cera alba expers; flava vero odorem, uti et saporem, melli analogum præ se fert. Alcohole et æthere sulphurico, ope caloris, solvitur Ceræ $\frac{1}{20}$, quæ tamen paulo post magna ex parte fundum rursus petit. Aqua non multum e Cera extrahitur.

V. Mellis: nutriens; demulcens; expectorans laxans; diuretica; antiseptica; extrinsecus: maturans. Cerae: emolliens; involvens; non omni balsamica parte expers.

U. Mel, misturis resolventibus additum, in morbis pulmonum atonicis, pituitosis, præsertim sine febre, atque sub statu catarrhali, in aqua fœniculi solutum, huic fini optime respondet. Nephralgiæ cum oleo olivarum et sapone a quibusdam Britannis obponitur. Aqua dilutum, et largissimis haustibus epotum Mel, ad superandam acrium ingestorum ferociam, perquam efficax esse, Dioscorides contendit. Propter facilem fermentationem flatus gignit, digestionem impedit in imbecillis, et alvifluxus ciet. Extrinsecus collo inunctum, utile esse censetur in variis anginis, tussi catarrhali, asthmate chronico, uti et abdomini eodem modo adplicatum, infarctus hypochondriacorum resolvere, et lumbricos enecare fertur. In gargarismatibus et collutoriis cum infuso herbæ salviæ officinalis, florum sambuci n., aut decocto herbæ malvæ rotundifoliæ; vel ad maturandos abscessus, adhibetur cum radice recenti allii cepæ, farina et stigmatibus croci sativi; vel ad depuranda ulcera, præsertim scorbutica, cum myrrha, extracto corticis viridis fructus immaturi juglandis regiæ, balsamo pineo-laricino; vel clysteribus adjicitur cum sero lactis, infuso florum m. chamomillæ; ad resolvendam mammarum, lacte turgescentium, duritiem usurpatur, additis conii maculati foliis, rite in pulverem tenuatis; aut secalino farre subactum, forma emclastri vel cataplasmatis furunculis admovetur. Mel pum balsamo pineo-laricino simplicissimum efficit remedium ad ulcera detergenda, vigoremque in eis exsuscitandum. Cum parva bilis taurinæ et sulphatis

zinci portione commistum, maculis corneæ, præprimis vero nephelio etc. medetur. Ceræ quoque usus multiplex: flava, soluta, excoriationibus interaneorum, (addito, suboriente putrida diathesi, tantillo acidi sulphurici), tenesmo, hæmorrhagiæ intestini recti ab acri materia, obponitur. Suffimen etiam ex ea phtisiscentibus utile esse perhibetur (Billard); quod tamen inflammatorio statui et vomicis alienum (Morin). Globuli e Cera admoventur vasis læsis, ad cohibendam hæmorrhagiam a dente evulso; præterea utraque species Ceræ conficiendis variis emplastris et unguentis inservit.

D. Pro usu interno Mellis drachmæ aliquot exhiberi possunt pro dosi; in nephralgia autem duæ etiam unciæ per diem. Pro clystere semuncia vel uncia sufficit. Scopo electuarii, pro uncia pulveris, binisque unciis aquæ tres Mellis unciæ sumuntur plerumque. Saccharum, dum licet, Melli præferendum; hoc enim interdum enterodyniam et tormina producit. Cera a scrupulo ad semidrachmam rarissime intus datur. Si Ceræ albæ liquefactæ, dum rigescere cœperit, æqualem vel triplam balsami copaivæ quantitatem addideris, massam, adjecto pari pondere cubebarum pulveris, pilularem obtinebis, quæ a drachma ad duas pro dosi exhibetur.

ARBUTUS UVA URSI.

Arctostaphylos; Mairania Uva Ursi

Толокнянка.

Frutex humilis, procumbens, Rutheniæ præsertim septentrionalis, in collibus arenosis spontaneus. Cl

Decandr. O. Monogynia. O. N. Ericeæ. *Usualia sunt*:

Folia, integerrima, obovato-elongata, coriacea, subtus reticulato-venosa, a foliis Vaccinii Vitis Idææ subtus punctatis, latioribus et emarginatis distinguenda. Colliguntur autumno viridia.

Q. Folia sicca fere inodora, saporis adstringentis, amaricantis; amarities tamen, assumpto haustu aquæ frigidæ, temperatur. Analysi chemica Melandri et Moretti e foliis Uvæ Ursi nuper extricarunt: acidum gallicum, mucilaginem, resinam, principium extractivum amarum, principium extractivum ad oxygenii connubium perquam proclive et calcariæ vestigia. Hinc infusum eorum cum ferri et plumbi salibus, tartrate stibii et potassæ, nitrate argenti, infuso cinchonæ et ichthyocolla insociabile est.

V. Leniter stimulans; adstringens; tonica; præcipue in systema uropoëticum agens.

U. Pulvis, infusum et decoctum foliorum non remoto abhinc tempore, celebratissimum fuit remedium contra calculum aliasque organorum urinalium adfectiones, debilitati et laxitati innixas. In diabete (febri jam mitigata), nephritide chronica, lienteria, phthisi pituitosa, variisque morbis atonicis, præsertim viarum urinalium: enuresi, hæmaturia, blennorrhœa chronica, catarrho vesicæ urinariæ, sabuli in renibus generatione, ex supradicto fonte originem ducentibus, muci secretionem minuendo, aut acidi in ventriculo genesi officiendo, magnam utilitatem præstant. Phthisi quoque exulceratæ cum successu nuperrime a Bourne opposita fuerunt, in connubio opii et camphoræ; sed foliisne Uvæ Ursi, an remediis, quibus nupta

fuerunt, talis successus attribuendus sit, sub judice lis est.

D. Forma pulveris subtilioris cum saccharo, aut alio congruo, a scrupulo ad duos, bis terve de die; pro decocto unciarum decem, foliorum semuncia ad integram sumi solet: æque in infuso dari potest.

ARCTIUM BARDANA ET ARCTIUM LAPPA.

Лапушникъ; Репейникъ.

In locis incultis nec non in maceriis ubivis perfrequens. Floret Julio et Augusto. Arctium Lappa calycibus glabris, Bardana calycibus tomentosis. Cl. Syngenesia. O. Polygam. æq. O. N. Synanthereæ. Biennis. *Usualia sunt:*

Radix fusiformis, sat longa, pollicem crassitie æquans, lævis, paucies ramosa, spongiosa; extrinsecus nigricans, intus alba. Colligitur sero autumno, vel primo vere. Aliquando hujus radicis loco radix Consolidæ majoris et Atropæ Belladonnæ per errorem colligitur. Hæc tamen inter illas intercedit differentia: radix Consolidæ majoris, a Symphito officinali proveniens, multis obsita est ramis, extrinsecus brunei coloris, æqualiter fragilis, inodora, saporis aquoso-mucilaginosi; radix Atropæ B. minoris est longitudinis multisque ramis instructa, coloris extrinsecus ex rubro brunei, odoris ingrati, narcotici. Folia. Semina.

Q. Radix est odoris nauseosi, debilis; saporis subausteri, ex acri-subdulcis. Guibourt radici inulinum inesse docuit, foliis vero et staminibus nitratem potassæ, quam ob causam igni injecta crepitare solent. Semina saporis valde amari, lotium decolorantia.

V. Radicis sudorifica; diuretica. Seminum cathartica.

U. Circulationem capillarem promovendo, in cutis adfectionibus, myodynia rheumatica, syphilide et scorbuto utilis esse creditur. Lochiis movendis non esse imparem puerperarum usus evicit. Semina profuisse calculosis, est inter exempla. Folia viridia genuum tumores dissipasse, dolores a carcinomate podagramque pacasse, perhibentur. Succus eorundem, teste Hufelandio, valentior. A quibusdam A. Lappa smilaci sarsaparillæ præfertur, ast immerito.

D. Radicis semuncia in libra aquæ communis, ad colaturam unciarum octo decocta, admista mellis semuncia, exhibetur per diem.

ARISTOLOCHIA SERPENTARIA.

Serpentaria Virginiana.

Змѣевикъ Виргинскій.

Planta Virginiæ et Carolinæ, caule flexuoso volubili. Cl. Gynandr. O. Hexandr. O. N. Aristolochiaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, constans capitulo, undique fibrillas tenuissimas, pollicem æquantes, inter se tricatas, emittens, extrinsecus coloris subfusci, intus ex flavo albescentis. Huic substitui radicem Asari Virginici, monuerunt Sande et Schlegel, quæ colore nigro et peculiari structura facile dignoscitur.

Q. Camphoraceo-æthereo-oleosa. Odoris fragrantis, camphoracei, valerianam redolentis, gratioris tamen et fortioris; saporis aromatici acris, amari. Pechier et ante illum Bucholz, instituta chemica analysi, in 100 partibus radicis sequentia repererunt: olei ætherei acris guttas nonnullas, olei pinguis 0,875, resinæ

2,833, Isolusini 3,123, (substantia hæc, quæ in radice quoque Senegæ inventa est, saponino multorum Chemicorum haud absimilis esse creditur) insuper principium tingens flavum, substantiam gummosam, nec non acidum malicum et phosphoricum. BIDGELOW magnam camphoræ quantitatem in crystallis, ex maceratis radicibus, distillatione obtinuit. Quum vis radicis oleis volatilibus imprimis nitatur, illa in vasis probe clausis integra servanda est, nam pulvis diutius servatus, uti et ipsa radix vetusta, usui medico inepta fiunt. Infusum Serpentariæ, dum radix genuina est, colorem refert ex flavo bruneum, et additamento sulphatis ferri aut zinci, nitratis argenti, bichloridi hydrargyri, acidorum mineralium, tartratis stibii et potassac vel gelatinæ, nullam subit mutationem, nec sedimentum deponit.

V. Excitans; nervina; a camphora non multum discrepans, viribus tamen magis permanentibus prædita; sudorifica; sanguinis circuitum promovens cum augmento caloris sat conspicuo.

U. In febribus adynamicis, putridis vulgo dictis, invadente tertio jam morbi stadio, quum cutis est sicca, pulsus debilis, et ægrotus jacet apathicus, stupore ac diliriis correptus, vel quum ad hanc symptomatum syndromen gangræna localis accedit, Serpentaria insigni pollet efficacia, sudores etenim movet, putredinem coërcet, vires erigit, et detritæ, morbi decursu, vi vitali opitulatur. In exanthematibus atonicis, retrogradis, præstans est remedium, quo in casu non raro jungitur cinchonæ (LETTSOM), vel, pro re nata, camphoræ. Laudatur quoque in diarrhœa et dysenteria (deficiente febri) uti etiam in myodynia rheumatica. Forma gargarismatis in angina atonica, gangrænosa, prodest. Morsuras serpentum venenatorum sanare dicitur, si

planta masticetur, succus deglutiatur et folia contusa vulneri admoveantur (Geoffroy); quem in finem ab indigenis Americæ Confœderatæ incolis adhibetur.

D. Rarius in pulvere a granis decem ad scrupulum datur; commodius forma infusi aquosi (drachmæ duæ cum selibra aquæ bullientis) porrigitur, cui interdum decoctum cinchonæ additur. Non raro paratur infusum aquosum vel vinosum Serpentariæ, cui pro re nata admiscetur radix valerianæ, vel angelicæ, vel cortex cinchonæ, vel fructus citri aurantii. Tinctura ejus pariter efficax est præparatum; decoctum vero, ut usu cognitum est, virtute orbatur.

ARNICA MONTANA.

Баранникъ горный; Баранья трава.

Planta in pratis alpinis, montosis, sylvaticis, apricis Europæ australis et septentrionalis crescens. Cl. Syngenesia. O. Polygamia superfl. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Flores, sine calyce, lutei, compositi ex radiatis oblongis, angustis, tridentatis, et discoideis hermaphroditis, tubulosis, quinquedentatis; squammulis calycinis brevioribus, lanceolatis, hirsutis, apice purpureis, adnexis. His admiscentur, imo substituuntur haud raro, flores Inulæ dysentericæ, fl. Inulæ salicinæ, fl. Hypochæridis maculatæ, fl. Hieracii et fl. Tussilaginis Farfaræ, qui omnes characteribus propriis distinguuntur. Radix, calamum scriptorium crassa, modicæ longitudinis, in ramos divisa, tenacibus longisque instructa fibrillis, sub attactu pinguis, externe fusco—brunea, intus albescens. Adulteratur radice Inulæ dysentericæ,

fibrillis ex flavo-bruneis, circum circa dispersis, odore minime irritante, sapore mucilaginoso, amaricante. Herba quoque cum floribus in usu est. Arnica montana, in hortis culta, est fere iners.

Q. Flores recentes spargunt odorem ingratum, siccati debilem balsamicum, digitis triti sternutationem movent; saporis aromatici, amariusculi, acris. Partes eorum efficaces sunt: pauxillum olei ætherei coloris cœrulei, principium acre resinosum, cui acidum igasuricum, in nuce vomica inventum, THOMSON inesse putat, et extractivum. Alcohole, æque ac æthere sulphurico, principium acre extrahitur, et evaporatione ætheris purum obtinetur. Radix odoris proprii, contusa sternutationem ciens; saporis amari, nonnihil aromatici, acris.

V. Florum: nervos excitans; actionem vasorum sanguiferorum accelerans; resolvens; diaphoretica; diuretica; emmenagoga; sternutatoria; dosi majori: cathartica; emetica. Ardor pharyngis, cardialgia, anxietas, nausea ac vomitus, sub eorum usu aliquando adparentes, ab ovulis et larvis insecti, a BUCHNER atherix maculata dicti, quibus haud raro inquinati sunt flores, proveniunt; his igitur colligendis opera est danda, ne inquinati simul sumantur. Rejiciendi sunt flores, quibus grana quædam parva, nigra, vel ex flavo-alba, ovalia, coriacea adhærent, quibus deficit læte flavus color et sapor aromaticus, quorum denique petala, receptaculum et anthodium in massam griseam conglutinata sunt, vel quorum flosculi discoidei decidunt, radiati autem pallidi ac penduli sunt. Majori tamen copia porrecti Arnicæ flores, etiamsi integri sint, dolorem abdominis, anxietatem, nauseam et vomitum movent, serius tormina et diarrhœam, vi autem ad sensorium

commune delata, cephalalgiam et vertiginem inducunt; nervos dermaticos irritando, sensum formicationis, dolores lancinantes, urentes, interdum succussiones, quasi a scintilla electrica provocatas, excitant. His in casibus DRESKY spiritum sulphurico-æthereum, HAHNEMANN acetum vini, HESENIUS achilleam millefolium, ut antidota, suadent. Radicis virtus eadam fere est, magis tamen tonica quam stimulans, in fibram muscularem canalis intestinalis imprimis agens.

U. Et ratio et experientia Medicis suadent cito ad Arnicæ (adhibentur flores, rarius radix) usum confugere, ubi vires organismi labuntur, et periculum dissolutionis humorum impendet. Hinc in febri nervosa torpida variisque ejus formis, febri putrida, petechiali, et mucosa maligna, cum typo remittente vel intermittente, præ cæteris adhibetur. PEARSON eandem in peste ex voto tentavit; in febri etiam intermittente nonnulli cum fructu exhibuerunt. Salubre est remedium contra adfectiones paralyticas, spasticas, convulsivas, et ubi symptomata apoplexiæ manifestantur; hinc etiam in epilepsia, et tremore artuum, in paralysi extremitatum, linguæ, colli et vesicæ urinariæ, in hemiplegia, paraplegia, imo incipiente amaurosi laudem tulit. Succurrit trismo, si hicce imprimis a commotione cerebri et medullæ spinalis proveniat. In doloribus, ex contusione ortis, apparente cruoris suffusione, nec non in sugillationibus Arnica intus datur, vel etiam infusum florum, addito sale ammoniaco, vel culinari, parti læsæ per modum fomenti adplicatur. Extollitur laudibus infusum florum vel radicis contusæ in sanguifluxibus, ex debilitate suppressis, nempe in retentis post febrem catameniis, vel ubi hæmorrhoidum fluxus habitualis ex atonia retinetur, imo in lochiis ob eandem causam tar-

de fluentibus. Si e contra ob profluvium sanguinis debilis organismus in discrimine versatur, Arnica, incitamentum et tonum ei impertiendo, efficit, ut hæmorrhagia citra periculum cohibeatur. Addito calcari venæ portarum et plexibus nervorum abdominis, obstructiones viscerum curat; hinc in infarctibus lienis, pancreatis, hepatis, et inde proveniente ictero et atrophia, valde utilis. Atoniæ systematis lymphatici et hydropi inde oriundo obponitur. Magnam promittit utilitatem, dum pulmones effuso sanguine vel pituita premuntur; ita in dyspnœa, catarrho, ultima pneumonitidis periodo et phthisi pituitosa recte adhibetur. Stimulo, quem in nervos et venas abdominis exserit, et tono, quem fibræ musculari canalis alimentaris impertit, nimiam muci secretionem cohibet, hinc diarrhœæ atonicæ, vel genuinæ, vel post dysenteriam superstiti subvenit; in his tamen casibus radix potius commendabilis est. Flores Arnicæ cum herba millefolii, forma infusi, in pollutionibus prosunt, immo si fidem quibusdam adjungas, tabi succurrunt. Si in animo habemus, œdema in relaxatis partibus discutere, vel paraphymosin diu durantem resolvere, infusum vel florum vel radicis Arnicæ, acetati ammoniæ liquido nuptum, salutare præstat remedium. Contraindicatur usus Arnicæ plethora universali, congestione activa, inflammatione et hæmorrhagia ejusdem indolis.

Insociabilia cum infuso Arnicæ sunt: sulphas cupri, s. ferri, s. zinci, acida mineralia et acetas plumbi.

D. Flores a quinque granis ad semiscrupulum dantur cum melle, vel syrupo simplici, per modum electuarii. Pulveris forma incommoda; aptius exhibentur in infuso, ex dimidia vel sesquidrachma cum aquæ bullientis unciis octo parando, et secunda quaque hora cochleatim propinando; idque fit, pro re nata, in co-

pula valerianæ officinalis, acori calami etc. vel decocto cinchonæ ad finem adjicitur Arnica. Additamenta stimulantia volatilia, ut ætheris sulphurici, tincturæ opii aliorumque, sunt adcommoda.

ARTEMISIA ABSINTHIUM.

Absinthium vulgare.

Полынь.

Ubique in locis apricis, ruderatis, præcipue in calidioribus Rossiæ provinciis, spontanea. Cl. Syngenes. O. Superfl. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba florida, amaro-aromatica, foliis sericeo-incanis, multifidis; calathis subglobosis, pedunculatis, nutantibus. Summitates ejusdem.

Q. Planta recens, præsertim tempore florescentiæ, odorem spargit gravem, ingratum, balsamicum, permanentem, caput gravantem; siccata autem et diu servata odorem ferme amittit; sapor valde amarus, aromaticus, penetrans. Folia floribus amariora, mense Majo, hi autem Julio colliguntur. Analysi chemica Cl. Kunsmüller notum fecit, plantæ huic inesse: magnam copiam materiæ extractivæ gummosæ, materiam extractivam amaram, resinam viridem, oleum æthereum amaritie destitutum, acidum aceticum liberum, acetatem et sulphatem potassæ, sulphatem calcariæ, chloridum potassii et fibram vegetabilem. Cl. Caventou ex infuso Absinthii aquoso, substantiam peculiarem fuscam, duram, valde amaram obtinuit, quæ, illo opinante, principium purum sistit.

V. Oleo æthereo, partibus resinosis et amaris in primis nititur, estque roborans; stimulans; antiseptica; anthelminthica.

U. Subjectis phlegmaticis, exhaustis, parva irritabilitate et sensibilitate præditis, maxime convenit. In debilitate stomachi et canalis intestinalis, anorexia, acido primarum viarum, colluvie mucosa, inertia hepatis et obstructione hujus visceris diuturna, dyspepsia, hypochondriasi, ictero (propinato cum sapone in pilulis extracto), sic etiam in hydropisi atonica, podagra (Haller) et calculo, commendatur. In scorbutum etiam efficaciam suam exserit. Aquæ, cerevisiæ vel vino incocta, contra febres intermittentes (evacuatis primarum viarum sordibus) nec non vermes, tineam, achores et gangrænam, adsuetum fuit remedium. Extrinsecus, forma cataplasmatis, vel fotus, imo et herba recens œdematibus discutiendi ergo admota, prodest. Vi putredinem coërcendi, gangrænam, aquæ marinæ incocta, subegit (Bartholinus). Ab usu ejus abstinendum est, existentibus: plethora, irritatione gastrica, statu inflammatorio, febre, et obstructionibus recentibus.

Insociabilia cum hoc remedio sunt: diacetas plumbi, sulphas ferri et s. zinci.

D. Rarius datur in substantia a semidrachma ad drachmam, quam in infuso, ex uncia ad sesquilibram aquæ bullientis parando. Infusum lacteum a quibusdam adhibitum fuit, ut anthelminthicum, vel pro fotu, vel clysteribus. Infusum aquoso-spirituosum efficacissimum.

ARTEMISIA SANTONICA.

A. Contra.

Чернобыльникъ противуглистный; Цытварникъ.

Frutex in Palæstina, Arabia, Numidia, Persia et Tartaria Mongolica crescens. Cl. et O. præcedentis. Perennis. *Usualia sunt:*

Cacumina, sive *Summitates* ramulorum *cum floribus* parvis (*Semen Cinæ* sive *Santonici.* Цытварное сѣмя).

Semina hæc exigua, oblonga, glabra, ex flavoviridia, squammulis calicum et petiolorum intermixta; num ab A. Santonica, vel ab A. Austriaca et Palmata, vel ab A. glomerata, aut a horum singulis colligantur, nondum pro certo habetur. Tres interim eorum varietates dantur, puta: a) S. Cinæ Aleppica vel Levantica, cæteris præstantiora, b) S. Cinæ Indica, levia, ex flavescente-grisca, odoris et gustus debilioris, flosculis plerumque intermixta, et c) S. Cinæ Africana vel Barbarica, aliis pejora. Adulterantur interdum A. Abrotani et Tanaceti vulgaris seminibus, imo etiam pulvis radicis filicis maris iisdem, teste Schaubio, lucri causa, substituitur.

Q. Odoris aromatici, nauseosi; saporis amaroacris, resinosi. Wackenroder in seminibus levanticis parvam quantitatem olei ætherei acris, ingrati, ova putrida redolentis, reperit. Wedel ex libra seminum vix guttas aliquot ejusdem elicuit. Praeter oleum idem Wackenroder ex 100 partibus seminum depuratorum: 0,35 cerini; 24,45 substantiæ peculiaris resinosæ, amaræ, cum chlorido potasii, sulphate potassæ, malate potassae et malate calcariæ mixtæ; 15,50 materiæ ex-

tractivæ gummosæ; 8, 60 ulmini; 35, 75 lignini; 2,00 malatis calcariæ cum parva quantitate terræ siliceæ et substantiæ vegetabilis permisti; 6, 70 sordium, et 6, 65 jacturæ obtinuit. Pollet ergo præcipue partibus amaris, resinosis, olei volatilis pauxillo junctis. Liquet inde, pulverem seminum, nonnisi recens paratum et probe servatum, efficacem esse.

Anno 1830 Almson et Kater in his seminibus peculiare principium, *Santoninum* sive *Cininum* dictum, repererunt. Si tale obtinere libuerit, semina cum quadrupla aquæ quantitate bis vel ter coquantur; decocta colata et commista evaporentur ad $\frac{2}{3}$, dein frigori exponantur. Subsidens impurum Santoninum alcohole solvatur, coletur, evaporationem subeat et crystallisationi committatur. Crystalli inde exsurgentes splendoris sunt margaritacei, aculeatæ, odoris et gustus expertes, alcohole, æthere, imo aqua calida facile solubiles, aquæ frigidæ resistentes; additione alcalium et acidorum principium hoc in aqua solubilius fit. In eodem, nec non in oleo æthereo, totam radicis vim inesse, experimenta testantur.

V. Roborans; anthelminthica; nimia dosi, vel justo frequentius, ingesta vertiginem, cardialgiam, nauseam, scintillas ante oculos, aliaque incommoda provocant.

U. Irritando nervos canalis intestinalis, dyspepsiæ opitulantur, et collectiones pituitæ refrenant; in primis vero principiis suis, præsertim oleo æthereo, vermibus valde inimico, lumbricos teretes, ascaridem lumbricoidem et vermicularem, imo interdum, præsertim apud infantes, tæniam necasse perhibentur, vel per se data, vel cum valeriana off., tanaceto, sulphate ferri, allio sativo etc.

D. Infantibus a dimidio ad integrum scrupulum,

adultis a drachma ad duas in pulvere, vel cum melle, oxymelle scillino, pulpa prunorum, per modum electuarii, vel lacte infusa, interponendo post aliquot dies catharticum; vel ab initio radix rhei, jalapæ, chloridum hydrargyri, sulphas ferri, vel hydrochloras ammoniæ iisdem adduntur. Injecto etiam extrinsecus clystere juvant, recteque conjunguntur cum allio s., valer. off. etc.

Extractum æthereum Seminis Santonici s. Cinæ infantibus ab 1 ad 5, adultis a granis 10 ad 15 ter de die in pilulis vel emulsione propinatur.

ARTEMISIA VULGARIS.

Чернобыльникъ обыкновенный.

Planta foliis subtus albo-tomentosis, pinnatifidis, plus minus laciniatis et lanceolatis, capitulis paniculatis, ovatis; ubivis in ruderatis et cultis, circa sepes, ad muros, vias, fluviorum ripas et in hortis oleraceis, frequentissima. Cl. Syngenesia. O. Polygamia superflua. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix coniformis, incurva, ramosa, per longitudinem rugis denotata. Dr. Burdach, qui præprimis huic plantæ experiundæ operam dedit, radicem jubet sero autumno, caule jam marcido, vel primo vere, caule nondum enixo, effodiendam, ejusque fibrillas recentiores, albiores, odoratiores antiquis, hisque succi pleniores, a terra excutiendo depurgatas, nunquam lavatas, in charta disponendas, in umbra siccandas, usque dum inter digitos crepitent, et in vasis probe clausis, a lucis influxu munitis, servandas esse. Herba etiam usui medico non est aliena.

Q. Radix, dicta ratione collecta, coloris ex fusco-grisei est, odoris debilis graviusculi, saporis subdulcis, acris, nauseosi. Brez et Ellason sequentes partes constitutivas in ea detexerunt: oleum, destillatione radicis obtentum, crystallisationis capax, ex flavo-virescens, butyrum consistentia æmulans, odoris peculiaris valde penetrantis, gustus nauseoso-amari, initio urentis, dein refrigerantis, albumen vegetabile, mucilaginem saccharinam, materiam pinguem vegetabilem, cerinum, resinam mollem, principium tingens resinosum, principium adstringens, gluten, materiam extractivam principio scythodepsico junctam, gummi vegetabile, ligninum, potassam, calcariam, magnesiam, siliceam, oxydum ferri, et acida: malicum, sulphuricum, hydrochloricum et phosphoricum. Vis ejus medica in oleo residet; nunquam ergo nimia quantitas pulveris ex radice paranda est, neque radix ipsa diu servanda, ne, oleo amisso, inertes evadant.

V. Valide in cutem agens, hinc diaphoretica; antispasmodica; antiepileptica; emmenagoga. Notatu dignum est, quod hocce remedium, testante Burdach, sine prævia excitatione et pulsu haud evoluto diaphoresin producat, ideoque nec diathesi inflammatoriæ alienum sit; quæ vis, eodem teste, inest etiam radici per lotionem virtute antiepileptica orbatæ.

U. Antiepilepticam ejus virtutem antiquitus jam notam fuisse, Stoll et Wagner perhibent; nihilominus tamen planta hæc longo intervallo penitus oblivioni tradita fuit, donec a Cl. Burdach in usum medicum revocata, pristinam famam recuperaverit. Operæ pretium est, adnotare casus, ubi radix Artemisiæ non citra spem boni effectus epilepsiæ opponi mereatur; huc refertur: a) Epilepsia, cujus insultus aliquoties

in die repetuntur; b) E. regulariter mane et vespere recurrens; c) E. irregularis nocturna; d) E. infantum et neonatorum (eclampsia); e) E. a helminthiasi orta; f) E. puellas 12 — 15 annos natas, in periodo pubertatis, adficiens; g) Epilepsia, ab exanthematibus retropulsis, menstruis suppressis vel hysteriasi proveniens, eaque recens. Parum e contra proficiet hoc remedium, ubi morbus a causa organica ortum ducit, vel hæreditarius est, vel organismum nimis diu infestat, vel denique si epilepsia juvenes aut puellas adficiat 17 — 22 anno vitæ, quo in casu morbus a nimia organismi evolutione repetendus est. Vix autem successus aliquis sperandus est, si epilepsia ex rheumatismo inveterato ortum trahat, licet radix, vi diaphoretica eminens, huic præprimis malo apta esse videatur. Quod si incurabilis sit epilepsia, nihilominus semel vel bis per nychthemeron, modica dosi, danda est radix Artemisiæ, ut ejus auxilio morbi atrocia et insultuum frequentia aliquantum infringatur. Bonarden drachmam pulveris in chorea S[ti] Viti cum optimo successu exhibuit. Occurrunt etiam testimonia, radicem in convulsionibus variis, herbam vero in catameniis, ex perfrictione vel alia ex causa suppressis, salutarem extitisse.

D. Radix, recens pulverata, absque ulla prævia ægri præparatione, cum cerevisia tenui paululum tepefacta, a 50 ad 70 grana propinatur. Juvat autem dimidiam circiter horam ante futurum paroxysmum, vel mox finito hoc, remedium exhibere. Ægrotum oportet in lecto tepido lodicibus tectum recumbere, et cerevisiam tepefactam superbibere, simulque, diaphoresi superveniente, sedulo contra frigoris influxum se munire. Si post tres doses, summatim sesquidrachmam

efficientes, nullus insequatur sudor, BURDACH liquorem cornu cervi succinatum, ex infuso tepido florum arnicæ, valerianæ, aut serpentariæ sumendum proponit. Puellis, pubertatis tempore, semidrachma, adultioribus vero utriusque sexus grana 35 — 40 — 45 plerumque pro dosi sufficiunt. Elapso nychthemero, eadem dosis repetenda. Urgente necessitate, tertia imo quarta die, idem pulvis exhibendus, et morbo radicitus sublato adhuc per duas circiter septimanas usus ejus continuandus est.

ATROPA BELLADONNA.

Красавица; Одурникъ; Сонная одуръ.

Planta, caule herbaceo, in silvis plerumque cæduis Rutheniæ australis, locisque desertis, umbrosis, sponte crescens, alibi vero hortensis. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ. Perennis. *Usualia sunt:*

FOLIA, magna, petiolata, ovato-acuminata, intense viridia, lurida, odoris narcotici debilis. RADIX, sublignosa, ramosa, e cinereo-flavescens; hæc potentior est foliis. Baccæ, subrotundæ, dum maturæ sunt, cerasa communia admodum æmulantur, nigredine tamen et calyce magno permanente distinguuntur; dolosa speciositate, saporis dulcedine, splendidoque nitore infantes vel rei ignaros non raro allexerunt, et comesæ perniciosissimos effectus produxerunt, qua de re multa et tristia leguntur exempla. Ex inscitia interdum substituuntur Belladonnæ: Hyosciamus Scopolia, vel Solanum nigrum; quod postremum in locis

incultis, ruderatis crescens, foliis est longius petiolatis, ovatis, dentato-sinuatis.

Q. Planta est narcotica ac venenata, odoris nauseosi, saporis acris, subadstringentis. Principium ejus activum est substantia peculiaris alcaloïdes, Atropia dicta, qua omnes plantæ partes, imprimis vero semina abundant; analysi præterea obtenta fuere: acidum malicum (Atropiæ junctum); extractivum azoto prægnans (pseudotoxinum) in aqua et alcohole solubile; materia vegeto-animalis (phyteumacolla); albumen; chlorophyllum; cera; gummi; amylum; varia salia ac fibrina.

V. Narcotica atque sedans; auctiori dosi irritans. Dosibus parvis diutius porrecta, sequentia provocat symptomata: nauseam, quam tamen non semper subsequitur vomitus, siccitatem oris, œsophagi et circumjacentium partium constrictionem, vertiginem, nimiam et immobilem pupillæ dilatationem atque visus obnubilationem, interdum vero perfectam cæcitatem, quæ tamen spatio unius, duorum vel trium dierum evanescit. Dum majori dosi incaute ingeritur, facies fit rubra et tumida, oculi ex orbitis prominent et rubent, ægrotus allucinatur, gestibus et motibus continuis angitur; insequuntur deliria initio mitia, dein furibunda, quæ tardius non raro locum cedunt stupori. Tanta atque tam gravia symptomata non semper enecant veneno imbutos, qui compotes sui facti, rerum hoc tempore actarum immemores sunt. Curam, quæ hocce veneno infectis adhibenda sit, hic subjungere, opportunum censemus. Priusquam quidlibet exhibeatur, vena jugularis secanda, et totum corpus aqua frigida abluendum est; his factis, emeticum e sulphate zinci, vel sulphate cupri porrigendum, cujus actio auf-

cium titillatione promovenda est. Non abs re erit intestina quoque fortioribus purgantibus evacuare, ut tandem aceti usus, a plurimis pro antidoto Belladonnæ habitus, tentari possit. Si autem Cl. Runge testimonio fidem adjungas, aqua calcariæ omnibus remediis palmam præripit. Alii decoctum coffeæ saturatum, ut auxilium salutare, offerunt. Cadavera hocce veneno peremptorum cito putrescunt; corpus plerumque tumet; ventriculus et intestina inflammata reperiuntur; e naribus, ore et auribus sanguis fluit niger et liquidus.

Ex omnibus remediis narcoticis nullum dari Belladonna efficacius ad mitigandos dolores, Trousseau et Pidoux testantur; virtutem vero Belladonnæ, illi quæ opio inest comparatam, in eo potissimum differre asseverant, quod opium in doloribus internis, Belladonna vero in externis lenimen adferat.

U. Ad sedandos dolores, in ipsis nervorum ramificationibus sedem suam habentes, Belladonna insigni pollet efficacia. Experimentis recentissimis extra dubitationis aleam positum est, usu ejus non tantum interno, verum etiam extracto cuti diutius applicato, varias neuralgias posse debellari. Methodus endermica, qua extractum denudatæ cuti, ablata prius vesicantium ope cuticula, superimponi solet, efficacissima prædicatur, quapropter ea caute utendum. Notatu dignum est, extractum dermati cuticula privato impositum, dolorem excitare, quam ob causam nonnulli suadent, ut illud potius super linteum tenue extendatur, ipsoque linteo aversa parte cuti admoto, totum alio linteo cerato obtegatur. In prosopalgia, in primis dum dolor fugax est, optimo successu adhibetur extractum, testantibus Trousseau et Pidoux; porrigitur scilicet qualibet hora quarta grani pars, donec

vertigines appareant, tum doses rarius dantur; hac ratione per plures dies insistendum, donec dolor auferatur; si vero dolor recurrere videatur, cura majoribus disulphatis chiniæ dosibus aut ferri præparatis (hydrate sesquioxydi ferri) consolidanda erit. Similem medendi rationem Lebreton in rheumatismo laudibus effert. Si vero ramus nervi dolorem pariens superficialis est, extractum cuti, epidermide sua tectæ, applicatum, malo certissime medetur; hoc modo neuralgias supraorbitales dimidiæ horæ spatio sublatas fuisse, legimus. Hæc applicationis methodus sequentibus absolvitur: grana decem aut duodecim extracti Belladonnæ, consistentiam syrupi habentis, parti dolorificæ inunguntur, spatio decem minutorum aut horæ quadrantis; tunc pars, extracto obducta, linteo obtegitur humido; quod, nisi dolor evanuerit, post unam alteramve horam repetendum est; plerumque vero tales frictiones bis in die perficiuntur. Non raro, extracti loco, splenia tinctura Belladonnæ madefacta, cum majori utilitate parti dolenti admoventur. In neuralgia, partem capitis capillatam occupante, satius est decoctum ex uncia foliorum ad duas aquæ libras in usum externum ducere. In ischiade chronica, citati auctores sequentem suadent curandi methodum: inter trochanterem majorem et os ischii cutis incidenda est ad telam usque cellulosam, et vulneri immittendus globulus ex duobus, quatuor aut sex granis pulveris foliorum confectus, vel, si extractum præferre mavis, dimidia dosi (quæ nunquam grana quatuor excedat) acquiescendum, atque vulnus dein simplici deligatione obtegendum. Qua remedium anodynum et sedans in variis morbis topicis, Belladonnam experti, eam qua digna est laude, extollere non dubitamus. In hæmor-

rhoidibus furentibus et fissuris ani, unguentum ex pulvere foliorum siccatorum, cum pari axungiæ porcinæ quantitate paratum, plurimum juvat, vel si lubet extracto uti, tunc drachma (ad drachmas duas tresve) unciæ cerati simplicis jungitur; si vero res postularit, ut forma suppositorii, vel ope fasciculi ex linteo carpto, in rectum immittatur, tunc dosis multo minuenda erit, ne symptomata affectionis cerebri superveniant; tali unguento sæpenumero mitigatur pruritus, qui febrim urticariam comitari solet, non neglecto usu interno disulphatis chiniæ, dum morbus forma intermittenti apparet. In arthritide acuta, sedem suam in articulatione, partibus mollibus parum defensa, figente, dolores atrocissimos cataplasmate, ex micæ panis et spiritus camphorati q. s., additis extracti Belladonnæ drachmis duabus et tincturæ opii crocatæ uncia dimidia, sedatos fuisse accepimus; cataplasma hocce parti dolenti applicatum, per duo nychthemera retinendum est. Cataplasmata simpliciora, ex decocto unciæ foliorum Belladonnæ in duabus aquæ libris et sufficienti farinæ seminum lini quantitate parata, efficacissima sunt ad leniendos dolores in abscessibus superficialibus, in ulceribus et cancere exulcerato, in orchitide et inflammatione blennorrhoica bulbi urethræ. Notandum tamen, in variis hisce adfectionibus neuralgicis haud raro præmittendas esse hirudines, imprimis vero in inflammatione gonnorrhoicæ indolis, quo in casu frequenter, cataplasmatis loco, bono successu in usum ducitur unguentum cum extracto paratum, vel extractum per se. Odontalgiam dimidia grani parte extracti, denti carie affecto immissa, profligatam fuisse, constat.

Morborum spasmodicorum caterva virtuti Belladonnæ sæpissime cedit. In rigiditate spasmodica colli

uteri, quæ præcipue in feminis primiparis obtingere solet, collum, immisso digito, unguento Belladonnæ inungitur, porrecto una simul intus (si opus est) secali cornuto, ut necessariæ ad partum uteri contractiones insequantur (CHAUSSIER). Ad solvendam stricturam urethræ spasmodicam vel inflammatoriam, HOLBROCK suadet, ut infusum, ex aliquot granis foliorum paratum, per modum clysmatis injiciatur, adhibitis insimul ejusdem indolis injectionibus in urethram, et fomentis ad perinæum. Eodem scopo WILL cereolos, extracto Belladonnæ illitos, in urethram introducendos proposuit. Narrantur quoque exempla, herniam incarceratam repositam fuisse, postquam clysteres ex infuso injecti, et frictiones topicæ extracto ejusdem susceptæ fuissent. Ob virtutem, qua gaudet in dilatanda pupilla, frequentissimo est usui ophthalmiatris, imprimis ad expediendam catarrhactæ operationem, nec non sub exsudationibus in pupilla, ad præcavendam ejus occlusionem. Non spernendum est remedium, auctore HIMLY, ad dignoscendas, et præcavendas iridis adhæsiones in pupilla artificiali. Hic obiter meminisse juvabit, Belladonnam extrinsecus in vicinis oculo partibus adhibitam, raro visus obnubilationem inducere (CHRISTISON et EHLERS), quod plerumque accidit, dum intus propinatur. In inflammatione recenti mammarum nobis accepta est compositio, qua extracti Belladonnæ scrupuli duo, aquæ lauro-cerasi unciæ duæ, ætheris sulphurici uncia commiscentur; drachmæ duæ hujus solutionis inunguntur superficiei mammarum et sub axillis bis terve in diem. In pertussi perutilem esse, propria experientia edocti, affirmare minime dubitamus. Etsi Belladonna in variis pectoris adfectionibus summum auxilium semper præstiterit, TROUSSEAU et PIDOUX, agrypniam usu ejus sæpe

exortam viderunt, quapropter eam opio jungere soliti sunt. In pertussi, stadio morbi convulsivo ingruente, illi commendant extracti Belladonnæ, extracti opii aquosi cujusvis grana duo, extracti valerianæ drachmam dimidiam, ut fiant pilulæ numero sexdecim, ab una ad quatuor in diem propinandæ; infantibus magis convenit forma liquida. In chronicis hepatis adfectionibus: obstructione, hypertrophia, uti etiam in ictero, virtus Belladonnæ magni æstimatur (Stosch), quem in finem radix ejusdem in connubio cum radice rhei adhiberi solet. Clysmata ex infuso foliorum (grana sex vel octo), ileo vincendo paria fuisse audivimus. De virtute ejus in scarlatina prophylactica, et de efficacia in hydrophobia quid censendum sit, experientia ulterior nos certiores reddet. Sub usu Belladonnæ probe cavendum, ne alia medicamenta, qualitatibus alcalinis prædita, eodem tempore ægroto administrentur, hæc enim virtutem ejus plus minus infringunt, vel plane destruunt.

D. Prudentis Medici est, cum ratione potius timide, quam cum suo et ægrorum periculo animose progredi. Pulveris proinde foliorum granum vel duo, caute et pedetentim ascendendo, ad quina, spatio nychthemeri, adultis recte datur; dosis granorum duodecim, spatio nychthemeri, nunquam excedenda, ne symptomata cerebri affectionem minantia appareant. Infantibus, dum convenit, spatio nychthemeri gr. $\frac{1}{8}$, gr. $\frac{1}{4}$ ad duo. Quum radix efficacior foliis sit, dosis dimidio minor, quam quæ de foliis statuta fuit, propinanda est. Pro infuso et decocto præscribantur foliorum grana sex, et scrupulus nunquam excedendus, spatio nychthemeri; pro usu autem externo foliorum uncia, ad duas aquæ libras. Extracti datur adulto gr. $\frac{1}{4}$ pro dosi, quæ intervallis unius vel duarum horarum sæpius in die repeti potest.

AVENA SATIVA.

Овесъ обыкновенный.

Gramen, quod per universam seritur Rossiam, locisque montosis et macilentis bene viget, in Sicilia vero et in insula Juan-Fernandez, versus Chili, sponte procrescere ANSON innuit. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. Annua. *Usualia sunt:*

SEMINA, oblonga utrinque extenuata, altero extremo latiori, sulco uno medio longitudinali distincta, cortice subangulato, nucleo villoso. Decorticata et ustilagine vitiata, rejicienda sunt.

Q. Insipida; farinacea.

V. Nutritoria; emolliens; demulcens.

U. Frequenti usui cum medico, tum etiam culinari inservit. Decoctum Avenæ in febribus adcommodatissimum restituendo muco deperdito, involvendisque acribus; hinc utilitas ejus imprimis in morbis membranarum mucosarum: diarrhœa, dysenteria, blennorrhagia emicat; nec minus ad deprimendam præternaturalem irritabilitatem in macie et hæmoptysi adhibetur, præsertim decoctum acidulatum, imo etiam clyster ex eodem injectus, si inflammatorium statum tollere lubet, omnino prodest. Subterdatur etiam vulgo, si alvus constipata est, in connubio olei unguinosi, et pro re nata chloridi sodii. Decoctum Avenæ, cum æquali quantitate lactis vaccini mixtum, deficiente infantibus materno aut nutricum lacte, vices hujus eximie supplet. Idem quondam phthisi opponi solebat. Cum cito acescat, præcipue decoctum Avenæ excorticatæ, ultra biduum non debet servari. Farina avenacea tosta, erysipelatosis aliisque mitioribus tumoribus discutiendi ergo superdata, egregie valet. Puls e farina avenacea

confecta, et tepida admota, aptissima est emolliendis maturandisque tumoribus mammarum, a lacte coagulato exortis.

Præter usum medicum, Semina Avenæ optimum nutrimentum præbent. Caledoniæ, Angliæ septentrionalis, Daniæ, Sueciæ, Germaniæ et Rossiæ incolæ ex iis panem (apud Ruthenos: овсянникъ), pultem, jusculum conficiunt, variisque cibariis compositionibus addunt. Ad farinam e seminibus Avenæ, vulgo толокно dictam, Ruthenis usitatam, rite parandam, oportet semina, cribri ope a seminibus Spergulæ arvensis (торица) purificata, aqua bulliente infundere, ebullitionem aliquot candentibus lapidibus sustinere, vase ita operto, ne minima etiam vaporum quantitas avolare queat. Semina hac ratione emollita, de novo in calente furno super cribrum posita siccentur, contundantur, purificentur a palea (плева; кострица), atque demum molis fracta et in tenuissimam farinam mutata, vulgare толокно, *Far avenaceum* præbent, variis morbis adcommodum, imo in tabe utile. Optimum est Uglitshense in Jaroslaviensi Gubernio.

D. Pro decocto Avenæ uncia et bilibra aquæ sumitur.

BALSAMODENDRON MYRRHA (Nees v. Esenbeck).
» » » Kataf (Kunth).
Amyris Kataf (Forskal).

Бальзамическое дерево Мирра.

De planta, cujus Myrrha est succus concretus gummeo-resinosus, particulis æthereo-oleosis penetratus, hucusque decertabatur. Loureiro a Lauro Myrrha, Stackhouse ab Acacia Myrrhifera, Bruce a

Sassa gummifera, vel Mimosæ quadam specie, eam emanare contendunt. FORSKAL vero ex Amyride Kataf eam ortum ducere putat. Nuperrime tandem EHRENBERG in Ægypto ipsemet vidit ejus proventum, eamque elicuit ex arbore, quam Balsamodendron Myrrham nuncupavit; hujus igitur auctoritate nixus NEES v. ESENBECK, arborem descripsit, eamque officinalibus adnumeravit. Nonne eadem est hæc planta ac illa, quam FORSKAL Amyridem Kataf, KUNTH vero Balsamodendron Kataf nominarunt? Non est tamen, ut hac de re acrius disputetur, quoniam verisimile est, arbores istas in Ægypto, ad Arabiæ felicis limites, sæpius in provincia Gison, nec non ad meridionale et orientale maris Erythræi littus provenientes, stirpem constituere, quæ Myrrham largitur, ut exinde variæ ejus species mercaturæ innotescant. *Usualis est:*

GUMMIRESINA MYRRHÆ. Ex Abyssinia in Angliam importatur per Indias Orientales, ad nos vero via Turciæ advehitur, exhibetque frustula irregularia, plus minus teretia, rugoso-gibbosa, varii voluminis, usque ad magnitudinem nucis juglandis; minora granula Myrrha in granis s. in lacrymis audiunt. Frustula et grana coloris sunt pallide vel fusco-rubri, semidiaphana vel passim opaca, nitentia, sub attactu arida simulque nonnihil oleosa. Non est bonæ qualitatis Myrrha, si colorem albidum vel fusco-nigrum præ se ferat, si male oleat, si variis sit mixta impuritatibus vel frustis resinosis, aut gummosis aliis, e. g. gummi arabico, cerasorum vel bdellii; quapropter haud raro necesse est, ex Myrrha mercatorum electa optimam denuo eligere.

Q. Myrrha fragilis est, imo facile in pulverem redigitur fusco-flavum, nonnihil nitidum, sub-pinguem,

olei pinguis vestigia indicantem. Aquam gravitate superat, et quidem, secundum Brisson, pondus ejus specificum = 1,360. Odorem proprium spargit fortem aromaticum, haud ingratum; sapore prædita est amaricante, nonnihil calefaciente, aromatico, subacri. In spiritu vini parcius solvitur, quam in aqua, cerevisia, aceto, vel quovis vino; olea vero vix ullam in Myrrham actionem exercent. Solutiones alcalinæ (Hatchett) et acida diluta, præsertim nitricum et sulphuricum lubenter eam excipiunt; si vero acidum sulphuricum concentratum adhibeatur, in carbonem Myrrham convertit. Braconnot, Pelletier et nuperrime Brandes chemice eam disquisivere, quorum analyses docent, partes ejus constitutivas prævalentes esse: resinam propriam amaram, gummi, oleum æthereum aromaticum, partim aquæ supernatans, partim vero fundum petens, et salia bene multa.

V. Balsamico-stimulans; stomacho idonea; resolvens; actionem membranarum mucosarum nec non sanguinis circuitum adaugens; calorem et dein transpirationem cutis evolvens; menagoga; tonica; et, ut Pringle testatur, corporis putredini validum sistens obstaculum. Mucilagine, qua scatet, involventem præstat virtutem. Hominibus, ad orgasmum sanguinis, congestiones, hæmorrhagias et inflammationes dispositis, minus competit.

U. Interne gummiresina, catarrho chronico, blennorrhœæ pulmonum, asthmati pituitoso et phthisi, ubi diathesis inflammatoria ex toto desit, persæpe convenit, et tum utiliter eidem bitartras potassæ jungitur, noxæ præcavendæ causa; aptius attamen forma pilularum vel misturæ, cum variis congruis, exhiberi potest. Phthisi ulcerosæ, ob stimulantem, qua pollet,

vim, aliena. Chlorosi, amenorrhœæ, dysmenorrhœæ, fluori albo, imo hysteriæ cum variis ferri præparatis, obponitur, præcipue autem mistura Myrrhæ in his morbis commendatur. Commodissimum est, gummiresinam cum extracto fumariæ off., marrubii vulgaris et solani dulcamaræ, in pilularum massam redigere, et si nervorum debilitas vel dissolutio prævalet, gummiresinæ assæ fœtidæ, saponi stibiato nubere. Laudatur etiam in ulceribus internis, vel pulmones, vel intestina, dysenteria superata, gravantibus, sed aut febri, aut inflammatione urgente, aliena. Adhibetur etiam cum lichene Islandico, addita aqua calcariæ, recens parata, et radice colombæ, in ulceribus intestinorum. In phthisi pituitosa (Griffith) et hydrope pectoris prædicatur (quæ gummiresinam Myrrhæ continet) mistura ferri composita. Potest etiam cum cortice cascarillæ jungi, vel sulphur præcipitatum cum extracto centaureæ benedictæ additur ad pilularum massam. Extrinsecus, qua incitans, suppurationem fovens, expurgans et antisepticum remedium, variis convenit ulceribus sordidis, atonicis, phagedænicis, sphacelosis, scrofulosis, scorbuticis, ossium cariei, etc; imprimis autem idonea reputatur in carie dentium et laxitate gingivarum, hinc pulveres dentifricii et hanc gummiresinam recipere solent; tinctura quoque Myrrhæ in dentium adfectionibus bonum sæpe effectum præstitit.

D. A granis decem ad scrupulum et ultra, forma pulveris exhibetur. In solutionibus quoque, misturis variis et emulsionibus, apte propinatur, nilque impedit, quominus pilularem induat formam. Pro re nata ei copulantur gummi arabicum, saccharum, mel, lichen Islandicus, cinchona, sapo, aloë et alia.

BETULA ALBA.

Береза.

Arbor in silvis crescens, frequentissima. Cl. Monœc. O. Tetrandr. O. N. Amentac. *Usualia sunt:*

Folia, ovata, acuminata, serrata. Tenella præferuntur. Cortex interior. Succus Betulinus, Березовый сокъ, perforatis terebra truncis, vel ramis, ineunte vere, ante et sub frondescentiam instar lymphæ stillans. Præfertur superiorum ramorum, tres circiter digitos crassorum.

Q. Principio gummeo-resinoso, alioque volatili empyreumatico, et aromate nititur. Foliorum: odor balsameus, sapor amaro-adstringens. Succi betulini: sapor, ob principium saccharinum, quod illi inest, dulciculus.

V. Foliorum: reactionem exhalantium vasorum excitans; lotium sudoremque leniter ciens; calefaciens. Succi betulini: antipsorica, antiscorbutica.

U. Folia in infuso theæformi adversus arthrodyniam commendantur; eadem decocta extrinsecus psoræ opponuntur, vel in vicem horum ramuli concisi decoquuntur; recentia vero folia calefacta, partibus corporis, hydropisi tumescentibus, post præviam frictionem, superdantur, atque sudore, quem proliciunt, prodesse existimantur. Ruricolæ in Suecia solent contra myodyniam rheumaticam et arthrodyniam sternere foliis lectum, et ægroti totum, præter caput, corpus foliis obtegere; quo sæpe fit, ut moto ubertim sudore convalescant plerique. An in paralysi valeant, ut quibusdam placet, experiundum est. Balnea ex iisdem infantibus rhachiticis, scrofulosis, pustulosis, profuisse perhibentur. Succus betulinus, si ad alvi solutionem

potetur, ascarides subducit; præconia quoque priscorum tulit in urolithiasi, vel præcavendo illi, vel dolores mitigando, quem in finem cerevisia etiam coquebatur. Alii eundem diabeti, retrogradæ psoræ, scorbuto, etc. opposuere. Paratur ex eo fermentatione potio vinosa, sat accepta, quæ gase carbonico abundans, addito saccharo fermentoque, atque, si lubet, adjectis seminibus cardamomi et cortice cinnamomi, gratior fit, vel, prout alii malunt, fructus siccati vitis viniferæ et spiritus vini Gallicus sumuntur, unde, protracta fermentatione, fit fortior, vinum Campanum Galliæ æmulans. Ad hunc fere modum est: Aqua Betulina vinosa. Cortex interior adversus febres intermittentes, præsertim si scorbutica labe stipantur, item ad ulcera externa in decocto laudatur. Rustici Scandinaviæ eundem calceis immittunt ad revocandum sudorem pedum suppressum. An is cum tritis glandibus quercus r. commistus, pani, urgente annonæ caritate, ut id in ea Rossiæ rubræ parte, quæ Podolia vocitatur, factum est, substitui queat, dubito sane; altrix enim ejus facultas nondum est demonstrata. In Rossia oleum empyreumaticum Betulinum (дёготь) e cortice, ubi deglubitur is, elicitum, præterquam quod ungendis vehiculorum rotis inserviat, adhibetur in hæmorrhoide. Alii exhiberi cum fructu posse in obstructione viscerum abdominalium, ictero, amenorrhœa, hydropisi, diabete, fœditatibus cutis, psora, herpetibus, imo carcinomate ipso existimant. Laudatur etiam in pestilentia, si videlicet vestimenta oleo betulino imbuantur, totumque eodem corpus illinatur; sandapilarios hoc modo a malo immunes reddi, experientia haud æquivoca docuit. In typhis pestilentialibus plantis pedum et volis manuum infricatur, aut

ope lintei, eodem madefacti, admovetur. Contra vermes etiam valere dicitur. Ruthenica plebs utitur eodem contra blennorrhœam, et extrinsecus cum acetate plumbi ad ulcera syphilitica.

D. Succi betulini bis vel ter in die selibra, præcipue in urolithiasi; oleum betulinum a guttis duabus ad sex datur, aut forma pilularum a guttis totidem ad decem et ultra cum sapone oleaceo, pulvere radicis glycyrrhizæ glabræ aut saccharo.

BIDENS TRIPARTITA.

Череда.

Planta in locis humidis, pratis et paludibus frequens. Floret mense Augusto. Cl. Syngenes. O. Polygam. æqualis. O. N. Synanthereæ. Annua. *Usualis est:*

Herba cum floribus; foliis oppositis, petiolatis, basi adnatis; floribus flavis, discoideis; calyce squammis fusco-flavescentibus obsito.

Q. Odor herbæ recentis contritæ peculiaris, ingratus, aromaticus; sapor initio insipidus, dein acriculus et nonnihil austerus; salivam colore ex flavo-virescente tingit. Infusum aquosum a sesquichlorido ferri colore læte viridi intensiore imbuitur. Partes constitutivæ sunt: mucilago, oleum æthereum acre, principium tingens flavum et subviride.

V. Leniter alvum ducens; in systema lymphaticum agens.

U. Adhibetur in connubio aliorum, pari virtute pollentium, in chronicis exanthematibus et tumoribus glandularum lymphaticis; hinc cum jacea et sarsaparilla in scrofulis (Videsis: Species Violæ tricoloris et Bidentis tripartitæ).

BOLETUS IGNIARIUS.

Губка древесная; Трутъ.

Putrescentibus Betulæ, Fagi, Juglandis, Quercus Tiliæ etc. caudicibus insidet, alte in ligneam compagem penetrans. Cl. Cryptogam. O. Fungi. O. N. Fungaceæ. *Usualis est:*

Ad finem æstatis collectus.

Q. Tenuissime porosus, superne cinereus, margine albescens, inferne albidus. Odoris æque ac saporis expers.

V. Styptica; externe adhibiti, sanguinem mechanice sistens.

U. Internus Boleti igniarii usus jam obsolevit; olim intensiore siccatus igne, atque in subtilem pulverem tenuatus, sudorem phthisicorum, a granis decem ad scrupulum, e quovis apto vehiculo porrectus, cohibere putabatur. Extrinsecus adhibetur:

BOLETUS IGNIARIUS PRÆPARATUS.

Agaricus Chirurgorum.

Приготовленная древесная губка.

Boletus igniarius, e caudicibus Fagi et Tiliæ collectus, duricorius, a cortice externo, fistulosaque substantia sollicite cultri ope separatus et discissus, mallei ictibus submittatur, donec adeo mollescat, ut instar pellis rupicapræ inter digitos diduci et in minores partes discerpi queat.

U. In hæmorrhagiis externis, violenta vulneratione vel dissectione arteriarum, nominatim sub quavis incisione chirurgica, enatis, omni festinatione sedandis, jam dudum in existimatione est apud Chiriatros. Ad-

plicatio ea est, quod frustum vulneri paulo amplius imponatur, atque aliud huic majus superdetur; utrumque vero adparatu consueto, arterias læsas comprimente, in situ contineatur, haud neglecta (sanguine uberius manante) sub initium torcularis adplicatione. Hoc intelligitur de læsione ramulorum minorum, qui ligaturam respuunt; in omni autem casu, ubi ligatura imponi queat, semper hac uti oportet ad hæmorrhagias ex arteriis læsis provenientes sistendas. Lycoperdon Bovista (Bovista Chirurgorum, *Дожжевикъ*, fungus, in pascuis et pratis siccioribus crescens), eandem promittit utilitatem, plurimumque celebritatis nactus est vi, qua ad hæmorrhagias cohibendas pollet.

BOS TAURUS.

Bos; Vacca; Vitulus.

Быкъ; Корова; Теленокъ.

Ubivis locorum, per totam Europam, præprimis autem in Helvetia, neque minus in Americæ meridionalis partibus nonnullis. Fam. Cavicornea. Cl. Mammalia. O. Ruminantia. *Usualia sunt*:

Caro bubula, vitulina cum ossibus, e qua et e pedibus vitulinis coctione parantur juscula et gelatinæ. Lac, quod videsis suo loco. Saccharum lactis, e sero evaporatione atque crystallisatione, idque in Helvetia et Lotharingia magnis in fabricis paratur. Butyrum insulsum, pars oleosa, e lacte vaccino arte obtenta. Sevum bubulum, pinguedo e capsulis adiposis cordis, renum et maxime omentorum, eliquata. Bilis taurina recens, vesicularum fellearum. Caro in usum medicum adhibenda debet esse recens, ubi gelatinam pa-

rare lubet; fibrosæ carnis partes, ventriculum mechanice irritantes, removeantur. Sevum bubulum, ut hircinum et ovillum, quæ alterum pro altero sumi possunt, rancIditate, odore et heterogeneo quodam admisto, sint libera.

Q. Carnis in principio ipsius glutinoso sita est. Odor, si recens, nullus. Bilis extracti formam habet, e fusco virescentis, proprii odoris et intense amari saporis. Aqua plane solvitur bilis taurina; ex solutione autem in alcohole facta deponitur principium albuminosum, peramarum. Nec cum alcalibus effervescit, nec cum acidis, sed posterioribus densatur. Oleis unguinosis exacte unitur, nec itidem volatilibus.

V. Gelatinæ: nutriens; Bilis: stomachica; antacida; anthelminthica; motum intestinorum justo tardiorem accelerans.

U. Juscula et gelatinæ in tabe, sub febre hectica, nutrimentum præbent, in scorbuto etiam utile, variisque malis bene multis aptum, ubi e re est languidum reficere corpus, materiamque organicam deficientem restaurare. Sevum bubulum ad emplastra unguentaque paranda usurpatur. Bilis taurina recens, in qualibet aromatica aqua soluta, dysenteriæ præsidio est (Horn); convenit pariter debili stomacho, hypochondriacis, hystericis. Externe: maculas corneæ superficiales dissipare posse existimatur.

D. Bilis recens porrigitur aliquoties de die ad semunciam cum aromatica quapiam aqua; spissata vero a scrupulo ad drachmam cum sapone oleaceo, extractis amaris, ferro limato, in pilulis. Cæteris amaris vix præstat.

BRASSICA NAPUS.

Капуста рѣпчатая; Дикая рѣпа.

Planta copiosissime cultura crescens. Cl. Tetradyn. O. Siliquosæ. O. N. Cruciferæ. Biennis. *Usualia sunt*:

Semina, rotunda, fusca, nucleos albos, oleo farctos includentia, amariuscula, acricula. Radix.

Q. Oleosa. Tertiam partem ponderis olei unguinosi largiuntur; immatura vero semina dant vilius et parcius.

V. Eadem quæ cæterorum oleorum.

U. Oleum napinum *(рѣпное масло)* e seminibus B. Napi, ubi probe maturuerunt, expressum, in militari praxi aliis oleis, pretii carioris, substitui potest, præcipue depuratum, quod etiam ad enervanda venena fertur efficax. Saponi insuper viliori, et opificiis laneis crudum inservit, præterea ad lampades adhibetur; ardens tamen, fuligine sua pectus gravare, supellectilem inquinare, et stupa dum extinguitur graviter fœtere, perhibetur. Radices napinæ in Gotlandia edules et sapidæ sunt. Ob dulcem succum eas levare tussim, haud est absimile vero. Scorbuticis prosunt.

CANNABIS SATIVA.

Конопля.

Planta, Indiæ indigena, in Ruthenia ubivis locorum per hortos et agros abundantissime colitur, in Perside, nec non ad Wolgam, Achtubam, et ad fl. Török crescit spontanea. Cl. Diœcia. O. Pentandr. O. N. Urticaceæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina (fructus bi-valvati) subrotunda, glabra, binis valvis, oleoso-mucilaginosa. Immatura, impura, quandoque et rancida, improbantur. Provinciarum (Rossiæ albæ) Witebscensis et Mohilowiensis Cannabis præ cæteris laudatur.

Q. In oleoso et mucilaginoso residet principio. Odor plantæ virosus.

V. Seminum demulcens; sedans; nutriens.

U. Scopo involvendi, semina diarrhœis, stranguriæ, ab inflammatione viarum uriniferarum, apta sunt, sic blennorrhagiæ, urolithiasi; imo etiam in ictero spasmodico, tussi catarrhali, profuisse feruntur. Arabes, teste Simeone Setgi, exprimunt succum ex foliis inebriantem, cacumina item cum melle comedunt (Lister), ad propitiandam animi domesticam sollicitudinem, quod occasionem, ut verosimile est, dedit, succum Cannabis sativæ in opii locum proponendi. Caffri loco nicotianæ illam fumant.

D. Uncia seminum cum libra bullientis aquæ conteritur, atque colatur, ut fiat emulsio; vel semuncia seminum libra bullientis aquæ infunditur. Semina contusa, lactique incocta, pro cataplasmate adhibentur.

CAPSICUM ANNUUM.

Piper Indicum; P. Hispanicum seu Turcicum.

Перецъ стручковый, Испанскій или Турецкій.

Planta annua Indiæ Occidentalis et Americæ Australis; in India Orientali et apud nos frequenter culta. Caule herbaceo, floribus solitariis, fructibus polymorphis. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ. *Usualis est:*

Fructus, capsula baccata, plerumque conica et longa, vel ovalis, cordiformis, angulata, globosa etc., rubra vel lutea, seminibus reniformibus, compressis, albidis referta. Ex Hispania et Indiis Occidentalibus jam præparatum, pulveris nempe forma, ex baccis piperis longi siccatis et seminibus privatis facti, ad nos importatur, subinde chlorido sodii et oxydo plumbi adulteratum. Ad detegendum plumbum, Capsicum in aceto coquendum est, et liquor colatus secundum chemiæ præcepta explorandus (Videsis Oxydum Plumbi).

Q. Eximia, proprio innixa principio. Odor recentis est nonnihil obstupefaciens; sapor piperi analogus, magis vero stimulans, pungens, ignis ad instar urens et mordens, diu remanens, nec siccatione auferendus. Secundum analysin Cl. Braconnot partes constitutivæ sunt: principium acre (capsicinum), cera rubra, materia azotica aqua solubilis, gummi, pectas *) potassæ, citras potassæ, phosphas potassæ, nec non chloridum potassii. Principium Capsici acrimoniam constituens, alcalinum esse creditur, coloris flavescente-rubri, odoris balsamici haud ingrati, gustus debilis balsamici, cito in acrem et urentem abeuntis; solubilius in aqua, et majori pollens saturationis capacitate, quam cætera alcalia vegetabilia; cum oxydo plumbi et acido hydrochlorico sal formans triplex, acrimonia vix cedens alcali mero. Infusum Capsici decomponitur nitrate argenti, bichlorido hydrargyri, acetate plumbi, sulphate ferri, sulphate zinci, s. cupri, sesquicarbonate ammoniæ, carbonatibus alcalinis, alumine et infuso gallarum; acida vero, fortiora etiam, citra incommodum, cum eo misceri possunt.

---

*) Acidum pecticum, aliis acidum gelatinicum est.

V. Stimulans; peptica; externe rubefaciens.

U. Culinaris, præsertim apud indigenos. In India pro conficienda peculiari conditura, Achiar, Atchar, Atsiaar, dicta, magna dispenditur copia, nec non pro acetariis, aliisque edulibus quotidiano venit usu regionum calidiorum incolis, qui acerrimas istas capsulas cum pane impune comedunt, aliaque acria aromata commode ferunt. Qua calefaciens ventriculum, quin pulsus aut cerebrum exinde turbentur, multis in morbis indicatur, languorem, torporem et atoniam secum ferentibus, hinc dyspepsiæ convenit, anorexiæ, flatulentiæ, rheumatismo, podagræ, paralysi, hydropi aliisque cachexiis tonica exposcentibus, præsertim martialibus junctum. In febribus intermittentibus protractis et repullulantibus cum successu adhibuit Capsicum Bergius, sub forma pulveris, drupis lauri nobilis nuptum. Iisdem in febribus cinchonam adjuvat. Laudatur in typho, vi vitali submissa, paralysi aut pronitate humorum in putredinem minante. Cynanchæ et scarlatinæ malignæ multas fert opes, æque ac lethargicis affectionibus, tam externe, quam interne. In vomitu nigro, quo febris flava adoriri solet, cum successu exhibitæ sunt pilulæ e fructus Capsici annui drachma, farinæ secalitiæ granis quinque et aquæ s. q. ad formandas pilulas duodecim, quarum una secunda quaque hora propinabatur. Prævalente habitu scrofuloso, in nostalgia, qua imprimis Parvo-Rossi, per oras boreales militare coacti, affliguntur, a multis in connubio martialium commendatur. Succus baccarum Capsici recentium in ophthalmiis chronicis, æque ac infusum in amaurosi, oculis guttatim instillata, protracto præsertim usu, maxime utilia dicuntur. Condimentum, Anglis *Cayenne pepper* dictum, ex Cayenna adlatum atque a Britannis

medicinæ loco adhibitum, e seminibus Capsici frutescentis seu baccati (bird pepper), mola contritis, farina triticea et panis fermento componitur; massa in furnis siccata pulveris formam facile subit.

D. Fructus Capsici annui in pulvere a duobus ad sex grana, cum ligno quassiæ amaræ, vel alio congruo exhibetur.

CARDAMOMUM MINUS.

Кардамонъ.

Alpinia Cardamomum ROXBURGH; Elettaria Cardamomum WHITE; Amomum repens SONNERAT; nuperrime Matonia Cardamomum a SMITHIO ad nomen MATONIS, ut pote qui primus genus hocce distincte stabilivit, insignita. In India Orientali, Java, Ceylona, Cochin et Calicut, in locis nemorosis ad radices montium crescit; ad littora etiam Malabar in summis montibus humidis et umbrosis frequens; præcipue in provincia Winaud, ad montes orientales Ghauts dictos, optimum colitur. Cl. Monandr. O. Monog. O. N. Scitamineæ. Perennis. *Usualia sunt:*

SEMINA, aromatica, nigricantia, capsulis inclusa triquetris, utrinque acuminatis, longitudine linearum quinque, pericarpio fragili pallide-luteo instructa, quæ *Cardamomi minoris fructus* vocantur *). Sero jam autumno collecta, moderato igne caute siccantur, ut color eorum viridis in flavum stramineum abeat. Fructus hi præcipue ab Anglis ad nos apportantur. Venalibus in-

---

*) Fructuum species diversæ dantur: 1) Valli-kai, fructus optimi; 2) Nadu-kai qualitatis mediocris et 3) Poulo-kai fructus nondum maturi.

terdum vetusta, vermiculosa, semihiantia, marcida, situm redolentia, rei medicæ aliena, admiscentur.

Q. Sapor acris, aromaticus; odor fragrans, acceptus. Constant semina hæc: muco, fæcula, resina, et oleo æthereo, cui imprimis virtutem suam debent. Alcohol vel æther, dum in illis semina digeruntur, efficaciam eorum recipiunt, aqua vero exiguam tantummodo partem extrahit. Infusum Cardamomi minoris aquosum turbidum est, quod addito alcohole, acidis, solutione bichloridi hydrargyri vel disacetatis plumbi, colorem mutando, præcipitatum floccosum deponit. Sulphas ferri idem facit, non tamen, ut modo memorata, colorem mutat. Tinctura seminum Cardamomi minoris, addita aqua, colorem luteum induit.

V. Stimulans permanens; aphrodisiaca; stomachica; anthelminthica; tonica; minus tamen excalefaciens, quam alia aromata.

U. Remedium est efficax in debilitate ventriculi, dyspepsia, cardialgia, nec non enterodynia flatulenta. Qua adjuvans, amaris nuptum, in stomachi affectionibus, a podagra oriundis, usitatum; cum rheo et magnesia in colica infantum flatulenta optimum; cum purgantibus, ad moderanda tormina, adultis convenit. Ut condimentum ciborum insuper adhibetur, et variis medicamentis in atonicis canalis intestinalis affectionibus commode additur.

D. Pulveris grana quinque ad scrupulum; in infuso, præcipue vinoso, drachma una alterave præscribenda.

CAREX ARENARIA.

Gramen rubrum.

Осока песочная.

In solo arenoso, præsertim mobili, per totam Rossiam crescens; in Wolgæ sabuletis copiosissima. Cl. Monœc. O. Triandr. O. N. Cypraceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix prælonga, repens, articulata, nodosa, extrinsecus rubens, intus alba; Majo et Junio colligenda. Cum Carice hirta et C. intermedia neutiquam confundenda; prior ex nodis et interstitiis fibras emittit, spicis omnibus oblongis, femineis, remotis, vaginatis, vaginis lanato-villosis, capsulis hirtis; altera autem crescit in pratis paludosis, spicis est longioribus, mediis masculis, superioribus et inferioribus vero femineis, capsulis marginatis, membranaceis.

Q. In principio extractivo mucilaginoso, et pauca resina balsamica residens. Odor radicis recentis resinoso-terebinthinaceus debilis, haud ingratus, turionum pini odori analogus, siccatæ vix ac ne vix ullus; sapor farinaceus, amaricans, dulciculus, nonnihil irritans. Partes constitutivæ necdum recte indagatæ; cæteris prævalent principium extractivo-mucilaginosum, amylum et resinæ balsamicæ tantillum. Quatuor unciæ radicis, Pfaffio teste, 6 — 7 drachmas extracti aquosi, 2—3 spirituosi, majori amaritie pollentis, largiuntur, extracto utroque odorem guajaci æmulante. Ipsa radix a tinctura jodi colore atro-cæruleo tingitur.

V. Systema vasculare et lymphaticum incitando,

cutis renumque secretionem promovendo, in morbis ex abnormi humorum mixtione et vasorum secernentium atonia provenientibus, imprimis utilis est. Sarsaparillæ aliisque hujus prosapiæ haud absimilis, imo nonnullis palmam eripiens, qua remedium leniter excitans, diaphoreticum et diureticum, sic dictis purificantibus adnumeratur.

U. Ut pote remedium, quod morbidam reproductionem cohibet, imprimis syphilidi, cutis fœditatibus herpeticis, impetiginosis, imo arthritidi, rheumatismo, nec non morbis chronicis variis, viscerum obstructionibus stipatis, cum successu opponitur. Pro succedaneo sarsaparillæ babetur, eique ob levius pretium a quibusdam substituitur.

D. Concisæ radicis uncia in aquæ libra coquitur ad semilibram, et vasculatim præbetur.

CARUM CARVI.

Тминъ; Тимонъ.

Planta caule ramoso, foliis basi vaginantibus, involucro vix ullo, in pratis Rossiæ, præsertim australis, spontanea. Cl. Pentand. O. Digyn. O. N. Umbelliferæ. Biennis. *Usualia sunt:*

Semina (fructus diachæni) ovato-oblonga, fusca, striata, aromatica; arena, lapillis et aliis impuritatibus, sedulo rejiciendis, interdum contaminata.

Q. In oleo volatili residens; odor peculiaris aromaticus, gravis, haud ingratus; sapor acris, amaricans, aromaticus, calefaciens. Seminum cultorum et volumen majus, et aroma gustui gratius, et major olei quantitas, quam sponte crescentium. Destillationis ope

semina oleum produnt æthereum decolor, acre, urens.

V. Stimulans; excalefaciens; carminativa; resolvens; galactopœa.

U. Panis, nec non aliorum ciborum condimentum; inter indigena non spernendum exstat stimulans, in nervos abdominis imprimis agens. In dyspepsia, præcipue infantum, flatuum molestiis, et spasmodica vomitione sese manifestante, vel si malum hujusmodi adultos ex perfrictione, vel ciborum abusu, vel vigente malo hypochondriaco, vel hysterico invaserit, adcommodum habetur remedium. Lac etiam nutricum auget (Darel). Infusum cum melle mucum pulmonum resolvit (Blair). In colica flatulenta fomentationes tepidæ ad abdomen, vel clysteres, ex infuso concentrato parati, utiles esse solent.

D. Vel masticantur semina, vel in pulvere cochlearibus parvis per se, aut in jusculis adhibentur. Oleum tam interno quam externo usui idoneum. Interne ad quinque propinatur guttas cum saccharo; externe vel per se, vel cum linimento ammoniæ. Pro frictione, olei semidrachma, linimenti ammoniæ uncia; pro clystere decem, aut viginti guttæ, in tantillo alcoholis soluti et cum tepida aqua permisti, adhibentur.

CARYOPHYLLUS AROMATICUS. L.

Eugenia Caryophyllata. Thunb.

Гвоздичное дерево.

Arbor pulchra et procera Indiæ Orientalis, in insulis Moluccensibus, præsertim Amboyna, Honimoa, Oma et Nousalant crescens, novissimisque temporibus

ad alias etiam insulas, nempe Mauritiam, Cayennam, Dominicam et Sumatram, translata et ibi culta. Cl. Icosandria. O. Monogynia. O. N. Myrtaceæ. *Usuales sunt:*

Flores inevoluti, seu gemmæ florales (*Caryophylli aromatici, Гвоздика*), clavulis forma similes, leniter siccati ex fusco nigricantes; calyce infundibuliformi, quadrifido; petal. 4; bacca sicca, ovata, laciniis calycis coronata. Flores colliguntur mense Octobri et Novembri, antequam aperiantur, et dum adhuc sint virides, siccanturque solis calore, postquam per aliquot dies fumigati erant. Eligantur sat fusci, grandes, ponderosi, e quibus ungue pressis olei aliquid exsudet; leves autem, molles, rugosi, sordidi, pallidi, odore et sapore carentes rejiciendi sunt.

Q. Caryophylli bonæ notæ gaudent odore forti, peculiari, grato, fragrante, balsamico et aromatico; sapore nonnihil amaricante, acri, qui diu in ore permanet. Lodibert in his floribus invenit caryophyllinum; pleræque tamen Caryophylli species, teste Trommsdorf, vix ulla ejus continent vestigia. Aqua recipit Caryophyllorum odorem, sed parum extrahit eorum saporis. Alcohol utrumque elicit, et evaporatus relinquit extractum pungens et urens, absque ullo odore. Æther extrahit omnes eorum qualitates, et dum tinctura evaporatur, sat magna remanet quantitas resinæ admodum pungentis, acris et pinguis, et aliqua pars principii extractivi.

Oleum destillatione obtentum, ab initio coloris expers est; dein successive in mere flavum, imo fuscoflavum abit. Odorem intensum spargit caryophyllaceum; saporis acris, urentis, pungentis est; pond. spec. = 1,232. Paululum saltem tincturam heliotropii ru-

bro inficit colore, et Bonastre ac Soubeiran testibus cum alcalibus mixtionem init. Venale, quod prostat, oleo ricini plerumque adulteratum est.

V. Stimulans; exæstuans; stomachica; menagoga; masticati, copiam salivæ proliciunt.

U. Caryophylli aromaticis substantiis proprias virtutes possident in summo gradu; hinc cum fructu adhibentur in morbis abdominis atonicis, quo spectat dyspepsia, status mucosus canalis intestinalis, diarrhœa, nausea, vomitus, colica, nisi status febrilis et dispositio ad inflammationem vel activas hæmorrhagias usum eorum prohibeant. Sed imprimis, ut sapor remediorum, quæ interne summuntur, emendetur, haud secus ac cortici cinchonæ, in infusis et pulvere, ut melius digeratur, addi solent. Externe adduntur aromaticis cataplasmatibus, abdomini imponendis in rheumatica et spastica affectione canalis cibarii, vomitu, diarrhœa, cholera, et ad fluxum mensium vel lochiorum promovendum; ingrediuntur etiam pulveres et electuaria, dentibus purgandis inservientia. In India mos est in paralysi uti balneo, quod flores excipit, vel linimento ex oleo, cui iidem incocti sunt. Odoramentis præterea inserviunt, et balsamis, pomadis, nec non pulveri fumali addi solent.

Oleum Caryophyllorum, ut corrigens, jungitur extractis amaris et resinis cathartico-drasticis, quorum vis purgans intenditur hoc connubio, et nonnunquam gossypio exceptum denti carioso applicatur ad odontalgiam sopiendam, nec non linguæ illinitur in paralysi ejus ad dolores pacandos. Sed hæc praxis cum grano salis, et quidem tunc solummodo tentanda est, quando nulla inflammatio adest; secus mitigati ad tempus dolores iterum cum majori violentia recrudescent.

Cariei admotum plagam ossis, morbo correptam, sanasse fertur. Idem in natali arboris solo remedium est in paralysi suetum.

D. Florum grana quinque usque ad decem cum saccharo in pulvere; olei gutta ad duas vel tres, cum saccharo tritæ pro dosi propinantur; fit etiam infusum ex drachma Caryophyllorum et unciis sex aquæ fervidæ, quod cochleatim porrigitur.

CASTOR FIBER.

Бобръ.

Animal Europæ, Asiæ et Americæ borealis mediæque, cujus numerosæ familiæ, gregatim habitantes, in locis desertis, nemorosis, ad fluviorum et lacuum ripas ædificia sua struere solent. Sæpe in Rossia et Siberia, rarius in Livonia et Polonia, nonnunquam in Germania, frequentissime autem in Canada capitur. Cl. Mammalia. Ordo. Glires. Fam. Castorina. A quibusdam inter amphibia numeratur. *Usuale est:*

Castoreum (*Бобровая струя*), substantia peculiaris, in folliculis excretoriis (neutiquam vero testiculis) utriusque sexus, inter anum et genitalia externa sitis, collecta et membranulis tenuioribus intertexta. Animal quatuor folliculis præditum est, quorum minores superiores, substantia pinguinosa (non vero Castoreo, ut quidam putare malunt) sunt repleti, majores vero inferius positi, Castorei ad uncias duas largiuntur. Ex his etiam voluminosior folliculus Castoreum præstantius præbet. Capto animali folliculos præscindunt venatores, et siccant per septem vel octo circiter dierum spatium sub solis (neutiquam fumi) influxu.

Q. Castoreum est substantia, in cellulis folliculi membranaceis secreta, resinoso-oleosa, spissa, unguinosa, inflammabilis, extrinsecus grisea, intus flava, odoris aromatici gravis, eoque gravioris, quo Castoreum præstantius censetur; saporis nauseosi, amaricantis. Venale prostat duplicis generis, scilicet: 1) *Castoreum Ruthenicum s. Sibericum;* hoc inclusum est folliculis largis, piriformibus, ponderosis et solidis, qui siccati colore fusco-hepatico distinguuntur; et 2) *C. Canadense,* quod continetur folliculis parvis, oblongis, duris, tenuibus, curvatis, extrinsecus corrugatis. Castoreum Ruthenicum habetur præstantius; ammonia tractatum, album colorem induit, Canadense vero aurantiacum. Bouillon Lagrange in Castoreo carbonatem potassæ, calcariæ, et ammoniæ, ferrum, resinam, substantiam mucilaginosam, nec non extractivum, et oleum volatile detexit. Thiemann et Laugier in Castoreo Canadensi acidum benzoicum repererunt; Bizio vero ex Castoreo, in alcohole cocto, substantiam peculiarem, *Castorinum* nuncupatam, præcipitatione obtinuit, non tamen adeo distinctis qualitatibus prædita est ista substantia, ut pro principio peculiari haberi mereatur. Alcoholi, spiritui vini et ammoniæ, imo aquæ, Castoreum communicat suas qualitates.

V. Ejusdem stimulans; nervina; antispasmodica; anodyna; menagoga; aphrodisiaca; moscho similis. Volatilem fugacemque præbet systemati sensifero stimulum, qui remissionem præcedentium turbarum infert; cum tamen majorem quam moschus resinæ copiam contineat, multo diutius incitat, vasa in primis sanguifera adficiendo.

U. In typho nervoso, directa atonia orto, pulsu arteriarum debili, tremulo, intermittente, deliriis

stipato; in febribus intermittentibus, adynamia conspicuis; item in hypochondriaseos et hysteriæ symptomatibus, irritabilitate abnormi, citra tamen nauseam et vomendi conatus, molestis; imo in enterodynia spastica, cum flatuum copia juncta, est eximiæ efficacitatis. Multum præstat in spasticis motibus apyretis, quibus hystericæ menstruis deficientibus vexantur. Tulit etiam præconia in spasmodico asthmate, lipothymia, vertigine, insultibus hystericarum apoplecticis, epilepsia etc. Ob vim uterum stimulandi exhibetur cum fructu adversus spasticos puerperarum dolores, aut catameniorum suppressionem.

D. Pulveris forma a granis quinque ad semiscrupulum, vel etiam scrupulum, cum saccharo, magnesia, aut gummi arabico datur, adjunctis, pro re nata, radice valerianæ off. camphora et opio. Pilulæ etiam fiunt ex eodem cum extracto marrubii vulgaris, menyanthidis trifoliatæ, assa fœtida et pulvere radicis rhei. Pro clystere drachma sufficit.

CENTAUREA BENEDICTA.

Carduus Benedictus.

Волчецъ кудрявый; Стоголовникъ.

Planta in Europa australiore, præcipue in insulis Archipelagi frequens; in hortis vulgo culta. Cl. Syngen. O. Frustranea. O. N. Synanthereæ. Annua. *Usualia sunt:*

Herba florens, peramara, floribus compositis, tubulosis, croceis; calyce cum foliis adjacentibus ope texturæ arachnoideæ cohærente. Semina, oblonga, leviter incurva, basi ad latus exsecta, striata, supra mar-

gine serrato coronata, cortice griseo, amaro vestita, intra quem medulla alba, dulcis.

Q. Sapor herbæ pure et intense amarus inhærens; seminum dulcis, mucilaginosus; odor ingratus herbæ. Extractivo amaro nititur.

V. Stomachica; antacida; sudorem blande movens. Vomitum ob amaritiem nauseosam aliquoties movit.

U. In infirmitate stomachi, pituita gravati, et lenta digestione hinc orta, præsentanei effectus, bilem corrigendo, digestionem firmando, stases pituitosas solvendo, ipsi vermium genesi officiens. In febribus intermittentibus diuturnis, obstructione viscerum stipatis, expedit extractum, cum extracto matricariæ chamomillæ, fumariæ off. tritici repentis, addito acetate potassæ liquido; valentius adversus stases diuturnas reserandas, quam potentiora stimulantia agit. In ipsis febribus remittentibus, ubi ventriculus et intestina humoribus viscidis scatent, extractum plurimi pensum cum tinctura valerianæ, et infuso serpentariæ virginianæ. In morbis pulmonum, ad solvendas stagnationes in glandulis pulmonalibus, movendos screatus, a quibusdam laudatur. In tabe et hydropibus eximium est adminiculum aliorum, scillæ m. exemplo et gummi guttæ, quibus officit, quominus ventriculo insidias struant. Denique ulcera tibiæ inveterata et profunda, persanata fuisse feruntur emplastro, quod folia Centaureæ excepit (Arnold). Semina ad sudorem movendum data sunt cum successu, item ad eruptionem variolarum et morbillorum accelerandam.

D. Exhibetur in aqua bulliente infusa herba, vel extractum aquosum: hoc frequentius et commodius illa. Extractum a granis decem ad scrupulum exhibetur in pilularum forma. In infuso, ad aquæ bullientis un-

cias octo semuncia herbæ. Seminum emulsionis forma convenientissima; opus vero habet ad minimum decuplo aquæ, et grisea evadit.

CENTAUREA CALCITRAPA.

Carduus stellatus s. Calcitrapa.

Чертополохъ звѣздчатый или хохлатый; Приворотникъ; tatarice *Коралъ.*

Planta in australibus Rutheniæ oris, in primis vero Chersonesi tauricæ atque Iberiæ, in locis incultis et ad vias copiose crescens. Cl. Syngenesia. O. Frustranea. O. N. Synanthereæ. Annua. *Usualis est:*

Herba, foliis pinnatifidis, linearibus, dentatis, caule piloso, calycibus subduplicato-spinosis, sessilibus, corollis radii purpureis, disci albidis.

Q. In principio extractivo amaro residet.

V. Resolvens; diuretica; seminum præcipue adstringens.

U. Ab incolis Chersonesi tauricæ decoctum herbæ in profluviis alvi asthenicis cum successu adhibetur. In obstructionibus etiam valet, quo in casu succo taraxaci, fumariæ off. etc. videtur esse analoga. Laudatur quoque in febribus intermittentibus, in iis, ut verosimile est, quarum proxima causa in visceribus infarctis latet. Calculosis utilem esse plura exstant documenta.

D. Exhibetur plerumque forma decocti e sescuncia herbæ siccatæ et concisæ in aquæ libris tribus et semis, ad remanentiam bilibræ parati, et vasculatim sumendi. Pulveri pariter locus est, cujus scrupuli duo aliquoties in die sumuntur. Succi foliorum re-

cens expressi, in qualibet aqua aromatica soluti, drachma, vel sicilicus, per diem bibitur.

CERVUS ELAPHUS.

Олень.

In tota septentrionali regione, præprimis autem in Kamtschatka. Æstivo tempore gregarie silvas ac montes elatiores, hiemali vero depressa muscosaque loca inhabitare solet. Cl. Mammalia. O. Bisulca. Ruminantia. ***Usualia sunt:***

Cornua, solida, ramosa, ab aliorum ruminantium cornubus facile distinguenda. Datur in officinis, præter integra cornua, ***Rasura cornu Cervi***, seu ***C. C. raspatum***, griseo-albicans, fragile. Sevum, quod ex capsulis adiposis, præsertim renalibus, animalis hujus eliquatur. Rasura cornu Cervi solet aliquando a turpilucricupidis lignea scobe falsificari, sed fraus colore albissimo, ac difficili fragilitate detegitur. Sevum flavescens, rancidum, amaricans, minus aptum est usui medico.

Q. Cornu: mucilaginosa. Odor et sapor nullus. Prunis inspersa rasura fœtidum spargit odorem. C. C. rasum, cum aqua diutius in vasis clausis excoctum, præbet liquorem, qui refrigeratus ***Gelatina cornu Cervi*** dicitur. Sevi: oleosa. Odor, si probe depuratum est, nullus; sapor autem blandus.

V. Sevi emolliens; gelatinæ nutriens, involvens.

U. Gelatinæ, morbi asthenici, colliquativi, phthises, tabes, febres hecticæ etc. Semper tamen, præcipue in praxi militari, huic gelatinæ substitui potest illa recens ex ossibus bubulis parata, plane iisdem virtuti-

bus gaudens; nam præter id, quod cornu Cervi carioris sit pretii, haud raro est vetustum, atque tum parum bonæ gelatinæ continet. Sevi usus solummodo est externus, in abscessibus, quoties pus nondum ad maturitatem pervenit; in rigiditate musculorum, et quæ sunt alia similia mala. Componendis item unguentis, emplastris etc. inservire potest.

D. Gelatinæ, in libra decocti alicujus vel syrupi solutæ, ad semunciam.

CETRARIA ISLANDICA.

Lichen Islandicus L.

Исландскій мохъ.

In borealibus Rossiæ nemoribus et saxetis perfrequens. Cl. Cryptogam. O. Algæ. O. N. Lichenes. Perennis. *Usualis est:*

Tota planta (Lichen Islandicus) expansionem s. thallum sistens e griseo album, plus minusve ex fusco viridem, coriaceum, multifidum s. laciniatum, lobis erectis, canaliculatis, plicatis, marginibus ciliatis; apothecis planis, marginalibus, fuscis. Cum aliis lichenis speciebus, sæpius cum Parmelia cucullata, adulteratur, imo quisquiliis variis intermixtus venditur, a quibus sedulo liberandus est.

Q. Lichen, fere inodorus, saporis est mucilaginosi, amari, nonnihil adstringentis. Ultima analysis, a Berzelio instituta, Licheni Islandico amylum peculiare, bitartratem potassæ, tartratem calcariæ, phosphatem ejusdem, principium amarum, ceram viridem, gummi, principium extractivum tinctum et fæculam inesse docuit. Nuperrime Herberger principium ama-

rum obtinuit purum, quod lubenter acidis unitur et Cetrarini nomen ab eodem accepit. Pfaff acidum peculiare ibidem invenit, lichenicum dictum, in prismaticas crystallos coiens, carbonibus candentibus expositum avolans, odorem peculiarem aromaticum spargendo, quin tamen liquefiat; acido boletico, a Braconnot reperto, haud absimile.

V. Eximia, a principio amaro et muco amylaceo derivanda, quorum unumquodque proprium præstat effectum, ita quidem, ut amarum principium irritabilitatem fibræ muscularis, concoctionis reproductionisque organa excitando, roborantem, amylum vero nutrientem, obvolventem, imo resolventem actionem exerceat. Medici itaque est, ut pro re nata ex hoc aliove principio agente fructum sibi utilem acquirere valeat; amarum enim principium aqua simplici, vel certius ope tenuioris solutionis carbonatis potassæ, a muco amylaceo facili negotio sejungitur.

U. Ubi organismus morbis protractis debilitatus, vel corpus nutritione deficiente emaciatum sit, optime succurrit. Post febres rebelles, imprimis hecticam et nervosam lentam, diarrhœa, lienteria, sudore colliquativo aliisque incommodis stipatas, effectum non raro salubrem præstat. Atrophiæ universali, catarrho vesicæ, salivationi chronicæ obstat, imo in calli tarda formatione et spondylarthrocace suppetias tulisse legimus. In variis pulmonum vitiis asthenicis, tussi, catarrho chronico, hæmoptysi et phthisi, nutritionem præter modum languidam restaurando, sputorum coctioni favendo, et expectorationem promovendo, sæpissime utilis est; præ cæteris vero phthisi pituitosæ, quæ in debilitate habituali glandularum bronchialium et membranæ mucosæ constare videtur, congruum re-

medium, e cujus tamen usu, nonnisi per menses forsan protracto, utilitas jure expectanda est. Farina ejus pani additur, vel sola ei inservit parando; sic in Islandia, ob sterilitatem soli, ab incolis in quotidianum usum assumitur cum lacte decocta, atque inter meliora ibi refertur edulia.

D. Ob levitatem vix unquam in pulvere datur, sæpissime autem decocti forma, ex semuncia et aquæ sesquilibra parandi.

CHELIDONIUM MAJUS.

Чистотѣлъ великорослый; Чистякъ большой; Ластовичная трава.

In locis ruderatis, ad muros et sepimenta crescit ubique. Cl. Polyandr. O. Monogyn. O. N. Papaveraceæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Herba recens, pedunculis umbellatis, foliis pinnatifidis, lobis angustis, acute laciniatis. Radix ramosa, dum recens bruno-rubicunda, siccata nigra.

Q. Tota planta succum continet flavum, amarum, graveolentem, acrem, e planta recenti incisa sponte stillantem. Siccata planta acrimonia spoliatur. Continet albumen vegetabile, acacinum, bassorinum, materiam vegeto-animalem, principium narcoticum alcalinum (Godefroy), principium resinosum, ligninum, acidum malicum liberum, siliceam, et salia bene multa (Meyer).

V. Nonnisi herbæ recenti propria, valide est irritans, organa vegetativa, hepar etc. adficiens, nervos

præsertim abdominales et vasorum absorbentium actionem excitans, sudorem et lotium movens, stases solvens, imo chemicam humorum mixtionem iniens. Succus recens expressus, externe etiam admotus, inflammationi ansam præbet, intus vero large porrectus vitæ periculo minatur, id quod, Orfila teste, tum ex irritatione locali, tum ex toto nerveo systemate in consensum vocato provenire videtur.

U. In morbis ex obstructione viscerum abdominalium præsentaneum auxilium est. In ictero hepatico ab antiquissimis inde temporibus qua specificum præsidium a Dioscoride et Galeno celebratum: nec nuper facta experimenta laudem ei præripiunt. In variis cutaneis adfectionibus rebellibus et inveteratis, hydropisi et cachexiæ speciebus multifariis, hæmorrhoidum incommodis, menstruatione irregulari et podagra, cum fructu Chelidonium adhibitum fuisse constat. Contra syphilidem illud Wendt et Hechtel optato cum successu adhibuerunt. In morbis oculorum astheniæ notas ferentibus, obfuscationibus corneæ et maculis, succus recens oculo caute instillatus, prodest; idem exest verrucas molliores, illitus. Ruricolæ herbam recentem plantis pedum, vel carpis, cum sale culinari et pipere ante febris intermittentis paroxysmum cum utilitate interdum admoverunt. Laus Chelidonii in depurandis sanandisque ulceribus, ad vetustiora pariter ac seriora tempora pertinet.

D. Succus herbæ recentis a scrupulo ad drachmam datur, aliis succis nuptus, in curatione obstructionis hepatis et glandularum, vere ineunte commode instituenda. Succus spissatus, ac extractum, ad decem grana, in mixturis et pilulis, pro dosi porrigitur. A quibusdam infusum radicis et foliorum aquosum,

ab aliis etiam serum lactis, in quo folia Chelidonii frigide sint macerata, cum bitartratis potassæ tantillo, commendatur.

CHENOPODIUM AMBROSIOIDES.

Марь Мексиканская благовонная.

In Mexico et Lusitania spontanea; in Rossia vero, hinc inde, hortensis. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Chenopodiaceæ. *Usualia sunt:*

Herba florens, racemis foliatis, simplicibus, foliis lanceolatis, dentatis, in officinis sub nomine *Botryos Mexicanæ* veniens. Semina.

Q. Recens herba odoris est acris aromatici, ambrosiaci; saporis amaricantis, aromatici, paululum pungentis et calefacientis. Chenopodii Botryos foliis nonnunquam adulteratur, quæ tamen brevitate, et debilitate odoris ac gustus facile discernuntur. Secundum analysin Martini folia camphoram continent, oleum æthereum (pallido-flavum, acre, aromaticum, odore oleum menthæ piperitæ æmulans), mucum et resinam. Nitras potassæ etiam plantæ abunde inest, ex aquoso extracto crystallisatione separandus. Bley in herba siccata albumen invenit, amylum, acidum aceticum et salia multa.

V. Vasculari et toto nervorum systemati calcar admovet, ut exinde cutis, renum et pulmonum functio promoveatur. Seminum: carminativa, anthelminthica.

U. Herba in debilitate nervorum et paralysi præprimis celebratur. Ita non desunt exempla glossoplegiæ, prægressa apoplexia ortæ, et paralyseos pedum

curatæ (Rudolph). His tamen tinctura adcommodatior esse fertur (Lentinus). Laudatur quoque in spasmodicis adfectionibus, in infuso propinata, præcipue in asthmate spasmodico, nec non chorea (Plenck). Infusum fervidum eximia pollet vi calefaciendi, nervos præcipue ventriculi mulcendi, vasaque capillaria ad secretiones incitandi. Hinc in infirmitate ventriculi, dyspepsia, flatulentia, adminiculatur. A quibusdam adversus helminthiasin adhibebatur. Olim loco theæ boheæ foliorum apud Teutones, ut Suevos, Bavaros (Lochner) in usu fuit, ast promiscua et quotidiana sorbillatione vix citra incommodum sumi potest.

D. Cl. Plenckius ter eam de die a scrupulo ad semidrachmam propinavit in substantia, vel in infuso ex sicilico ejusdem aut semuncia cum decem communis aquæ unciis parato, per diem consumendo.

CHIRONIA CENTAURIUM.

Erythræa Centaurium; Centaurium minus; Gentiana Centaurium.

Золототысячникъ.

Planta annua indigena, in pratis, locis graminosis, silvaticis passim frequens; caule erecto, superne dichotomo-ramoso, glabro, foliis oppositis, sessilibus, inferioribus ovalibus sessilibus, superioribus ovato-lanceolatis, integerrimis, glabris, trinervibus, læte viridibus; summitatibus florentibus, cymis fasciculatis, floribus amœne rubellis, corolla infundibuliformi, limbo patente. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Gentianeæ. Probe cernendum est, ne Erythræa pulchella

adulteretur, quæ minor est, caule basi dichotomo-ramosissimo, floribus axillaribus solitariis, corolla minori, laciniis angustioribus, lanceolatis. Cavendum quoque ne confundatur cum Erythræa Gerardi, Silene armoria et Erythræa ramosissima. *Usuales sunt:*

Summitates cum floribus (Herba florida).

Q. Odor vix ullus; sapor valde amarus, haud plane ingratus. Principium resinoso-extractivo-amarum continere videtur. Dulong principium detexit, cui Centaurini nomen dedit, quodque acido hydrochlorico nuptum, virtute febrifuga eximia pollere asseverat. Martius censet, principium Centaurii haud absimile esse illi, quod in gentiana lutea continetur, quoniam sub coctione eundem spargit odorem, et extractum ejus, tam colore quam consistentia, gentianæ extractum æmulat, nisi quod amaritie intensiori et acoris vestigiis a hocce differat. Partes amaræ spiritu vini, mucilaginosæ autem aqua extrahuntur, quapropter alcohol dilutius optimum ejus menstruum jure habetur.

V. Tonica, principio amaro-resinoso tribuenda, imprimis in assimilationis, reproductionisque functionibus sese exserens, atque canali intestinali tonum impertiens. Virtute, qua pollet, stomachica, ventriculo imbecilli suppetias venit; resolvente in obstructionibus viscerum abdominalium inclaruit. Experimentis recentissimis compertum est, ejus adminiculo carnium putredinem per octo dierum spatium fuisse inhibitam, quamobrem remediis antisepticis jure adnumeratur. Gentianæ luteæ, cui virtute proxime accedit, uti et cinchonæ, ubi hæ deficiunt, non immerito substituitur.

U. Cinchonæ alcaloidibus necdum detectis, pari cum ea virtute febrifuga pollere credita est, quapropter in febribus intermittentibus, nec non in iis, quæ re-

mittenti typo stipantur, frequentissime propinabatur, et propria quoque experientia certiores redditi sumus, eam haud incongruum esse interdum in hisce morbis remedium, dummodo causæ, quæ adsunt materiales, prius amoveantur, absente alioquin diathesi inflammatoria. In dyspepsia et acore primarum viarum, remedium utile plurimis fuisse constat. Ubi organa digestionis muco viscido scatent, vel ubi vermes in iis nidulantur, diuturnior ejus usus salutaris est. Ad curandas hæmorrhoidum adfectiones, uti et scrofulas, icterum, hydropem, aliasque cachexias, sedem in visceribus abdominis figentes, multum confert. Memorandus hic venit pulvis, olim in profliganda podagra magnam celebritatem assequutus, et nomine *Pulveris* inclyti *Ducis Portlandiæ* notus, scilicet: rad. aristolochiæ rotundæ, gentianæ luteæ, summitatum et florum chamædrios, chamæpytheos, et Chironiæ Centaurii, cujuslibet partes pondere æquales, quas in pulverem tere. Clarissimus Heberden virtutem hujus pulveris sequentibus verbis testare conatus est: »Etenim dum fama ejus vigeret, in tot ægris, qui eo usi sunt, podagra vel mitior facta est, vel rarius repetiit, ut vix possit dubitari, hos effectus isti medicamento esse tribuendos.« Extrinsecus etiam in ulceribus impuris, exanthematibus chronicis, et porrigine, infusi forma, commendatur, quod pediculis enecandis pari modo inservit.

D. Extractum imprimis usui interno commodum est, a granis decem ad scrupulum pro dosi, in aqua quavis aromatica, vel pilularum forma. Pulveris summitatum cum floribus drachma dimidia ad integram datur, vel infusi (ex drachmis sex ad uncias octo aquæ bullientis) unciæ duæ, ter quaterve in die, ex-

hibentur. Extractis resolventibus, salibus neutris, rheo et cinchonæ congrue copulatur.

CICHORIUM INTYBUS.

Цихорій дикій; Солнцева сестра; Петровы батоги.

In Rossia meridionali ad margines agrorum viarumque sponte crescens, alibi in hortis culta. Cl. Syngenesia. O. Æqualis. O. N. Cichoraceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, fusiformis, subflava, crassitie pollicis, lactescens, e duplici substantia composita: carnosa dulci, et medullari amara. Radix adhuc recens succo lacteo scatet amaricante, subadstringente. Planche nitratem potassæ in radice, Waltelius inulini insignem copiam, John insuper hydrochloratem ammoniæ reperit. Pro usu carnosa eligatur radix, lignosa rejecta. Herba Cichorii Intybi, in usum medicum olim vocata, nunc nonnisi acetariis (салатъ) parandis inservit.

V. Organa, quæ digestioni præsunt, incitans; resolvens; diuretica.

U. In obstructione viscerum abdominalium, ictero, hypochondriasi, dyspepsia, scorbuto; usu tamen ejus protracto digestionis negotium pessumdatur. Radix tosta, qua succedanea Coffeæ arabicæ, parvi æstimanda.

D. Radicis exsiccatæ semuncia cum aquæ libra, ad uncias octo decocta; succi vero recentis unciæ duæ cum jusculi libra.

CINCHONA.

Хина.

Cinchonæ nomine appellatur genus arborum, in regionibus tropicis, Americæ imprimis australis, a 20° gradu australis ad 11um septentrionalis latitudinis, in montibus, a 5000 ad 9000 usque pedum maris superficiem superantibus, crescentium. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Rubiaceæ - Cinchonaceæ. *Usualis est:*

Cortex (*Cortex Chinæ, Cortex Peruvianus. Хинная или противулихорадочная корка*). Jam seculo XVII ineunte in Europam adportata fuit hæc substantia, ab antiquissimis temporibus in patria virtute sua antifebrili celebris. Postquam hæc ubique innotuit, multi nostratium cortici probe describendo, nec non stirpis speciebus, ex quibus iste obtinetur, rite investigandis operam dederunt. Tantum vero abest, ut de hac re gravi aliquid certi prolatum sit, ut potius farraginem notionum, non raro sibi invicem contradicentium offendamus; id quod a patriæ arboris magna distantia, a fundamentorum diversitate, quibus scrutatores notiones suas superstruere conati sunt, a lucri mercatorum cupiditate, et a miranda denique varietate arborum provenire videtur. Investigationibus nuperrime institutis, nec non investigantium auctoritate nixus, ex magna copia corticum Cinchonæ, colore, sapore, fractura, pondere, densitate, forma externa et tandem convolutionis modo vario diversorum, tres enumerandos esse censeo, ad quos permulti, in botanicorum libellis descripti, velut species referuntur ad genus, vel denominationes nostris sy-

nonimicas sistunt. Hi sunt: Cortex Cinchonæ lancifoliæ; C. C. cordifoliæ; C. C. oblongifoliæ (Mutis).

Cortex Cinchonæ lancifoliæ (Cinchona Condaminea, Humboldt et Bonpland. *Cortex C. pallidus*). Arbores in regni Quito, Andium Bogotensium, Novo-Granatensium (inter Guaduas et Santa-Fe de Bogota) et Peruvianorum frigidis nemoribus, in montibus pago Ayavaca vicinis, altitudine 6250 — 8300 pedum maris æquor superantibus, in silvis Caxanuma, Uritusinga, Villonaco et Monge, nonnunquam aggregatæ crescunt, imo in declivitate et planitie sub montium radicibus proveniunt, ac Septembri exeunte ad Novembris exordium decorticantur. Bestiarum insutus cutibus, in Europam advectus, cortex cannularum forma prostat, plus minusve convolutarum, subtilium, tenuium, ponderosarum, superficie externa lichene proprio albescente-griseo hinc inde tecta et rimis designata, interna glabra pallido-flava. Fractura æqualis, inter corticem et cuticulam puncta exhibens resinosa splendentia, adversus candelæ lucem clare distinguenda. Saporis amari, aciduli, haud ingrati, adstringentis; odoris aromatici debilis, mucidi, sub pulverisatione insignis.

Cortex Cinchonæ cordifoliæ (*Cortex C. flavus* seu *regius*). Westring teste inde ab initio seculi XVIII, Regis Hispaniæ sumptibus emebatur, aulæ ejus usui dicatus, unde regii titulum adeptus est. Arbor in Andium Peruviæ et Novæ Granatæ provinciæ Caracasanæ montibus et secundum eorum declivitates sæpius occurrit, æque ac in montibus regni Quito, urbi Loxæ et Santa-Fe vicinis, abunde crescit. Cortex in frustis advehitur sex digitos fere longis, raro

minoribus, convolutis, sæpius absque ulla cuticula externa, fibris ligneis, extrinsecus oblique et transversim decurrentibus, signatus, coloris cinnamomei, ferrugineum nonnihil æmulantis. Nonnulla frustula, contra lucem inspecta, puncta fulgentia visui præbent, in externa superficie notanda, id quod indolem corticis excelsam testatur. Interna superficies omnino pallidior est. Optimæ qualitatis cortex tribus quasi stratis constare videtur: exteriori nempe rubescente flavo, rimoso, rugoso, lichene sæpius albescente-griseo obducto, medio denso, spongioso, granoso, interno ligneo. Tota ejus textura fragilis est, lignosa, pondere cortici C. lancifoliæ cedens. In pulverem tenuatus cortex, vel aqua bulliente lotus, odorem spargit aromaticum. Amaritie præcedentem superat, minus tamen, quam prior, adstringens est.

Cortex Cinchonæ oblongifoliæ (Cortex C. ruber). In Andium Peruviæ nemoribus ad Chinchao, Cuchero, Chacahuassi, Chicoplaya, Riobamba, nec non ad Mariquita Novæ Granatæ, ad fluviorum ripas arbores crescunt. Cortex præcedenti non plane absimilis, nec structura ab eo longe differt. Tria nempe strata: exterius tenue, rimosum, rubescente bruneum, lichene *) ex albo flavo crebrius obsitum, medium, quod proprie corticem constituit, crassius, firmum, fusco-rubrum, resinosum, internum ligneum, fibrosum, coloris plane rubri, corticem constituunt. Odorem cæteris debiliorem spargit, amaritie vero et adstringente qualitate omnibus anteit. Aqua etiam frigida cortex infusus

---

*) Cortices Cinchonæ lichene *Collemata* tecti non sunt boni, quibus autem *Parmeliæ* et *Lecanoræ* adhærent, optimi agnoscendi sunt. Hoc de omnibus speciebus valet.

amaritiem eidem intensam et colorem rubro-aurantiacum communicat.

Tales omnino sunt cortices Cinchonæ usui medico præprimis dicati; tantum vero abest, ut descriptioni huic consentanei in officinis separatim prostent, ut etiam ex patria eorum inter se varia ratione permixti ad nos advehantur. Nec qualitate inter se adeo differunt, ut pro usu medico diligenti electione nimis indigeant. Medicus saltem, vel Pharmacopola potius, cujuslibet corticum speciei separatim obtinendæ cupidus, his utatur notis characteristicis, a Cl. Mutis, nec non ab aliis, in loco ipso, unde ad nos importantur, descriptis. Alias insuper notiones, de omnibus Cinchonæ speciebus valentes, eidem Cl. Mutis in acceptis referendas et attentione dignas, non esse prætermittendas judico. Quo nempe superius arbores proveniunt et quo molliore ac intensius aromatica gaudent corolla, eo cortex majori pollet efficacia, ab alcaloidum copia pendente. Declivius crescentes, et albida glabraque instructi corolla, contrarium promittunt. Ut cortex medicamentosa gaudeat qualitate, maturitas arborum necessario requiritur, de qua ex rubedine, in superficie corticis interna, primarum quatuor minutarum spatio, postquam crassior ramus fuerit decorticatus, adparente, concludere fast erit. In universum porro qualitas corticis cum ejusdem pondere, odoris gratitudine, saporis amaritie suaviter adstringente, et aciditatis vestigiis, in ratione recta est. In Peruvia tandem crescentes Cinchonæ species cinchonia magis scatent, Granatenses chinia sunt ditiores.

Efficacia corticis dudum inter medentes controversiæ ansam præbuit, ejusque ratio ignota manebat,

donec principia alcalina e partibus ejus constitutivis extricata fuerint. Vauquelin primus in lucem protulit alcaloidem, antea a Fourcroy nomine principii resinoso-extractivi designatum, cui tandem Duncan *Cinchonini* denominationem indidit. Nuper jam Cl. Pelletier et Caventou duo ibidem principia peculiaria alcalina, nunc ubique sub *Chiniæ* et *Cinchoniæ* nominibus nota invenerunt. Partes constituentes, in cortice bonæ notæ obviæ, sunt: 1) cinchonia, materia peculiaris alcalina, in crystallos albas, pellucidas, aciculares, facile coiens, inodora, amara corticis ad instar, in aqua ægre, lubenter vero in alcohole ac æthere solubilis, cum acidis salia constituens facile solvenda, crystallisationis capacia; 2) chinia, sive alterum principium alcalinum, substantiam referens amaram, sordide albam, difficulter in crystallos redigendam, aqua ægre, alcohole vero et imprimis æthere mox solvendam; 3) acidum peculiare cinchonicum nuperrime, a Vauquelin primo ejus inventore, chinicum nominatum, in statu naturali alcaloidibus modo memoratis nuptum; 4) cinchonas calcariæ; 5) resina peculiaris, nuper a Pfaff detecta; 6) partes extractivæ, cinchoninum rubrum a nonnullis nominatæ; 7) gluten vegetabile, odoris saporisque expers; 8) oleum volatile, ab Irwin primo detectum, principium cinchonæ odoratum a quibusdam nuncupatum, quod a Cl. Trommsdorff depuratum, oleum præstitit acre, valde volatile, in alcohole facile solubile; 9) principium scytodepsicum (novissimis acidum tannicum) nondum hucusque purum obtentum, de quo tamen ex qualitate corticis adstringente certiores reddimur; 10) ligninum seu pars fibrosa lignea, in liquore alcalino caustico plane solvenda, et quovis acido addito denuo fundum

petens, id quod præ aliis substantiis ligneis notam ejus characteristicam sistit.

His præmissis, probe notandum est, non unicuique cortici, vel saltem non in eadem plane proportione, has inesse partes constitutivas, quod imprimis de cinchoniæ et chiniæ diversa quantitate valet, ita quidem, ut cortici pallido (Cort. Cinch. lancifol.) major quantitas cinchoniæ cum chiniæ vestigiis insit, in flavo (Cort. Cinch. cordifol.) prædominet chinia, in rubro (Cort. Cinch. oblongifol.) autem, et nonnullis spuriæ Cinchonæ corticibus, uterque alcaloides in pari proportione inveniatur. Tingens vero principium in variis corticibus varium esse liquet.

Ut qualitas variarum Cinchonæ specierum clarius innotescat, e re erit elementa cuivis illarum propria, præeuntibus Pelletier et Caventou, breviter exponere, scilicet: a) Cortex Cinchonæ lancifoliæ constat ex cinchonate cinchoniæ, materia viridi pingui, materia colorante rubra insolubili, principio rubro tingente solubili, materia coloris flavi, cinchonate calcariæ, gummi, amylo et lignino; b) Cortex Cinchonæ cordifoliæ constat ex: cinchonate chiniæ, materia pingui intense flava, cinchonino rubro (parte extractiva), principio flavo tingente, principio scytodepsico, cinchonate calcariæ, amylo et fibra lignea; tandem c) Cortici C. oblongifoliæ insunt: supercinchonas cinchoniæ, cinchonas chiniæ, materies rubicunda pinguis, cinchoninum rubrum, principium scytodepsicum, cinchonas calcariæ, materies colore flavo tingens, amylum et fibræ ligneæ.

V. Omnibus Cinchonæ speciebus eximia inest antiperiodica, imprimis in systema gangliorum et medullam spinalem agens; stimulans; tonica permanens.

Antifebrilis ejus virtus, præterlapsis jam seculis celebrata, nunc etiam palmam præripit omnibus hujus prosapiæ adminiculis. In homine bene valente drachma pulveris, omni tertia quartave hora porrecta, excitationis præter morem exaltatæ symptomata provocat: os cito siccescit, subsequitur sensatio ponderis et anxietatis præcordiorum, circuitus sanguinis acceleratur, unde calor ac transpiratio peripherica exoritur, imo cutis aliquantulum rubescit. Organismo autem exhausto, provide accommodatus, energiam impertit ac vigorem; actiones morbidas infringendo, harmoniam functionum normalem restituit.

U. In omnibus morborum formis systematis irritabilis et reproductivi, debilitate conspicuis, suetum ac certum refugium est Cinchona, imprimis vero in febribus curandis emicans ita, ut pro herculeo lexipyreto jure haberi queat. Huc pertinet febris intermittens regularis, cujus feliciter Cinchonæ usu profligatæ innumera exempla dantur, ita ut ex mille forsan ægrotis vix ullus pessundetur, idque nonnisi qualicunque causa occasionali præsente. In intermittenti quoque maligna vulgo dicta, veterno aliisque mali ominis symptomatibus stipata, magni æstimatur, et hic prout alibi, paroxysmis febrilibus vitæ minantibus, quamprimum administrari debet. Plerumque apyrexiæ tempore, vel caloris stadio vix cessante, exhibetur, eoque majoribus dosibus, quo brevior intermissio est. Propulsata febre, continuato per aliquot dies remedii usu, recidivis occurrendum; scire enim licet, paroxysmum, quamvis profligatus videatur, secunda hebdomade sæpius recrudescere in tertianis, tertia in quotidianis et quartanis; resumpto autem remedio febris reversionem præcaveri. Adhibetur Cinchonæ cortex in

aliis etiam febribus minus regularibus, typo imprimis intermittente vel remittente manifestis; sic in typho non erit alienus, si febris notabilioribus distincta est remissionibus, ita quidem, ut accessionum ratione inclinet ad intermittentem; sic quoque dum hecticam æmulatur, aut systematis muscularis debilitas præsto est, aut pronitas in putredinem urget, semper tamen eo nonnisi pacto, ut cutis humida sit, lingua fere pura et in urina criticum adpareat sedimentum. Si vero adfectionis hepaticæ symptomata in conspectum venerint, nonnisi caute, idque universa excitatione jam subacta, et omnibus localis inflammationis vestigiis venæsectione, purgantibus, aliisque adminiculis, profligatis, usus ejus admittitur. Pesti adcommodam esse Cinchonam, quidam perhibent, præcipue in connubio camphoræ, vini et acidorum. Pneumonitis typhodes, cynanche gangrænosa, scarlatina maligna, variolæ confluentes, morbilli putridi, aphthæ gangrænosæ et erysipelatis species quædam Cinchonæ usui cedunt, quæ, æque ac ejus præparata, casibus enumeratis, sublata universa excitatione, in connubio acidorum accommodatur. In rheumatismo acuto auxilio esse Cinchonam, quidam asseverant: nonnisi tamen chlorido hydrargyri, tartrate stibii et potassæ, colchico autumnali vel opio, antea adhibitis, ubi nempe dolor partim cessaverit, et morbus characterem intermittentem potius induerit, ad ejus usum confugere licet. In rheumatica vero inflammatione scleroticæ a Cl. Thomson ut specificum laudibus extollitur. Præter bene multas adfectiones periodice redeuntes (quibus cephalæa et hemicrania periodica adstipulantur) utilis est etiam Cinchona in multifariis chronicis malis, nulla fere intermissionis signa offerenti-

bus, variis adfectionibus spasticis et convulsivis, quæ exaltatæ nervorum irritabilitati, cum debilitate fibræ muscularis conjunctæ, originem debent. Ita nempe, repudiatus a Werlhofio tempore paroxysmi, et sub remissione tantum vel intermissione porrectus, multa cortex præconia tulit in epilepsia (van Swieten), imprimisque magni æstimatur hunc in finem in radicis valerianæ connubio. Nimiam infantum ad convulsiones proclivitatem idem cortex vincit, balneis frigidis adjutus. Laudatur quoque in chorea, catalepsi, risu sardonico, tetano, asthmate nervoso etc. conjunctim cum præparatis e zinco, cupro, hydrargyro, vel cum moscho, assa fœtida, valeriana, æthere aut opio. Adversus pertussim magna est in fide apud Cl. Millar, sed omnino ultimis morbi periodis accommodatior, potius roboris fibrarum restituendi, quam mali radicitus sanandi scopo. In hæmorrhagiis passivis, invadente diathesi putrida et notabili arteriarum laxitate, magnam sæpe sæpius fert opem; in hæmoptysi passiva præparata leniora Cinchonæ e re sunt, æque ac in metrorrhagia, conjunctim cum ferro, acidis mineralibus, cinnamomo etc. Prodest in diarrhœa atonica diutius protracta, in ejusdem indolis dysenteria, pronitate ad putredinem stipata, vocatis una simul in auxilium mucilaginosis, narcoticis, vel aromaticis. Musculares canalis intestinalis fibras roborando, magnas præstat suppetias in affectionibus hypochondriacis et hystericis, præcipue additamento aromaticorum et excitantium correctus. Laudatur proinde in segnitie et habituali obstipatione alvi, meræ debilitati musculari, non vero spasmis aut gastricis sordibus, originem debente. In helminthiasi etiam aptum est medicamen prophylacticum, eductis vermibus, genesi novorum

obicem ponendo. Secretionibus modum excedentibus, cum atonia musculari junctis, bene opponitur; hinc in ulceribus majoribus, ubi laxitas magnum puris sustinet proventum, non modo hujus corrigit naturam, sed febrem simul hecticam imminuit; in catarrhis protractis, screatibus cruentis, pituita tenaci et purulenta stipatis, non spernendum dat auxilium. Variis insuper morbis, ex abnormi reproductione ortis, et systematis muscularis debilitati junctis, cum summo fructu obviam it; hinc scrofulis sub initium, rachitidi, scorbuto, psoræ, tineæ, lepræ, herpetibus variisque cutis fœditatibus, imo syphilidi, ubi videlicet systema musculare hydrargyri usu debilitatum est, vel ubi idem a scrofulosa aut scorbutica diathesi languet, vel tandem ubi debilitas ex malo diutius protracto in culpa est, opitulatur. Gangrænæ optimo esse præsidio, plurimorum documentis satis superque comprobatum est. In atrophia, marasmo senili, tabe dorsali, et id genus aliis, ubi reproductio potentiis mere debilitantibus (vehementi animi pathemate, jactura humorum, vel morbis prægressis) adeo fracta est, ut inter reproductionem, secretionem et excretionem omne æquilibrium sublatum sit, sed ubi materiales nullæ adsunt causæ, cortex hic bonum est remedium. Quo tamen valentius medicamen, eo majori cum providentia eruendi sunt casus, usum ejus indicantes, ne noceat vel confestim, vel præpostero datum consilio, vel præsente aliqua conditione, ejus administrationem repudiante.

Inhibetur Cinchonæ usus prævalente sensibilitate nervosa, haud secus ac sordibus gastricis, organa digestionis occupantibus, cum debili stomacho neutiquam assimilari queat; si vero his sub rerum circumstantiis exhibeatur, canalem intestinalem irritando, alvum aut

comprimit pertinaciter, aut solvit procul consilio. Exaltata irritabilitate ac debilitate insigni præsentibus, venæ portarum stagnationes, imo viscerum obstructiones inducit. Sub Cinchonæ usu absit omnis congestio activa, absint stagnationes in systemate venæ portarum, et viscerum abdominalium infarctus; tensio præcordiorum spasmodica, et nimia pulmonum debilitas, parimodo usui illius obstant. Si quid enim horum præsto est, chronicos haud raro morbos, hydropem, febrem hecticam et alia post se trahit Cinchona. In plerisque, vix non omnibus, casibus sub morbi initium non convenit. Præter internum, externus quoque Cinchonæ usus utilis est ulceribus, pus tenue fundentibus, indolis scrofulosæ, syphiliticæ, scorbuticæ, aliisque, vel decocto ejus fomenti forma admoto, vel pulvere corticis insperso. Cariei et ulceribus cancrosis efficaciter renititur. Contra tenesmos clyster valuit e quatuor unciis decocti corticis Cinchonæ cum aliquot granis opii, aliquoties de die repetitus. (Hunter).

D. Secundum formam et scopum, qui a medente intenditur, varia. Pulvis corticis, cum vino, aqua, syrupo aliisque, a quinque granis ad drachmam et ultra omni tertia vel quarta hora præbetur, donec uncia vel duæ spatio 24 horarum consumantur. Non abs re erit, post quamvis dosin acidi sulphurici diluti tantillum cum aqua superbibere, ut alcaloides cum eo in ventriculo juncti facilius solvantur, et eo valentius agant. Chlorido hydrargyri et opio, ut hoc in regionibus calidioribus fit, Cinchonam nubere bonum est, et in plerisque omnibus casibus enitendum, ut sub usu ejus alvus potius fusa, quam nimis stricta, teneatur. Acidum sulphuricum et hydrochloricum, tinctura aromatica sulphurica, et præprimis tinctura capsici

annui, optima ejus sunt additamenta. Sedulo tamen cavendum est, ne præscribatur Cinchona cum substantiis, quibus juncta producta insolubilia gignit; talia sunt infusa et decocta vegetabilium amarorum et adstringentium, æque ac omnes substantiæ, quibus principium scytodepsicum inest, salia ferri, sulphas zinci, bichloridum hydrargyri, solutiones arsenici, et carbonates alcalini. Tartratis vero stibii et potassæ antidotum est Cinchonæ cortex, vim ejus emeticam infringens.

CITRUS AURANTIUM.

Citrus vulgaris.

Померанцовое дерево.

Asiæ, partium Europæ australium, regionum Americæ tropicarum, Hispaniæ, Melitæ, Medinæ, insularum Hesperidum et Azoriensium incola; apud nos per hortos et hibernacula colitur. Cl. Polyadelph. O. Icosandr. O. N. Aurantiaceæ. Arborea. *Usualia sunt*:

Fructus recens (*Malum Aurantiorum. Померанецъ*), globosus, utrinque nonnihil compressus, umbilicatus. Curaçao fragrantissima profert mala. Cortex ejusdem, extrinsecus flavus, vesiculis oleiferis copiosis obsitus; interne albus, fungosus. Folia ovata, appendice cordata, ad basin acuta, vesiculis pellucidis scatentia. Flores (vulgo *Flores Naphæ*), corollæ recentium albæ, succulentæ; lenissimo calore siccatæ, in vitro probe clauso servandæ. Cum foliis Citri medicæ, quæ gaudent petiolis linearibus, non confundantur, folia quippe Citri Aurantii petiolis sunt alatis.

Q. Corticis extimi fructus *(flavedo)* odor fragrans; sapor aromaticus, amarus, non ingratus. Foliorum odor debilis, fragrans; sapor aromaticus, amaricans, calidiusculus. Succi pomorum sapor amaro-dulcis, acidulus. Florum sapor amaricans, recentium odor suavissimus, siccatorum debilis. Oleum, e floribus recentibus destillatione obtentum, ad nos ex Italia, sub nomine *Olei* vel *Essentiæ Neroli* advehitur.

V. Cortici stomachica inest eximia, tonica et carminativa; pulpæ ac succo frigerans, antiscorbutica. Foliorum tonica, cardiaca, nervina. Florum analeptica.

U. Cortex extimus fructus, extractivo pollens copiosiori, qua tonicum magis in digestionis officinam agendo, stomachicum efficacius existimatur. Gratum amarorem cum aromate sapido et fragrante præ se ferens, digestionis pravæ molestiis, flatibus, nausea, enterodynia aliisque conspicuis, nec minus hypochondriacis, et per se et in aliorum connubio, multum conducit; optimum inde stomachicorum omnium sistit adjuvans, ipsiusque cinchonæ corticis, ventriculo interdum officientis, corrigens. Infusum corticis Aurantii compositum elegans est vehiculum salium neutrorum ammoniæ, magnesiæ, et aliorum, in podagra et dyspepsia adhibendorum. Fructus immaturi iisdem in casibus, ut cortex, interne propinantur; tornati fonticulis parandis valde idonei. Folia minus olei quam cortex continentia, in universum systema nervorum actionem suam magis exercent. Turbis inde nervosis, auctiore irritabilitate aut sensibilitate, spasmis, convulsionibus, hysteria conspicuis, juvant. In epilepsia, præsertim ex abusu veneris, a viris magni nominis laudata, quam, etsi non curent, multum tamen levaminis adferunt. In epilepsia verminosa, per

modum pulveris et infusi data, teste Illustri DE HAEN, magna vi pollent.

D. Corticis extimi pulverati a granis quindecim ad semidrachmam, vel totam, ter quaterve de die, vel forma infusi, ex semuncia ad libram aquæ vel vini, cyathis per intervalla porrigendi. Folia pulverata a drachma dimidia ad integram, ter quaterve de die, per se, vel simul cum radice valerianæ offic., gei urb., cortice l. cinnamomi, sulphate cupri biammoniato, oxydo zinci etc., imo etiam cum syrupo corticis C. Aurantii in forma electuarii adversus epilepsiam porriguntur. Infusum ex foliorum uncia cum aquæ bullientis libra, imo vinosum etiam, est idoneum.

CITRUS MEDICA.

CITRUS LIMONUM.

Лимонное дерево.

Arbor sempervirens Assyriæ, Persidis et imprimis Mediæ indigena, inde ad Græciam et Italiam translata, nunc vero Hispaniæ, Lusitaniæ et Galliæ in hortis, apud nos nonnisi in hibernaculis culta. Cl. et O. præcedentis. *Usuales sunt:*

FRUCTUS *(Лимонъ)* figuræ oblongæ, altero extremo in papillam desinens, altero obtusior, cui adhærent calyculi reliquiæ. CORTEX FRUCTUS EXTERNUS, ab interiori alba velut spongiosa parte separatus, in officinis vulgo *flavedo* dictus, post maturationem flavus, vesiculis numerosis oleiferis, poris hiantibus. In fructus pulpa cellulosa copiosus est succus *(succus Citri)*, qui interdum uvarum immaturarum succo adulteratur;

subinde amarore, sub incauta expressione nato, multum fit ingratus et nauseosus.

Q. Cortex sapore amaro, nonnihil calefaciente et aromatico, multum efficaciæ omnino oleo volatili debet. Succus acer, sed grate acidus, acidum continet citricum, mucilaginem, materiam extractivam, sacchari parvam quantitatem et aquam. Acidum citricum crystallysatione e succo obtentum, usui medico aptius est, quam succus, quippe qui, materia etiamsi spoliatus extractiva, ob alias suas vegetabiles partes brevi corrumpitur, ita ut acidum merum*) aqua solutum, optime eidem substituatur. Oleum Citri destillatum leve est, valde volatile, coloris fere expers; sapore æmulatur corticem. Qualitates corticis, ab oleo plurimum pendentes, aquæ, vino et alcoholi impertiuntur.

V. Succi refrigerans, antiseptica, antiscorbutica eximia; corticis stimulans, stomachica.

U. Succi et acidi ejus concreti omnibus fere in febribus frequentissimus, ut pote refrigerans, sitim mitigans, biliosam diathesin egregie refrenans, simulque pronitati in putredinem coërcendæ perquam conveniens. In scorbuti curatione efficaciam eminentissimam secularis comprobavit experientia, haud secus ac Citri cortices recentes, marcescentibus ab eadem causa gingivis continuo admoti, respondent examussim. Facultas hæc succi Citri antiseptica in connubio chloridi sodii multum intenditur (Wright), tumque dysenteriæ, febribus intermittentibus, scarlatinæ anginosæ et imprimis diabeti ac lienteriæ maxime ido-

---

*) Acidum citricum obtineri etiam potest e succo v. oxycocci, pruni padi, solani dulcamaræ, rosæ caninæ etc.

neum evadit medicamen. Uncia dimidia succi ad scrupulum carbonatis potassæ, vel sesquicarbonatis ammoniæ, saturandum adhibita, sub ipsiusque effervescentiæ actu administrata, vomitum statim inhibere et diaphoresin provocare solet. Eundem porro effectum libra dimidia aquæ, bicarbonate sodæ scatentis (Soda Water), cum succi Citri cochleari ac sacchari tantillo, apte præstabit. Merus succus, cochleatim sumptus, hystericas cordis palpitationes statim mitigasse legitur. Quibusdam in casibus camphoræ, cinchonæ decocto, aut vino congrue jungitur; cum spiritu vini gallici et saccharo sub forma *punsch*, in febre typhode, sub virium jactura, exitium minante, calcar bonum suppeditat. Cortex extimus in enterodynia flatulenta, torminibus ventris spasticis, aqua infusus adhibetur purus, vel aliis junctus remediis. Succus in itineribus maritimis a corruptela defenditur, adfusa quinta vel sexta parte spiritus vini gallici, quo quidem natura acidi paululum alteratur. Itaque rectius frigore condensatur, quo ad octavam partem reducitur, aut saturatione cum calcaria, quæ adfuso acido sulphurico dein separatur. *(Coxwell's concrete salt of lemons).*

D. Succi duæ unciæ, cum aquæ unciis octo, potui vulgari inserviunt.

CLUTIA ELUTHERIA. Linn.

Каскарилъ.

Americæ meridionalis incola, in insulæ Sancti Dominici locis saxosis circa portum Pacis (port de

la Paix) frequens, ad nos vero ab insulis Bahamensibus importatur. Cl. Monœc. O. Monadelph. O. N. Euphorbiaceæ. Arborea. *Usualis est:*

Cortex *(Cortex Cascarillæ. Каскарильная корка),* frustula referens tres vel quatuor pollices longa, plana, cannulata, vel in tubulos, corticis cinnamomi instar, convoluta, lineam dimidiam et amplius crassa, externe cinerea, corticis cinchonæ colorem imitantia, subtus e fusco ferruginea, subrugosa, lineis transversalibus sparsa, et lichenibus *(Lichen Varugus, L. Cascarillæ et al.)* obducta, fragilia; fractura nitente fusco-brunea, resinosa. Tempore corruptus, ex crassioribus ramis, vel e trunco collectus improbatur. Cinchonæ loco olim venditabatur sub nomine chinæ novæ, chinæ aromaticæ, corticis peruviani grisei, chinæ-chinæ feminæ, chinæ-chinæ spuriæ.

Q. In oleo volatili, æque ac resinoso et extractivo amaro residens. Gustatus saporem prodit amarum, aromati junctum, quo os durabili sensatione incalescit. Odoris, nonnisi dum incensus extinguatur, fragrantis, moschum ac benzoën redolentis, unde tabaco interdum admiscetur, fumum spargens gratum, moscho gratiorem, ambræ utcunque accedentem. Prunis injectus facillime accenditur, flagratque vivida flamma, illico tamen, ac ab igne removeatur, extinguibili. Secundum analysin a Trommsdorff institutam continet: mucum, principium amarum, oleum volatile, resinam, aquam, fibram ligneam, extractum viride-flavescens, fragrans, acriculum. Alcoholi ex parte, aquæ vero, et penitius spiritui vini rectificato, partes corticis præcipuæ impertiuntur.

V. Stimulans; roborans; peptica; interdum ob resinam excalefaciens; febrifuga.

U. In ventriculi et intestinalis tractus imbecillitate valet, et ob extractivi copiam aromaticis jure præfertur, imprimis vero alvo habituali liquida opportunum remedium. Ita in diarrhœa et dysenteria: priorem nempe sistit, hac vero protracta, viarum digerentium laxitati egregie subvenit. Diarrhœis chronicis infuso-decoctum Cascarillæ cum opio, æthere sulphurico aliisque analogis, multum conducit. In colica flatulenta, diarrhœa rubeolis superstite, atque exanthematibus infantum gangrænescentibus (Underwood) optimum præstat auxilium. Inclytum olim, præsertim a Stahlii asseclis, cinchonæ substituens habebatur; nonnullis (Junker) eandem vi antiperiodica etiam excellere perperam visum est. Cascarilla eo imprimis respectu commendanda, quod protracto usu ventriculo minus infesta sit, ejusdemque vires aromate intendat; hinc sub insigni viarum primarum relaxatione, frequenti quartanarum autumnalium sequela, congruum est remedium (Pinel, Alibert, Desbois de Rochefort). In pulmonum etiam debilitate, ut in asthmate pituitoso, tussi habituali, febre hectica (Hoffmann), interdum efficacia ejus elucet. Convalescentibus cum vino, in amarorum connubio, bonum calcar, viribus sociatis, subdit.

D. Forma pulveris, a granis decem ad scrupulum et semidrachmam datur. Pro infuso aquoso vel vinoso drachmæ duæ ad uncias sex, vel octo, vehiculi alterutrius. Extracti grana quinque ad decem.

COCHLEARIA ARMORACIA.

Raphanus rusticanus.

Хрѣнъ.

Planta siliculis ovatis, scabris, foliis radicalibus lanceolatis, crenatis, caulinis incisis. Europæ ad ripas crescens, et ubique hortensis. Cl. Tetradynamia. O. Siliculos. O. N. Cruciferæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Radix, rhizoma cylindricum, a pollice ad brachium crassum, ramosum, extrinsecus cinereum, intus album, succulentum, nonnisi recens adhibendum; inde in arena, perpetuo humida, servandum, siccatum etenim virtute spoliatur. Succus ejusdem expressus.

Q. Eximia, a principio volatili imprimis repetenda: per destillationem enim obtinetur hydrogenium sulphuratum et oleum volatile coloris ex flavo albescentis, valde acre; inde Armoraciæ dependet acrimonia illa penetrans, oleosis, butyro et lacte involvenda. Sapor acris, odor sternutationes et lacrymas ciens.

V. Stimulans, imprimis vasculare ac nervosum systema; peptica; antiseptica.

U. In scorbuto varia sub forma adhibetur, ut carnis condimentum, vel cum vino, aut in cerevisia. Hydropi, post febrem intermittentem superstiti, succus ejusdem multum prodest, saccharo vel vino remistus. In organorum digestionis atonia, nec non in primarum viarum mucositate, a multis commendatur. Asthmati pituitoso, paralysi, rheumatismo et arthritidi atonicis, paraphoniæ, imo menstruis deficientibus auxilio esse, nonnullorum experientia comprobavit; hæmorrhoidum fluxum cessantem illa sæpius restitui posse, compertum

jam habetur. Syrupus in raucedine valet. Recens radix rasa, et a semuncia ad totam cuti imposita, epispastica eminet virtute. Unciæ duæ, vel quatuor, pediluvium reddunt irritans, pro delicatulis rubefaciens. Infusum radicis cum aceto lentigines discutit.

D. Radicis rasæ a drachma ad semunciam et amplius. Succi expressi drachma dimidia in haustu vini.

COCHLEARIA OFFICINALIS.

Ложечникъ; Ложечная трава; Ложечный хрѣнъ.

In aggeribus collibusque maritimis frequens, etiamque culturæ ope crescens. Cl. et O. præcedentis. Annua. *Usuales sunt:*

Herba recens, siliculis globosis, foliis radicalibus subrotundis, cochlearis formam aliquando referentibus (unde plantæ nomen), caulinis oblongis, subsinuatis. Succus recens expressus. Cum aliis siliculosis, interdum cum Ficaria ranunculoide permutatur.

Q. Folia recentia saporis acris sunt, amaricantis, salini, non ingrati; contrita odorem peculiarem acrem, aromaticum spargunt; siccata omnibus privantur qualitatibus. Oleum æthereum, destillatione obtentum, album est, valde volatile, pungens, lacrymas ciens. Ejusdem in connubio peculiare exstat principium acre, *Cochlearini* nomine a Döbereiner insignitum. Cochleariæ extractum, diutius servatum, et a Tordeux examinatum, nitratis potassæ obtulit crystallos, plantæ virtutem diureticam, eodem judice, constituentes.

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica, multiplici usu comprobata.

U. Herbæ et succi principalis in scorbuto, sub forma acetarii herba data. Externe adhibita sanat ulcera scorbutica oris et gingivarum. Variis cutaneis morbis chronicis, præsertim scabiei, convenit; affectionibus tandem asthmaticis (Cranz), nec non rheumatismo et febri intermittenti, scorbutica stipatæ diathesi, opportunum (Sydenham).

D. Succi, in connubio amarorum, fumariæ officinalis, menyanthidis trifoliatæ et similium, ad unciam et amplius.

COLCHICUM AUTUMNALE.

Безвременникъ; Луговой Шафранъ.

Planta, quæ a veteri Colchide, nunc Mingrelia dicta, nomen nacta est, in australi Rossia frequens occurrit. Cl. Hexandr. O. Trigyn. O. N. Colchiaceæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Bulbus tuberiformis compositus, subglobosus; ex carina brevissima, e squammis succulentis, sponte a matre sua solvitur. E terra tempestive evulsus (mense nempe Junio ad dimidium Augustum), in tenues lamellas dividitur, quæ super chartam positæ, sine calore artificiali, in umbra sub dio sereno siccantur. Alio tempore collectus et in aliis locis, naturæ ejus minus amicis, crescens, acrimonia penitus et efficacia est destitutus. Semina sunt parva, globosa, seminibus milii quoad magnitudinem æquiparanda, coloris obscure fusci, rugosa, aspera, basi propagine albida

umbilicari prædita, perdura, tenacia, difficillime in pulverem redigenda. Semina matura mense Majo vel Junio colliguntur: hæc ponderosa sunt et coloris obscure fusci; immatura autem, corrupta, coloris pallidi ferruginei, virtute medica destituta sunt, ideoque rejicienda. Colchici semina sapore nauseoso, peramaro, subacri, ab aliis, similitudinem cum iis habentibus, imprimis distinguuntur.

Q. Bulbus recens fere inodorus est, saporis amaricantis, acris; vetustus vero paululum farinosus et viscidus. Efficacitas Colchici pendet a peculiari principio alcalino, Colchicinum, veratrino subanalogum, dicto, quod bulbo pariter ac seminibus inest. Ad extrahendum hocce principium activum alcohol, acetum et præ cæteris vinum Hispanicum, Xeres dictum, adhibetur. Hæc tinctura Colchici vinosa (sic dictum *Vinum Colchici*) diutius servata, sedimentum deponit, quod sedulo separandum est, ne sub ejus usu nausea et tormina, exinde oriunda, superveniant (Home). Præter Colchicinum bulbus continet acidum malicum, principium tingens, gummi, amylum, fibrinam et magnam inulini quantitatem. Semina præterea gaudent oleo pingui. Cl. Thomson putat, bulbo gluten etiam inesse, imo efficaciam bulbi magnopere ab illo pendere, in hoc enim velut in succo lacteo Colchicinum hærere, quo siccato Colchicinum destrui. Gluten detegitur, si grana decem bulbi Colchici, in pulverem redacti, cum guttis sexdecim aceti destillati in mortario terantur et si, additis totidem guttis tincturæ guajaci, color læte cæruleus appareat (Thomson).

V. Colchicum omnibus mammalibus jam parva in quantitate toxicum est, si equos excipias, qui floribus ejusdem impune vescuntur. Remedium est excitans;

drasticum (veratro albo haud absimile); vi diuretica, testante Cl. JOHNSON, quantitatem acidi urici in lotio adaugens. Inest Colchico vis quoque narcotica sat insignis, qua cordis arteriarumque actionem minuit, pulsumque retardat. Nimia dosi porrectum nauseam, vomitus lethales et hypercatharsin excitat.

U. Ob summas, quibus antiquitus in profliganda arthritide et podagra inclaruit, virtutes, nomine Hermodactyli, priscis Græcorum Medicis remedium erat pretiosissimum, testibus DIOSCORIDE et TRALLIANO. Quanti subsequentibus temporibus semper æstimatum fuerit, ex PAULO ÆGINETA, sexti seculi scriptore, repetendum. Nec defuere Colchico hyperbolicæ denominationes, et PEPAGONEUS, qui jussu AUGUSTI MICHAELIS PALEOLOGI tractatum de podagra scripsisse fertur, illud animam articulorum nuncupavit. Et re quidem vera non immeritas hasce fuisse remedii laudes, recentiorum temporum experimentis perspectum exploratumque habetur. Usu Colchici, debita ratione et justa dosi porrecti, dolores arthritici, elapsis aliquot horis, quasi per incantamentum silent. Arthritidem ad organa nobiliora repercussam, nisi præpostere datum fuerit, cito lenit, quin imo penitus tollit et extinguit. Probe noscunt podagra diu vexati, quantum id ad præpediendos insultus mali valeat. Inter alexipharmaca secreta, podagram depellentia, *Aqua medicata Hussonii* efficacitatem suam Colchico in acceptis refert. In rheumatismo acuto et chronico, nisi subditæ syphilidis germen lateat, cæteris remediis palmam eripit. In curandis ophthalmiis rheumaticis, morbo jam declinante, auctore Cl. SICHEL, efficax præstat auxilium. Ob virtutem emetico-catharticam, dosibus quavis dimidia hora porrectis, fausto, ut Cl. SMITH narrat, eventu

adhibitum fuit in tetano, præmissis 50 ad 60 hirudinibus, vel cucurbitis scarificantibus, ad decursum columnæ vertebralis. Sunt qui remedii vim in catarrho et bronchitide epidemica (influenza), fausto omine expertam fuisse narrent. Hadenum in variis morbis inflammatoriis Colchicum exhibuisse juvit. Ubi pulsus frequentia ex digitali non imminuitur, Colchicum eidem nuptum, arteriarum ictus mirum in modum retardat (Stephenson et Churchill Med. Bot.). De curato hydrope, diuturniori ejus usu, hinc inde leguntur exempla.

D. Pulvis bulbi, aut seminum, rarius in usum ducitur, et tum dantur grana tria aut quatuor, cum carbonate magnesiæ (Scudamore), aut sulphate ejusdem, sexta quavis hora. Præparata ex iis omnino præferenda sunt, et præprimis ex seminibus.

COLOMBA.

Cocculus palmatus. de Cand.

Коломба.

Plantam in insula Ceylonia, prope urbem Colombo, unde nomen accepit, crescere, false olim existimabatur; nuperrime enim compertum est, radicem ejus, e regionibus Africæ austro-orientalibus a Lusitanis obtentam, ab illis in insulam Mozambique (continenti Africæ oppositam) translatam, inde ad portum Tranquebar Indiæ Orientalis advectam, mercem constituisse lucrosam. Anno 1825 planta hæc, a præfecto navali Owen ab Oibo ad insulam Mauritiam, et archipelagum Seychellium, exinde deinceps ad plerasque Indiæ Orientalis Britannorum colonias fuit disseminata. In densis nemoribus, ad littora Mozambique sitis, copiose crescit. Mense

Martio, anni tempestate sicca, radices effossæ in taleolas, 4 — 6 lineas crassas, dissecantur, quæ filis invicem connectuntur, ac in locis umbrosis probe siccantur. Cl. Diœcia. O. Decandr. O. N. Menispermeæ.
Usualis est:

Radix (vulgo ***Radix Columbo. Корень Колумбы;*** scribitur etiam Colombo, Calumba, Calumbo, Calambo, Calumb), longa, crassa, lignosa, externe e flavo-grisea, vel lutea, subfusca, interne integra e flavo-albicans, secta vero in taleolas, ut vulgo prostat et ad nos adfertur, luteum ex viridi habet colorem. Taleolæ tria strata concentrica offerunt, quorum exterius 1 — 2 lin. crassum, rugosum, fusco-griseum, vulgo radicis cortex dictum et facile separabile; medium annulum exhibens solidum, ligneum; tandem medulla subsequitur mollis, amylacea, ex flavescente virens. Recentissimæ radicis Colombæ taleolæ odoris sunt subaromatici; saporis amari, fortis, aromatici permanentis; amarities strato imprimis exteriori inhæret. Substantia medullaris gustui mitior est, muci fere ad instar. Taleolæ decolores vel maculatæ, spongiosæ aut cariosæ, fere insipidæ, rejiciendæ sunt; ipsaque recens et genuina radix diu servata qualitatibus orbatur, a vermibus perroditur, cariosa evadit; sollicite igitur in vitro, vesica bubula muniendo, loco frigidiusculo servanda est. Cave porro ne cum radice Bryoniæ, vel Colombæ falsæ, vel Saponariæ Ægyptiacæ genuinam confundas. Analysis a Planche instituta docuit, radici multam inesse substantiam animalem, amylum, materiam flavam amaram et olei volatilis tantillum. Nuperrime vero Wittstock peculiarem ibi detexit substantiam salinam, ***Columbinum*** dictam, omni radicis vi pollentem, inodoram, summe

amaram, vix in aqua et alcohole, facile vero in acido acetico et oleis æthereis solubilem, nec acidorum, nec alcalium qualitates exserentem. Infusum omnes radicis possidet proprietates, quæ alcohole etiam extrahuntur, hinc alcohol dilutum optimum est earundem menstruum. Infusum a sulphate ferri, nitrate argenti, chlorido hydrargyri, tartrate stibii et potassæ nullam patitur mutationem; sed præcipitata subsident in eodem copiosa ab infuso gallarum, decocto cinchonæ, acetate plumbi, bichlorido hydrargyri et aqua calcariæ.

V. Tonica eximia, vix stimulans, neutiquam adstringens, ventriculo et intestinis energiam impertiens; in bilis secretionem præcipue agens; antiseptica.

U. In variis adfectionibus stomachi et intestinorum, cholera sporadica, vomitionibus habitualibus, dyspepsia, aliisque multis, bilis redundantia et depravatione copulatis, diarrhœis protractis, dysenteriis jam declinantibus imprimis conveniens. Sub diarrhœa et vomitu infantum, dentitionem comitantibus, auxilium præstat, et in ultimo febris puerperalis stadio cinchonæ anteit. Febrium intermittentium et remittentium vernalium vomitum, quo frequentius stipantur, compescens, gravidarum et puerperarum nauseæ insigniter succurrens, bilem corrigit corruptam, ventriculi motus abnormes sistit et vires restaurat. Potentia stimulante et adstringente carens, imbecillo phthisicorum et hecticorum stomacho, quin noceat, convenit. Infantibus febre meseraica pressis, in sulphatis potassæ et rhei connubio, levamen fert insigne. Alcalinis et salibus neutris nupta, adversus hypochondriasin et hysteriam potest. Cum opio certum dat levamen cardialgiæ pertinacissimæ. Extrinsecus: ulce-

ra impura et atonica, pulvere ejusdem respersa, sanantur.

D. Pulveris radicis a granis decem ad semidrachmam, secunda, tertia, vel quarta quavis hora, per se vel in connubio magnesiæ, opii, interdum aromaticorum quoque, corticis citri aurantii, quassiæ, rhei, martialium. Infusum radicis, amaram potius materiam continens, et decoctum, tertiam totius radicis partem (per pondus) absumens, e semuncia cum decem unciis aquæ parantur, et hauriuntur cochlearibus. Tinctura spirituosa omnibus præparatis potentior est.

CONIUM MACULATUM.

Cicuta terrestris.

Болиголовъ пятнистый; Омегъ пестрый; Мутникъ.

Caule plantæ ramoso, maculato, fructibus parvis, globosis, bipartitis, striatis: striis (jugis) crenulatis, involucellis dimidiatis, subtriphyllis, connatis, et involucro communi polyphyllo; in Rossia, præsertim calidiori, copiose crescens, locis incultis, ruderatis. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbelliferæ. Biennis. *Usualis est:*

Herba (h. Cicutæ terrestris) foliis compositis, foliolis ovatis, incisis, glabris. Caute a Chærophyllo bulboso, temulento et silvestri, haud secus ac ab Æthusa Cynapio, Cicuta virosa, Tordylio Anthrisco et Scandice odorata, quibuscum interdum permutatur, distinguenda. Chærophylli bulbosi caulis est maculatus, geniculis tumidis, basi et foliorum petiolis ner-

visque hirtis. Chærophylli silvestris caulis striatus, genicula tumidiuscula; fructus oblongi, læves. Æthusæ Cynapii s. Cicutæ minoris caulis sulcatus, folia nitida, involucella pendula, longissima, dimidiata, triphylla. Cicuta virosa seu aquatica foliorum pinnatorum foliolis lanceolatis, ternatis, acute serratis, involucro communi nullo, radice tuberosa, cavernosa, succo croceo plena, nec non loco natali, in paludibus profundis, ab omnibus distinguitur.

Q. Plantis venenatis adnumeratur. Saporis est amari, nauseam moventis et aliquantulum salini; odoris nauseosi, graveolentis, murini vel illi lyttæ vesicatoriæ analogi. Diligentiori analysi chemica, a Cl. Brandes instituta, pro certo habetur, principium Conii maculati activum in alcaloide peculiari liquido residere, quem Brandes Cicutinum, Paris autem Coniinum vocavere, etsi Celeberrimo Thomson jam pridem notus fuisset. Alcaloides hic solvitur in alcohole et æthere sulphurico; acida vegetabilia vim ejus infringunt: hinc clare patet, cur extractum Conii aquosum iners remedium sit, et cur acetum antidoti vices agat. Inter præparata Conii, extractum antlia pneumatica paratum, cæteris præstantius habetur, nisi pulverem foliorum præferre mavis.

V. Narcotica; sedans; organismo humano inimica, quibusdam vero quadrupedibus innocuum præbet pabulum.

U. In remediorum serie, quæ in variis pectoris adfectionibus usurpantur, non ultimum tenet locum. Sunt, qui virtutem Conii, in pacanda gangliorum thoracicorum irritatione, fere specificam esse contendant, hinc debellata pneumonitide, ad tollendas morbi reliquias, magni æstimatur. Etsi in pertussi (coqueluche)

minus efficax quam Belladonna sit, sed ubi hæc, ob nimis teneram infantum ætatem, vel ob constantes sanguinis ad caput congestiones, tuto porrigi nequit, ad Conium confugiendum erit.

Quanti in curandis systematis lymphatici morbis semper fuerit emolumenti, et veterum et neotericorum experientia probatum est. Scrofulæ et indurationes glandularum, remedio diutius adhibito plerumque cedunt; non raro hoc in casu salibus alcalinis, vel ferri, vel jodi, vel stibii præparatis jungitur. In obstructione glandularum mesenterii (tabe meseraica infantum) interdum auxilio fuit. In induratione testiculi, vel a supressa blennorrhœa, vel ab injuria externa, ortum ducente, uti quoque in indurata prostata, Conium et calomeli, et sulphuri aurato junctum, teste quotidiana experientia prodest. Quid remedium hoc, dosi pedetentim semper adaucta, in scirrhosis mammarum indurationibus, non neglecta compressione juxta artis chirurgicæ præcepta, efficere valeat, experimentis fidem merentibus satis superque constat. In scirrho colli uteri, et in cancere aperto, etsi malum radicitus tollere nequeat, tamen adfert solamen ægrotis. In tumore hepatis et lienis chronico, icteri et hydropis non raro causa, Conium interne datur hydrargyro, saponi stibiato vel assæ fœtidæ interdum junctum, emplastro extrinsecus admoto. Laudatur quoque in myodynia rheumatica, arthrodynia, prosopalgia et hæmicrania, nec non in aliis neuralgiis. Si tumores resolvendi sunt, admodum duri et inflammati, tum Conium forma cataplasmatis adhibetur. Infusum ejusdem extrinsecus adhibitum, suppurationem corrigit in ulceribus canceraticis, ac syphiliticis; juvat quoque per modum injectionis in leucorrhœa.

D. Folia leni calore siccata cæteris plantæ partibus merito præferuntur, et a granis duobus tribusve gradatim et caute, usque ad semidrachmam ascendendo, bis terve de die porriguntur. Succus spissatus, vulgo Extractum, datur a granis duodecim ad quadraginta spatio nychthemeri. Respectu dosium Conii maculati notandum, admodum esse variam ægrorum pro hocce pharmaco receptivitatem, quapropter dosibus semper minoribus cura inchoanda erit, gradatim et caute ad majores ascendendo, donec elapsis sex vel octo horis, post assumptum remedium, siccitas faucium levisque vertigo, symptomata narcosin manifestantia, insecuta fuerint; tunc danda mora per unum alterumve nychthemeron, iterumque dosi aliquantulum minori, quam quæ narcosin produxit, incipiendum, sensim sensimque ascendendo.

CONVOLVULUS JALAPA.

IPOMŒA MACRORRHIZA. MICH.
IPOMŒA JALAPA. REDMAN COXE.

Ялапа; Вьюнокъ; Павиличные колокольчики; Повоенъ.

Planta caule volubili (unde Convolvuli nomen), foliis ovatis subcordatis, obtusis, pedunculis unifloris. Americæ australis regionum calidarum et temperatarum incola; in viciniis urbis Mexicanæ Xalapa seu Jalapa abunde crescens, æque ac in silvis ditionis Vera-Crux; in declivitate orientali Cordilleri Annahuac, inter 19° et 20° latitudinis, etiam frequens. Cl. Pen-

tandr. O. Monogyn. O. N. Convolvulaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix *(Ялапный корень)* integra, crassa, rotunda, oblonga, fusiformis, rugosa, carnosa, vetustior pondus 50 librarum aliquando æquans, unde nomine Ipomœæ macrorrhizæ a Michaux insignita. Venalis transversim secta est in taleolas, trium circiter linearum crassitie, a 4 –8 unciarum pondus habentes, externe fuscas, interne rufescentes, circulis notatas concentricis fusco-nigricantibus, resinosis, textura interna cellulosa lucidiori. Bonæ indolis radix sit ponderosa, compacta, et in fractura particulis interspersa micantibus, resinosis; igni admota flammam concipiat, et contusa non admodum difficulter in pulverem redigatur. Interdum ejus loco radicem Convolvuli Mechoacannæ, Mirabilem Jalapam, et Dichotomam usurpatam fuisse, notarunt multi; sed differentia facile innotescit, hæc enim in taleolas secta, colore pallidior, spongiosa, facile friabilis et in superficie circulis notata. Nonnunquam etiam virtute cassa venit; hinc ipsa radicis frusta, et quidem ponderosa et dura, non pulvis ab aromatariis emi debet. Radix Bryoniæ albæ, qua interdum permiscetur, itidem colore pallidiori, textura spongiosa, minori gravitate, majori fragilitate, tum et annulis et radiis in interna substantia discriminatur. Ipsius C. Jalapæ frusta pallidi coloris, fragilia, levia, foraminibusque pertusa, rejicienda sunt.

Q. Odor radicis peculiaris est ingratus; sapor acris, resinosus, pungens, imprimis fauces adficiens, nauseosus. Chemica analysis, a Gebero instituta, radici siccæ resinam, cum duriorem tum mollem, pigmentum, quod a carbonate quolibet alcalino rubrum induit colorem, phosphatem potassæ et calcariæ, nec

non sulphatem, bassorinum, albumen, amylum, materiam fibrosam ligneam, aquam et salia varia inesse docuit. Humeus junior principium peculiare (Jalapinum) in resina se reperisse contendit; Dulkius tamen sufficienter probavit, principium ejus esse resinam acido acetico intime copulatam.

V. Cathartica; hydragoga. Resinæ drastica; anthelminthica.

U. Actionem et secretionem mucosæ intestinorum adaugendo, nec non totius tractus intestinalis vermiculares motus intendendo, contenta ejusdem, sintne fæces, mucus, vermes, etc. evacuat. Ut nervorum plexus abdominales irritans adhibetur radix in atonia viscerum abdominalium, dyspepsia, obstipatione, præsertim cum bile taurina spissata, et amaris, seu refractis dosibus irritandi scopo, seu cathartico. In asthmate etiam humido (in connubio polysulphureti stibii) rachitide, atrophia, obstructione pancreatis (cum sapone et bile taurina spissata) laudatur. Hydropi, sub abdominali stagnatione, præsertim si alvum etiam duci expediet, cum bitartrate potassæ, scilla, polysulphureto stibii, etc., conjuncta, stimulum intestinis imprimendo, medetur. Febribus intermittentibus, morbis etiam cutaneis, lumbricis, imo tæniæ, opposita profuit. In typho, scarlatina, cynanche maligna, chorea et tetano usus ejus suppetias tulit. Sed inflammatorio statui, plethoricis, congestionibus et spasmis abdominalibus laborantibus, in hæmorrhagias pronis et hæmorrhoicis alienus est; ita robustis minus irritabilibus, vulgo phlegmaticis, opportunus. Minus excalefacit quam aloë, neque ita alvum, ut rheum, post catharticum effectum, adstringit. Resina Jalapæ cautissime utendum, ne ventriculi et intestinorum plicis adhærens, permolestas cieat turbas,

tormina videlicet, hypercatharsin, quin imo inflammationem, aliaque adhuc duriora mala. Neque spernendum est, eidem bono, ut pulvis radicis sollicite et subtilissime tenuetur cum bitartrate potassæ, vel saccharo. Aromatis etiam cujusvis tantillum adjicere perutile est.

D. Si duntaxat nervorum plexus irritare lubet, tum radix a duobus ad quatuor grana infantibus, adultis vero a quatuor ad sex exhibetur, congrua remediorum copula. Movendæ leniter alvi gratia infantibus a quinque ad sex grana, adultis a sex ad decem dantur. Scopo cathartico adultis scrupulus ad semidrachmam sufficit. Forma pulveris est adcommoda.

CONVOLVULUS SCAMMONIA.

Скаммонія.

Planta Syriæ, Mysiæ et Cappadociæ, imprimis in jugis montium inter Latacheam et Aleppo sponte et ubertim crescens, unde ad nos importatur. In Persia, et Cockin-China nonnunquam occurrit. Convolvulo Sæpio, nobis indigeno, haud absimilis. Cl. O. et O. N. præcedentis. *Usualis est:*

Gummiresina *(Scammonium. Скаммонія смола)* substantia cinerea, levis, friabilis, acris, fracturæ splendentis, aqua, si solvatur, lactea, in viride vergens. Optima incisione radicis, vilior expressione aut decoctione plantæ obtenta; cæterum eo melior est, quo aqua solubilior. Præferenda est quæ ex Aleppo adfertur, Antiochena, seu Smyrnæa vilipenditur, estque succus lactescens, coctione inspissatus, e Cynancho

Monspeliano, qui et gravior, et nigrescens, et debilius purgans est.

Q. Odoris peculiaris ingrati, caseum ovillum vetustum redolentis; saporis initio haud fortis, sed postea amari, nauseosi, acris. Secundum chemicam analysin, a Bouillon Lagrange institutam, Scammonium constat e resina flava, translucente, fragili facileque in alcohole solubili, e gummi, materia extractiva amara in aqua et spiritu vini solubili, et materia vegetabili, arena admista. Pro diversa tamen Scammonii varietate, partium constituentium ratio variat, et quidem, quo melius est Scammonium, eo resinæ majorem quantitatem continet. Aqua quartam ponderis partem, alcohol purissimum duas tertias, dilutum vero totum solvit, si solummodo quisquilias et inquinamenta excipias. Solutiones Scammonii nec acidis turbantur, nec salibus metallicis, nec ammonia; alcalia vero fixa, præcipitata flava deponunt, virtutibus Scammonii haud mutatis. Arena, cineribus, farina tritici et carbonate calcariæ adulteratur non raro; omnia tamen solutione in alcohole diluto facillime deteguntur; carbonas calcariæ autem quovis acido fortiori addito mox innotescit.

V. Admodum stimulans; drastica; anthelminthica; jalapæ haud absimilis, nisi quod eam irritante superet qualitate.

U. In morbis viscerum abdominalium atonicis, cathartica exigentibus, ægris fortioribus convenit; infantum quoque variis adfectionibus, quæ colluvie mucosa et ventriculi cruditatibus stipantur, perquam opportune occurrit. Muco tamen deficiente cautissime adhibendum est Scammonium, ne præter justum inte-

stina irritet et inflammationem eorum inducat. In torpore melancholico, hydropico, et in tænia evocanda haud frustranea celebratur laude, æque ac in quacunque helminthiasi.

D. Grana duo, vel quatuor pro dosi dantur. Largiori dosi non solum alvus vehementer cietur, sed etiam tormina et nervorum distentiones excitantur. Rarius per se, plerumque in connubio aliorum, ejusdem farinæ, propinatur. Cum sulphate potasse tritum cremori tartari, antimonialibus, chlorido hydrargyri, congrue miscetur; cum mucilaginosis et decocto glycyrrhizæ apte emulsionis formam induit. Cum acidis commistum, Scammonium inertius redditur; alcalia vero fixa intendunt ejus vim.

COPAIFERA OFFICINALIS.

Копаевое дерево.

Procera et pulchra arbor Americæ australis, Brasiliæ, insularum Caraibensium et Novæ Granatæ indigena. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Leguminosæ. *Usuale est:*

Balsamum *(B. de Copaiva* seu *B. Copaivæ)*, succus peculiaris balsamicus, e trunco arboris profundius inciso stillans, cujus tamen quantitas variat, tum pro arboris ætate, tum etiam pro ipsius varietate; nam non modo supradicta planta balsamum largitur, sed multæ pleræque aliæ ejusdem generis, ut C. multijuga Mart. C. cordifolia Hayne, et aliæ forsan bene multæ. Hinc qualitatis etiam dispar est ratio ita, ut duæ balsami species in mercatura veniant: 1) Balsamum

Antillarum, coctione forsan ramorum arboris elicitum (ex Jamaica importatum), flavescens, spissum, opacum, odore debili, sapore ingrato, vix unquam medico usui inserviens, et 2) Balsamum Brasiliense, optimæ qualitatis et solum medicinæ dicatum, ab initio tenue, coloris expers, transparens, ponderis specifici = 0,950. Non raro terebinthina et oleis expressis mixtum occurrit. Terebinthinam nonnisi accurata per gustum et olfactum exploratione detegimus; olea expressa, quæ in alcohole non solvuntur, secernit alcohol; quæ vero in eodem solvuntur, prodit indoles balsami mitior et æther sulphuricus, cui resistunt.

Q. Balsamum Copaivæ Brasiliense odoris est oleosi, haud plane ingrati; saporis debilis aromatici, amariusculi, subacris, diu linguæ adhærentis. Guttula ejus, aquæ ex alto instillata, primo fundum petit, paulo post versus superficiem assurgit, agitata vero, aquæ debilem impertitur odorem. Temporis progressu sensim condensatur, turbidius fit, odore saporeque pedetentim orbatur, et tandem considet in aqua. Pari portione spiritus vini rectificati permistum, solvitur ex toto, id quod etiam fit, si balsamum cum æthere, oleis æthereis nec non pinguibus commisceatur, imo cum aqua quassatum solvi videtur, ea tamen quieti exposita paulatim tendit superiora versus. Mucilagine juvante, vel vitello ovi constantior fit mistio, et bonam præstat emulsionis formam. In cochleari platineo igni admotum, comburitur et avolat forma vaporis albi. Saccharo, salibus variis et multis aliis substantiis facile jungitur; cum magnesia vero eam nanciscitur spissitudinem, ut massam pilulis formandis aptam præbeat. Analysi Balsami Copaivæ primum Hoffmann et Schönberg operam dederunt, posterius Stolze, nuperrime

tandem Gerber, Thomson aliique, unde constat, præter oleum æthereum, resinam peculiarem ei inesse flavam, fragilem, styracino analogam, quæ a Pelletier crystallorum capax æstimatur. Analyseos educta, modico juvante tepore, conveniunt ad formandum idem balsamum, quod nonnisi colore intensius fusco a genuino discerni potest. Relatio balsami ad tincturam heliotropii, quam rufat, non ab acido peculiari, ut quondam sine ulla ratione putabatur, sed a resina dependet, quæ etiam in causa est, cur balsamum hoc cum substantiis alcalinis debilioribus mixtionem inire valeat.

V. Propter resinæ copiam, cum oleo æthereo copulatam, Balsamum Copaivæ stimulantem exserit virtutem, in systemate vasculari et nervis vitæ organicæ dicatis manifestam, ut exinde calor corporis, pulsuum ictus, sudor et lotium adaugeantur. Protracto ejus usu lotium valde copiosum fit, peculiari inquinatur odore, virescentem induit colorem, et turbidam ac mucosam nanciscitur qualitatem. Præprimis notanda est vis ejus in membranas mucosas, præsertim viarum urinariarum et genitalium, quas peculiari modo adficere videtur. Largior dosis digestionis functionem citissime destruit, sensum ustionis ad œsophagi tractum producit, cardialgiam provocat, diarrhœam movet, torminibus haud raro stipatam, nauseam et vomitum. Perverse adhibitum, sicut reliqua balsama, congestiones et hæmorrhagias excitare potest.

U. Quamprimum de valida, peculiari quasi, actione Balsami Copaivæ in membranas mucosas satis constitit, multi Medicorum variis illud morbis adcommodare studuerunt, idiopathica vel consensuali etiam mucosarum adfectione manifestis; nec inania omnino fuisse tentamina, propria evictus sum experientia.

Atonia igitur mucosarum urgente fas est ad hoc confugere medicamen, cujus beneficio inveterati etiam hujusce notæ morbi fauste sublati memorantur. Catarrhus chronicus, vel pectoris colluvies mucosa radicitus curantur hoc remedio, copiosam movente expectorationem, quin tonus partium inde exhauriatur. In fluxu genitalium mucoso, atonia eorundem, fluore albo, mictu difficili, pollutionibus, bonum præstat auxilium, imprimis autem in blennorrhœa secundaria efficax est, ubi jam inflammationis vehementia disparuerit, nec mictus dolorosus, neque tumescentia aut rubedo meatus excretorii urethræ adsit, his enim præsentibus balsamum nocuisse, experimenta probant. Nec silentio prætereunda est nova Balsami Copaivæ in blennorrhœa adhibendi methodus, larga illud dosi porrigere suadens, primum a Franco-Gallis (in Hôtel-Dieu Massiliæ) et nuperrime a nostratibus comprobata, quæ tamen cuidam Monteggio damnum intulit. Koppius, præ cæteris Balsamum Copaivæ in blennorrhœa curanda laudibus efferens, primordiis mali, scilicet dum pruritus, ustio levis, aliaque adparent, illud opponere suadet, ulteriorem morbi progressum tali ratione impeditum expertus. Si diarrhœa sub usu ejus adpareat, tinctura opii ei tanquam obex ponatur necesse est; exanthema vero, urticariæ ad instar efflorescens, præcipue apud feminas, diebus aliquot elapsis, sponte disparet. Non est, ut cum quibusdam phthisi purulentæ renum, aliorumve nobiliorum organorum suppurationi, certum e Balsamo Copaivæ quærere præsidium suadeam; ubi tamen vix ulla spes arridet, anceps etiam tentare fas est adminiculum; nec desunt specimina mali horrendi, quod, si non prorsus hoc remedio exstinctum, certe sublevatum et mitigatum fuit. Non vero plane desperandum est, si vesi-

cæ urinariæ aut ureterum mucosa, vel prostata, superficiali suppuratione adfectæ sint; his enim in casibus haud raro optimum pollicetur successum. Hæmorrhoidibus opitulatur internis, nec non alvo tenesmis oppressæ, post dysenteriam superatam superstitibus, et quidem parva dosi cum vitello ovi forma emulsionis porrectum. Dysenteriæ etiam, ejusdem auxilio profligatæ, Hufeland memor est. Externus ejus usus cæteris balsamis haud absimilis est, præcipue autem in vulneribus atonicis et furunculis commendatur; prodest etiam in blennorrhœa, injectionis forma administratum.

D. Balsamum purum per se a decem ad quindecim, vel viginti, guttas et ultra aliquoties per diem sumitur cum aqua, saccharo, syrupo vel alio quovis idoneo vehiculo. Aptior tamen est emulsionis forma, mediante gummi arabico, vitello ovi, mucilagine, vel lacte amygdalino spissiori obtinenda. Quibusdam pilularis forma arridet, si balsamum cum extractis amaris, myrrha, ferro, gummi kino aliisque conbinetur. Probetur velim et exploretur virtus clysterum, cum Balsamo Copaivæ parandorum, quos a nostratibus olim in blennorrhœa commendatos fuisse novimus. Fr. Hoffmann summam vim adscribit oleo volatili, destillatione Balsami Copaivæ cum aqua obtento, quod eo teste, in alcohole purissimo solutum, et cum axungia porcina ad unguenti formam redactum, in rheumatismo pertinacissimo et membrorum debilitate, vel paralysi, efficacissimum se præstitit.

CROCUS SATIVUS.

Шафранъ.

Planta Orientis bulbosa, in locis montosis Persiæ, Ægypti et australis Europæ sponte crescens, nunc autem in multis plerisque Europæ regionibus culta, in Germania præsertim, Franco - Gallia, Italia aliisque. Cl. Triandria. O. Monogynia. O. N. Irideæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Stigmata cum styli parte *(Crocus* seu *Crocum)* autumnali tempore extrahenda, et siccata in vesicis vel vasis probe clausis servanda. Styli filiformes sunt, trifidi, flexiles, flavi, ad pollicem longi; recentes recti sunt, siccati vero vario modo incurvi.

Q. Bonæ notæ Crocus ex fusco ruber est, nitidus, attactu subpinguis, levis, difficile in pulverem tenuandus; odoris peculiaris, fragrantis, grati et adeo narcotici, ut ex longiori ejus olfactu gravedo capitis, vertigo, stupor, syncope, quin imo apoplexia interdum sequatur; saporis amaricantis balsamici. Digitos fusco-rubro colore inficit, manducatus salivam fusco-flavo tingit, spiritum vini et aquam aureo flavo. Optimus habetur Anglicus; huic accedunt Austriacus et Gallicus; e Hispania vero importatus vilissimus est. Crocus Orientalis jure cæteris præfertur. Crocus venalis a lucri cupidis adulteratus haud raro obvenit; permiscetur enim: vel cum floribus Punicæ Granati, vel cum floribus Calendulæ officinalis, vel cum petalis Carthami tinctorii, vel cum ipsis Croci stigmatibus, ope spiritus vini præstantiore parte orbatis, et hinc inertibus, vel tandem cum fibris carnis bubulæ fumo duratis et coctis. Odore debili, vel vix ullo, sapore fatuo, nec non de-

fectu indiciorum, quæ genuino propria sunt, facili modo discernitur. Vogel, Bouillon Lagrange et Aschoff chemice Crocum investigando obtinuerunt: aquam, gummi, albumen, oleum volatile, materiem ceræ similem, quæ secundum Aschoff balsamo analoga videbatur, fibram vegetabilem et substantiam peculiarem, propter qualitatis colorificæ abundantiam *Polychroites* dictam, cujus tamen color insolatione et aqua chlori plane destruitur. Substantia hæc suave olet, mellis ad instar, gustui amara est, pungens, et aquæ adeo avida, ut aëri exposita humescat et tenacem spissitudinem adipiscatur; in alcohole solubilis, in æthere parum, nullatenus vero in oleis pinguibus et volatilibus. Henry Polychroitem pro connubio olei ætherei cum materia colorante assumit, et priori horum potius efficaciam Croci tribuendam esse arbitratur.

V. Stimulans valida, nervos et vasa excitans; aromatica; narcotica; sæpe emmenagoga. Minori dosi gratum calorem provocat, halitum cutis, hilaritatem, lotiumque haud raro movet, majori vero sanguinem ad caput vehementius pellit, ejusque circuitum ita adauget, ut hæmorrhagiæ exinde aliquando adpareant. Si dosis nimia fuerit, plerumque observantur: æstus, cephalalgia gravissima, anxietas, visus obnubilus, mentis alienatio et lethargia, in mortem abitura apoplecticam. Richard inter tonica enumerat Crocum, cujus virtute (parva dosi — 3 — 6 granis, forma pulveris) ciborum sustentatur appetitio et digestio bona. Polychroites non salivam modo et excrementa tingit, verum etiam omnes vel maxime absconditas organismi partes, ossibus exceptis (Gibson). Forsan joci gratia memorantur gravidæ Croco diutius usæ, quarum neonati flavi fuisse dicuntur.

U. Qua remedium convenit neurosibus adynamicis, nec non variis spasticis et convulsivis adfectionibus; hinc cum successu adhibetur in febri nervosa ad putredinem proclivi, in melancholia, hypochondriasi, tussi spasmodica et convulsiva infantum, præsertim ubi timor adest, ne opii usu alvus strictius constipetur. Amenorrhœæ medetur, et hic forsan quærenda est causa, cur hysteriasi olim cingulo inclusus opponeretur Crocus; lochiis quoque movendis sæpius perutilis, præsertim si mala ab uteri atonia ortum ducant, vel spasmodica ejus stipentur conditione. Wendt expertus est ejus utilitatem ubi osteocopi noctu acerbi urgebant. Orientis incolæ ad potiones inebriantes parandas opio aliisque narcoticis succedaneum esse Crocum putant; in Europæ vero quibusdam regionibus, forsan coloris gratia, liquorum dulcium *(Liqueurs)* init mixtionem et additur alimentis, caseo, butyro et bene multis. Extrinsecus cataplasmati additus in ophthalmia catarrhali, in inflammatione testiculorum, nec non in compescendis mariscis hæmorrhoidalibus dolorificis opem fert. Ulceribus quoque resolvente et emolliente virtute prodest, ubi scilicet dolorem sopire vel suppurationem promovere expedit. In nausea velificantium quidam Crocum regioni ventriculi infricandum esse volunt.

D. Forma pulveris a granis sex ad scrupulum, bis aut ter in die; pro infuso, spatio nychthemeri consumendo, sumitur scrupulus vel drachma ad quatuor uncias aquæ. Tincturæ porriguntur guttæ 15 — 30, bis vel ter in die.

CROTON TIGLIUM.

Кротоновое дерево.

Arbuscula insularum Moluccensium, Ceyloniæ, Malabariæ, Indiæ Orientalis et Cochin-Chinæ, in locis saxosis copiose proveniens, duodecim vel quindecim pedum altitudinem non excedens, ramis expansis, cortice molli nigricante. Folia alterna, ovata, acuminata, serrata, glabra, duas habent glandes basi adnexas, et petiolis longiusculis nixas. Flores erecti simplices in racemos abeuntes; floribus masculis calyx est cylindricus quinquedentatus, corolla pentapetala straminei coloris, cum decem vel quindecim staminibus; femineis vero calyx multifidus, cum tribus stylis bifidis, et sub germine reflexus, absque corolla. Capsula trilocularis glabra, quovis loculo unicum continens semen, magnitudine pisi, fuscum, ex uno latere nonnihil concavum, altero convexum. Cl. Monœc. O. Monadelph. O. N. Euphorbiaceæ. *Usuale est:*

Oleum, e seminibus Crotonis Tiglii expressione obtentum; coloris est flavi nonnihil rubicundi, consistentiæ olei olivarum, odoris peculiaris nauseosi, resinam jalapæ aliquantulum redolentis, saporis acris, pungentis ita, ut guttula ejus ori ingesta, ab initio blande oleosa, cito ingratam provocet sensationem caloris, quæ dein in acrimoniam et ustionem abit, atque linguam, palatum et fauces graviter et diu offendit. Ex Indiis Orientalibus importatur ab Anglis et magno emitur pretio; hinc nonnulli oleum e seminibus Crotonis Tiglii in Europa parare tentaverunt; sic Feld expressit oleum plane ejusdem consistentiæ, acrimoniæ et coloris, nec hilum qualitatibus medicis anglico cedens. Sæpius adulteratur oleo ricini, ol. jatrophæ curcas, jatro-

phæ multifidæ vel alio quopiam oleo expresso; imo artificiale prostat e resina jalapæ, balsamo canadensi soluta, paratum, quod ope alcoholis, resinam acerrimam extrahentis, detegitur. In Gallia oleum euphorbiæ lathyridis oleo Crotonis Tiglii substituitur, vel huic adulterando inservit. Cl. tamen NIMMO Glasgoviensis docet, hoc et alia olea forte admista ponderis specifici varietate dignosci posse.

Q. In Bengalia, variisque Indiarum Orientalium locis a vetustissimis temporibus virtute drastica inclaruit hæc arbuscula, cujus oleum et semina, vulgo dicta: *Grana Molucco, Nuclei cathartici, Tiglii grana,* ante 300 circiter annos in Europam delata fuere. Nostrates tamen, atroci hujus remedii efficacia perterriti, vim salubrem ei derogarunt; donec tandem BRANDES, FROST, PARIS et NIMMO, exacta disquisitione chemica nobiscum communicata, usui medico illud restituerunt. BRANDES in nucleo non decorticato acidum crotonicum alcoloidi peculiari nuptum, et oleum reperit; NIMMO, oleum examinando, ex 100 ejus partibus extricavit 45 p. principii acris valide purgantis, et 55 olei puri — plane innocui, oleum olivarum æmulantis, et vix ulla laxandi proprietate pollentis. Hinc oppido liquet, virtutem olei medicam principio isti insidere, cui PARIS et NIMMO *Tiglini* nomen indiderunt, et quod in æthere, alcohole, oleo quovis volatili et pingui solvitur, elaterino momordicæ elaterii haud absimile est, et vix ullam qualitatem alcalinam possidet. Haud itaque mirum videbitur cur oleum Tiglii tam facile adulterari, imo cuivis menstruo idoneo virtutem drasticam impertire possit. Principium istud activum in embryone et imprimis cuticula ejus residet, oleum enim Moluccense, e nucleis omnino denudatis expres-

sum, alvum quidem ducit, mitiore tamen drastica qualitate gaudet.

V. Omnibus arbusculæ partibus heroica inest drastico-cathartica, lethifera si incaute ingeratur. Oleum dosi incongrua porrectum, citissime alvum commovet, excrementa aquosa copiosissima pellendo, tumorem labiorum oris et faucium, cardialgiam et colicam, tandem inflammationem canalis intestinalis exitialem provocat. Provide vero et congruo vehiculo ingestum, evacuat alvum, quin ulli discrimini ansam præbeat. In Asia citri aurantii vel c. medicæ malum in oleo Crotonis per mensem maceratum, urgente necessitate, naribus admovetur, ut ex olfactu ventris exoneratio insequatur; in Indiis vero Orientalibus e hujusce pomi attactu alvum purgari ferunt, quod tamen incredibile est auditu. Laudatur etiam emmenagoga, anthelminthica et hydragoga olei virtus, a drastica ejus qualitate procul dubio desumenda. Externe etiam adhibitum oleum eosdem præstat effectus; regioni umbilicali infricatum, vermes pellendo (Lemery), intestina cito exonerat, et cutem irritando, pustulas provocat.

U. Olei Crotonis Tiglii cum multis plerisque drastico-catharticis communis est; imprimis vero inclaruit, ubi alia mitius purgantia medicamina effectu careant, id quod hominibus torpidis, phlegmaticis nec non maniacis haud raro accidit; ubi nociva quædem e canali intestinali citissime evacuanda sunt, quæ temporis dispendio periculum minantur; certum tandem auxilium est, ubi alia ori ingerenda intus sumi nequeant. Non enim tantum ad solvendam alvum pertinaci modo obstipatam, muco primarum viarum nimio vel tubo intestinali saturninis infecto, oleum Crotonis

adhiberi solet; verum etiam permulti Medicorum (Angliæ: Perry, Nimmo, Pearson, Smith, Wilson, et al. Italiæ: Morelli, Brera, Berlinghieri, Tantini et al. Germaniæ: Hufeland, Prieger, Seiler et al. Galliæ: Magendie, Caventou, Recamier, Bally et al.) variis morbis illud accommodare conati sunt. In hydrope nempe et quidem ascite, alvum ducendo et lotium (Brera), valde prodest; helminthiasi succurrit, imo exempla exstant tæniæ usu ejus expulsæ. In ictero cholagoga invaluit virtute, et variis in morbis suppetias tulit, ubi e re fuit humorum quantitatem diminuere. Ubi citissima et valida derivatione ad canalem intestinalem opus sit, nullum omnino medicamen sese præstabit efficacius, ita quidem, ut apoplecticos ex mortis faucibus nonnunquam usu olei Crotonis ereptos fuisse constet. Hinc jam ex antagonismi lege ejus actio in cutem debilitans apparebit, quod Tegart aliquoties expertus est. Maniacis, si non ex toto auferat malum, insigne tamen præbet solamen; eodem cum successu adhibetur contra dolorem faciei excruciantem (prosopalgia). Usus tamen ejus, quod de omnibus etiam drasticis probe notandum est, summam requirit cautelam; quodvis enim medicamen, licet sit plane innocuum, nocebit absque indicatione propinatum. Ubi status inflammatorius canalis intestinalis, vel spastica ejus adfectio suspicata fuerit, ubi erethismus systematis vascularis nimia cum sensibilitate in conspectum venit, ab usu olei hujusce est abstinendum.

D. Gutta $\frac{1}{2}$ — 1, vehiculo idoneo porrecta, jam alvum multoties ducet. Si validiori intestinorum commotione opus sit, cautissime adaugeatur dosis ad duas guttulas usque. Largius porrectum certe nocebit.

Nondum tamen de stabilienda dosi omnes inter se consentiunt; nonnulli enim ad octo imo decem guttas præscribi illud volunt; aliorum vero experientia constat (Scneider, Gräfe), $\frac{1}{6}$ — $\frac{1}{5}$ guttulæ partem effectum laxantem, eumque optimum, præstitisse. Controversiam hanc respectu doseos tali ratione explicare conatus est Benvenuti — nonne forsan laxans ejus actio cum irritatione in faucibus oriunda in ratione contraria sit, ita quidem, ut $\frac{1}{2}$ guttam, minus adficientem fauces, melior subsequatur effectus, quam dosin ad 10 guttas adauctam? *(Med. Chir. Zeit.* 1825. B. 4. S. 326). Ad evocandam tæniam gutta una, aliquoties per diem repetita, optimo cum successu usus est Púcinotti. Hypercatharsis forte superveniens, butyro, mucilaginosis et opii usu repetito moderatur.

CUCUMIS COLOCYNTHIS.

Колоцинтъ.

In Syria, circa Aleppo, in Arabia petrea, nec non in Nubiæ desertis (Wady Om-gat), item in insula Cypro et circa promontorium Bonæ Spei, spontanea. Cl. Monœc. O. Monadelph. O. N. Cucurbitaceæ. Annua. *Usualis est:*

Fructus, seu pepo globosus, ad pomi aurantii vel pugni quandoque magnitudinem accedens (qui ad nos cortice externo ex flavo viridi jam spoliatus advehitur), albidus, compagis levis, fungosæ, coriaceæ, intra cellulas copiosas, et semina oblonga, compressa, dura, ex flavo vel rubro fusca includens. Semina acuta, nigricantia, continens rejiciendus est. Parenchyma

ejus, a seminibus liberatum, vulgo *Pulpa Colocynthidum* appellatur.

Q. Saporem offert amarissimum, acrem, nauseosum; odorem subdulcem, nauseosum. Analysi chemica obtenta fuere: resina, olei pinguis tantillum, et multa mucilago (quæ, cum spiritu vini digesta, tincturam obtulit turbidam) nec non salia quædam. Vauquelin ex hoc fructu substantiam peculiarem, *Colocynthinum* dictam, extractum illius aquosum in spiritu vini solvendo, tincturam destillando, et dein vaporando, elicuit: substantia hæc refert massam ex flavo fuscam, fragilem, in alcohole et æthere lubenter, in aqua autem ægre solubilem. Huic principio amarities et omnis virtus Colocynthidum inesse creditur.

V. Stimulans; drastico-cathartica. Pulpa Colocynthidum, virtute fructus præ cæteris pollens, exigua dosi data, vasorum nervorumque activitatem intendit, hinc absorptionem et secretionem, imprimis per canalem intestinalem et organa uropoëtica promovet. Nimia dosi porrecta dolores colicos constantes, alvum cruentam, inflammationem ventriculi et totius intestinorum tractus, surditatem, imo deliria, in mortem abitura, provocare solet.

U. Convenit imprimis hominibus succi plenis, obesis, ætate provectioribus, ubi vel directa evacuatio sollicitanda, vel irritatio a partibus magis adfectis ad canalem intestinalem derivanda est; hinc in obstructionibus viscerum, hydrope atonico, ictero aliisque morbis, torpore generali stipatis, idoneum sistit remedium. Neurosibus variis, paralysi, insaniæ, dolori capitis chronico, apoplexiæ serosæ, epilepsiæ Colocynthidem aliquando mederi, experientia neotericorum evicit. Extrinsecus Colocynthinum unguento quolibet

nuptum infricatur abdomini ad expellendos vermes intestinales. Phthisicis, gravidis, puerperis, feminis menstruatione durante, item hominibus debilibus, inflammatione ventriculi vel intestinorum, dysenteria vel diarrhœa diuturna jam antea adfectis, teneris et junioribus, nunquam Colocynthis exhibenda est. Sub infestis symptomatibus, ex abusu illius oriundis, in oleosis, et clysteribus emollientibus præsidium quærendum. Camphora etiam pro antidoto habetur.

D. Pulpæ Colocynthidum: grani dimidium ad grana duo vel quatuor. Pulpæ grana triginta, in selibra aquæ decocta, pro clystere. Scopo cathartico optimum connubium extracti ejus compositi cum chlorido hydrargyri et sapone jalapino. Colocynthinum datur a $\frac{1}{12}$ ad $\frac{1}{8}$ grani partem pro dosi, forma pulveris aut pilularum, vel etiam in guttis.

CYTISUS SCOPARIUS. de Candolle.

Spartium scoparium.

Дрокъ.

Frutex regionum Rutheniæ australiorum, in agris siccis ad altitudinem quatuor vel sex pedum crescens, ramis angulatis, foliis ternatis, summis simplicibus, floribus solitariis axillaribus. In Siberiæ occidentalis arenosis et silvaticis locis frequenter provenit. Cl. Diadelph. O. Decandr. O. N. Leguminosæ. *Usuales sunt:*

Summitates *(Cacumina)* seu herba cum floribus.

Q. Si contundantur graveolent; os amarore nauseoso adficientes gustati. Analysi chemica inde ab initio a Cadet de Gassicourt suscepta, materies quæ-

dam elicita fuit peculiaris, badii coloris, partim volatilis, in aëre athmosphærico liquescens, in alcohole et aqua solubilis, cui efficientiam fruticis quidam imputare cupiunt.

V. Diuretica, cathartica. Semina, nunc obsoleta, in decocto esse vomitoria, Lobelius auctor est. Sydenhamo teste, incineratæ etiam summitates lotium et alvum copiose movent.

U. Dudum jam in hydrope usitatum remedium, nec hodie despicatui tradendum est; permultis enim constat experimentis, vix unquam fallax esse hoc medicamen in curando ascite magnæ molis, et anasarca gravi, diuresin et alvum movendo. Si Cl. Sydenhamum placuerit imitari, eximie scopus assequitur administratione cinerum C. Scoparii in infuso vinoso. (℞. Scoparii libram, vini Rhenani libras quatuor; infuso pugillum unum vel alterum foliorum absynthii vulgaris addendo). Liquoris hujus unciis quatuor ter in die potatis hydropes, pro deploratis habiti, fauste leguntur devicti. Inter farraginem hydrophobiæ curandæ remediorum C. Scoparius etiam usurpatus quondam fuit; id quod, nunquam probatum experientia, inter inania tentamina referendum esse judico.

D. Præcipiunt quidam omni hora duo cochlearia haurire decocti, ex uncia summitatum cum libra aquæ ad remanentem selibram parati, donec vel laxatio ventris superveniat, vel urinæ profluvium. Potius tamen infusi forma commendari meretur.

DAPHNE MEZEREUM.

Волчникъ; Ягодки волчьи; Волчье лыко. In Siberia: ***Дикой перецъ.***

Frutex silvaticus, altitudinem quatuor pedum vix excedens, floribus sessilibus, foliolis ternis, caulinis foliis lanceolatis, deciduis, fructu globoso monospermo, in borealibus et australibus Rossiæ provinciis crescens, per Siberiam ad Jeniseum usque obvius, unde sensim deficit. Copiosissimus ad Cuman et in silvosis montium Uralensium et Verchoturiensium. Cl. Octandr. O. Monogyn. O. N. Thymelææ. *Usualis est:*

Cortex, tenuis, nonnihil fibrosus, striatus, subluteus, epidermide semitransparente grisea vel e viridi-fusca tectus, primis ineunte vere diebus, e trunco, vel majoribus ramis, aut potius, ut plerisque placet, e radice deglubendus. Interdum cum Daphnes Laureolæ, Gnidii, Alpinæ corticibus, forma, proprietate, virtute, usuque convenientibus permutatur.

Q. Cortex plantæ recentis internus et baccæ eadem gaudent qualitate: odore nempe vix perceptibili nauseoso, sed sapore admodum pungente, acri, calefaciente, urente, qui diu durat et linguæ temporariam insensibilitatem inducit; camphora tamen enervat eorum acredinem. Præter resinam, gummi, salia varia cum acido malico libero, principium peculiare, acre, a Vauquelin (1808) detectum, ab eoque *Daphninum s. Daphnia* nominatum, plerisque omnibus Daphnes speciebus inest, quod cum cantharidino similitudinem habet.

V. Interne parva dosi irritans; resolvens; alterans; sudorifica; diuretica; majori drastico-cathartica; emetica

arrodens; azotica, facultatem nempe vitalem extinguens. Si incaute et imperite adhibeatur, sanguinis sputum, vomitum et alvi fluxum cruentum provocat; in stomacho et viis primariis tormina excitat. Extrinsecus: cortex masticatus, sputum ciet; cuti applicatus, inflammationem producit, et ut vesicans agit.

U. Prima corticis intrinsecus sumpti laus in curanda syphilide, improbante tamen Pearson, increbuit: virtutem ejus in debellandis nodis syphiliticis, ex periosteo et ligamentis incrassatis, et ostealgia syphilitica nocturna, Russel numerosis periculis confirmat; in ulceribus etiam syphiliticis, hydrargyro refractariis, efficax se præstitisse decoctum, Cullen auctor locupletissimus refert. Cum tamen ejusmodi curæ antisyphiliticæ hydrargyri, guajaci, sarsaparillæ, usus præcessisset, vel junctus fuisset, plerique recentiorum tantam corticis efficaciam in dubium vocavere. Dicitur etiam contra psoram, herpetes, ulcera atonica, phagedænica, tumores scrofulosos recentes, hydropem, mala arthritica et rheumatica, præsertim tonicis, stibiatis aliisque pro re nata additis, vel præmissis, valere; imo anginæ tracheali atonicæ (Löbenstein - Löbel) mederi. Ast certe minime inficiandum est, propter incommoda, quæ corpori infert, ægre in usum internum posse vocari, et profecto rarissime, si unquam, licet anceps tentare remedium. Experientia plurium annorum et Medicorum, praxin in valetudinariis militaribus exercentium, usum Daphnes internum nocuisse magis, quam profuisse, docet. Extrinsecus tamen salutare fit derivans (Gallice *garou* nuncupatum) et, ut rubefaciens, vesiculas excitandi ergo, fonticulorum, vesicantium vices explet, et ab emplastro cantharidum eo differt, quod vias urinarias minime afficiat. Cortices

ramorum crassorum potentius agunt, quam tenuiorum. Sumitur autem hunc in finem recens cortex, vel si id fieri nequit, vetustior, qui aceto maceratur. Tria fragmenta longitudine fere dimidii pollicis, interjecto aliquot linearum spatio, prope insertionem musculi deltoidei, emplastro, aut fascia circulari, brachio affiguntur, vel nuchæ, vel femoribus, vel suris. Bis de die mane ac vesperi, vel, pro re nata, semel, vel alternis diebus recentibus commutantur, et indolentioribus prima excoriatio emplastro cantharidum fieri potest. Secundo vel tertio die cutis rubet, et hinc inde punctis sudantibus notatur, quarto vel quinto die epidermis secedit, et effluxus secreti humoris, succosæ cujuslibet plantæ foliis, puta: brassicæ oleraceæ, hederæ helicis, plantaginis latifoliæ sustinetur, isque justo major coërcetur superdata tela cerata. Dolore nimis urgente, ceratum simplex, loco corticis superdandum, ne, quod interdum evenit, humorum dolorifica accumulatio, sub partibus erosis, oriatur. In dysphagia Dr. Withering suadet corticem masticari, ut sputa moveantur, et deglutitio libera reddatur; saliva est rejicienda. Drupæ D. Mezerei (vulgo *baccæ coccognidii)* parva dosi intritæ potui, a ruricolis Ruthenis adversus pertussim adhibentur, eo scilicet scopo, ut vomitus provocetur. Eædem in cadaveribus animalium absconditæ exhibentur a rusticis Sueciæ lupis et vulpibus, qui, veneno adsumpto, pereunt sine mora, æque ac a seminibus strychni (Linn. *Flora Lapponica v. F. Suecica. pag.* 105). Liquoribus, cerevisiæ præsertim fermentandæ, fraude sæpius adduntur.

D. Drachmæ duæ corticis radicis cum pari portione radicis glycyrrhizæ gl. concisi, in libris tribus aquæ, decoquendo ad colaturam bilibræ, exhibentur.

DATURA STRAMONIUM.

Дурманъ; Пьяные огурцы.

Planta annua, caule dichotomo, bi- et tripedali, corollis magnis, infundibuliformibus, albis, fructibus ovatis, aculeatis; ex Asia media oriunda, nunc in ruderatis ad sepes et vias Rutheniæ temperatæ, nec non alibi in Europa et America septentr. spontanea. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ. *Usualia sunt:*

Folia, magna, petiolata, ovata, dentata, sinuata, glabra, ex atro viridia, mense Junio et Julio colligenda, nec ultra annum servanda. Semina reniformia, subrugosa, extrinsecus e rufo-fusca, intus alba et oleosa.

Q. Narcotica, venenata, omnibus mammalibus ita lethifera, ut odor duntaxat foliorum herbæ recentis vertiginem, nauseam aliaque narcoseos symptomata moveat; sapor salinus amaricans. Semina vix odora, saporis sunt amaricantis et oleosi. Secundum analysin Cl. Promnitz 10,000 partes herbæ recentis constant ex aquæ part. 9125, amyli viridis 64, albuminis vegetabilis 15, lignini 515, materiæ extractivæ gummosæ 58, sedimenti terrei 23, mat. extract. v. saponaceæ 60, resinæ 12, jacturæ 128. Ex unciis sexdecim seminum recentium duas uncias olei puri ex flavo-virescentis, inodori et insipidi, idem auctor obtinuit. Cl. Brandes ex seminibus principium peculiare alcaloideum, atropino analogum, *Daturinum* scilicet, nactus est. Alcaloides hic dicitur esse albus, nitidus, crystallisationis capax, odoris saporisque expers, in aqua et alcohole ægre solubilis, lubentius autem in æthere et alcohole fervido; cum acidis salia neutra formare perhibetur.

Peschier idem se obtinuisse asserit, etsi Lindbergson et Bischoff illud reapse existere, in dubium revocent. Principium volatile, a quibusdam in seminibus repertum, Cl. Todd. Thomson carbonatem ammoniæ esse putat. Acetas plumbi, nitras argenti, sulphas ferri et bichloridum hydrargyri eidem sociari nequeunt.

V. Admodum narcotica, inter belladonnam et acria narcotica medium tenens. Parva dosi sedans, antispasmodica, actionem systematis venosi, lymphatici et organorum secretioni dicatorum intendit, spasmos solvit, dolores sopit, estque in seminibus eminens. Nimia dosis foliorum et seminum Stramonii vertiginem, cephalæam, stuporem, tremorem, varias visus anomalias, pupillæ dilatationem, dysphagiam spasmodicam, ptyalismum, convulsiones generales, ac deliria provocat, tandem subsequuntur: anæsthesia perfecta, paralysis et apoplexia, ni prompte succurratur ægroto. In cadaveribus ex abusu Stramonii defunctorum, cerebrum cruore redundat, ventriculus et intestina plus minusve inflammata reperiuntur, cavum abdominis extravasatis serosis impletum, et sanguis niger ac decompositus cernitur.

U. In variis nervorum turbis, quæ e statu cerebri abnormi prodeunt atque stasibus abdominalibus, nec non torpore et paralysi stipantur, præprimis autem in mania chronica et melancholia, Stramonium utile est, eo magis, si dicti morbi intervallis, alvoque segni notentur, ac psychicæ originis sint; sub simili ægri conditione juvat, virtutem Stramonii etiam in quibusdam fatuitatis speciebus tentare. Variæ spasmodicæ affectiones, imprimis organorum respirationis, puta: asthma convulsivum et pertussis usu Stramonii optime debellantur (A. Marcet). Medici vero Transatlantici —

Bigelow, Barton, Fisher et nosmet ipsi vidimus effectus exoptatos, a fumo caulium et foliorum (15 ad 20 grana) tabacini ad instar hausto, in ægrotis, quos asthma spasmodicum, sic dictum nocturnum, vexabat. Efficax quoque censetur in hysterismo gravi (Berends), in hydrophobia (Harless), nec non in epilepsia. Anodyna virtute Stramonium excellere, variæ neuralgiæ, puta: prosopalgia, ischias, cardialgia, odontalgia, dolores rheumatici et arthritici, eo passim debellatæ testantur. Sunt denique, qui usum ejus in paralysi, surditate, amaurosi paralytica s. torpida, amenorrhœa (Greding), variisque morbis, qui e plethora abdominali et viscerum obstructione ortum ducunt, cum successu experti sunt. Bergius delirium, ex puerperio reliquum, Stramonio profligavit, aliis remediis incassum adhibitis. Chinenses cum cerevisia herbam et semina, spirituosorum inebriantium loco, adhibent. Ex his, quæ de Stramonii virtute dicta sunt, sponte liquet, illud ægrotis debilibus, sensibilibus aut irritabilibus minime convenire. Morbi hyperdynamici æque usum ejus respuunt.

D. Pulveris foliorum granum, vel duo, caute ad octo, semel aut bis in die; pro infuso drachma, vel duæ, ad sex uncias aquæ. Seminum pulveratorum grani dimidium, vel integrum, ad duo usque grana, semel aut bis in die. Extracti alcoholico-aquosi, in vacuo parandi, vel succi spissati, a grani quarta parte ad integrum, caute ascendendo interdum ad grana sex spatio nychthemeri. Constantior et intensior est virtus tincturæ seminum anodyna, a Hufelandio laudata, cujus guttæ quinque, caute ascendendo ad duodecim usque, pro dosi exhibentur. In morbis vero mentalibus a guttis 10 ad 20, imo 30 propinari solet.

DAUCUS CAROTA.

Daucus sativus et silvestris.

Морковь.

Planta indigena, foliis supra decompositis, eorumque laciniis linearibus, acutis; in campis pratisque crescit, in hortis colitur. Cl. Pentand. O. Digynia. O. N. Umbelliferæ. Biennis. *Usualis est:*

Radix Dauci Carotæ (sativi), fusiformis, rotunda, perpendicularis, simplex, flava vel potius ex rubro-flava, carnosa, succulenta. Radices diu servatæ, exsuccæ, et situm olentes improbantur.

Q. Radicis a fæcula et mucilaginoso, saccharino principio derivanda; odor proprius aromaticus; sapor gratus dulciculus.

V. Nutriens; obvolvens; emolliens; antiseptica.

U. Præter quod radix recens imprimis diætetico usui inserviat, succus ex ipsa per coctionem emollita expressus, et ad justam consistentiam spissatus, loco sacchari, mellis, vel syrupi, edulcorandis insipidis vel austeris eduliis idoneus est, nec in phthisi, tussi molesta catarrhali (Piderit), raucedine et helminthiasi infantum spernendus. Infantes, ascaridibus vel aliis vermibus molestati, crudam radicem, jejuno ventriculo jubentur edere, vel succum recentem, exinde elicitum aliquoties de die cochleatim sumere (Rosenstein). Aphthis oris, decoctum vel succus ex decoctis radicibus expressus, et pauxillo mellis rosati mixtus, penicillo illinitur; vel si aphthæ internæ adsint, ad cochlear parvum commode datur; calculosis quoque profuisse, et in dysenteria magnæ olim æstimationis, re-

ferente DE LA CROIX, fuisse fertur. Ex radice rasa, in pultem redacta, factum cataplasma (e. g. ex unciis ejus duabus, herbæ conii maculati uncia et scrupulo gummi-resinæ assæ fœtidæ secundum MŒNCH) applicari solet ulceribus impuris, phagedænicis, putridis herpeticis, quo fit, ut dolor, suppuratio fœtorque minuantur et margines eorundem duri emolliantur. Quassatæ radices recentibus ambustionibus superdatæ non minus juvant (DAREL). Denique memoratu dignum, radicem hanc ab antiquis temporibus adversus carcinoma, præcipue faciei, a multis ut remedium mitigans adhiberi externe, insimul cum usu interno decocti lignorum et corticis cinchonæ.

D. Radices duæ, tres (et plus) exhibentur.

DIGITALIS PURPUREA.

Наперстянка; Наперстoчная трава.

Planta, corolla campanulata, ventricosa, quinquefida, in locis siccis, montosis, glareosis, apricis Europæ, præcipue australis, sponte crescens, non raro etiam in hortis culta. Cl. Didynam. O. Angiosperm. O. N. Scrophulariaceæ. Biennis. *Usualia sunt:*

FOLIA (herba), ovato-lanceolata, rugosa, pubescentia, margine dentata. Dum altero anno florere incipiat, colligenda est herba plantæ spontaneæ, annua enim, æque ac solo hortorum pingui nutrita, minus efficax est. Folia, filis per ipsa trajectis, in tenebris vel in umbra saltem suspendantur, et caute siccentur modici auxilio caloris; ne tamen ex toto flexibilitate orbentur ita, ut nonnisi ingrediente quovis duriore

medio, e. g. saccharo, in pulverem extenuari queant. Tali ratione collecta folia, in loco sicco, non ultra annum, serventur in vasis opacis, probe clausis; alias virtute et efficacia spoliabuntur. Quidam symphiti off. folia ex inscitia magis, quam fraude, loco foliorum Digitalis purpureæ, colligunt; sed illud cum charactere generico, tum foliis ovato-lanceolatis decurrentibus, toto cœlo dissimile est.

Q. Herba recens, odoris expers est, saporis nauseosi, amari, acris ita, ut succus ejus oris, œsophagi et ventriculi inflammationem ciere valeat. Siccata odorem nonnihil narcoticum spargit. Pulvis læte viridem induit colorem, qui tamen ab aëris et lucis influxu perit. Aqua et alcohole extrahuntur omnes ejus partes activæ. Infusum saturatum inodorum est, fuscum, sapore acri, amaro. A solutione sulphatis ferri mox viridi inficitur colore, etsi infusum ad aquæ limpitudinem extenuatum sit. A solutionibus gallarum, tartratis stibii et potassæ, sulphatis potassæ nullum deponit sedimentum, id quod cito accidit, si bichloridi hydrargyri tantillum addas. A nitrate argenti præcipitatum ex nigro violaceum producitur. Decoctione qualitates herbæ pessundantur.

Postquam Withering (a. 1775) in usum medicum vocavit herbam, ejusque præclaras virtutes luci exposuit, multi Chemicorum (Destouches, Rein, Bidault de Villiers, Haase) partes ejus constitutivas inquirere conati sunt, ut ex earum ratione herbæ efficaciam interpretari possent. Vix tamen ex voto successit res, donec Leroyer (anno 1824) experimenta sua nobiscum communicaverit. Dr. Haase, in herba recenti ligninum invenit cum parva quantitate albuminis indurati, substantiam gummosam et mucilaginosam,

cum bitartratis potassæ vestigiis, oxalatem potassæ, materiam extractivam, aquam fenum redolentem et substantiam cereo-resinosam viridem, totamque herbæ virtutem huic ultimæ imputavit, quæ colorem foliorum recentium præ se fert, eundem ætheri et oleis æthereis impertit, quæque in spiritu vini soluta valde efficacem se præstitit. Destouches olei viridis resinosi extricavit paululum. Leroyer, varia chemica ratione herbam tractans, e tinctura ejus ætherea evaporata substantiam peculiarem fuscam piceam, valde amaram et acrem obtinuit, eamque *Digitalinum* nuncupavit. Utrum alcalina sit hæc substantia, nec ne, in medio relinquimus, eam tamen procul dubio principium Digitalis activum esse, e multifariis experimentis satis superque constat.

V. E symptomatibus a Digitalis usu oriundis abunde quidem patet, virtutem ei narcoticam inesse, acrem, venenatam; vix tamen conspicuus est modus, quo in organismum operatur. Id saltem pro certo dici potest, quod, si a Digitalino vel tota qualitas ejus proveniat, mere in systema nervorum agat necesse est. Solutio enim Digitalini aquosa abdomini cuniculi ingesta, vel venæ injecta, brevi temporis spatio animal necat, quod vigil quasi in somnum placidum abit, quin ulla inflammationis localis vestigia, vel sanguinis ad coagulationem nisus, in conspectum veniant. Observationes practicæ docent, primariam Digitalis actionem esse stimulantem; manifesta enim excitatio in universo corpore provocatur, si dosis ejus gradatim augeatur; omnes secretiones, præcipue lotium et nonnunquam saliva, moventur, unde Digitalis virtute diuretica et sialagoga pollere creditur; motus cordis et arteriarum ab initio fiunt frequentes et intensi: sed postmodum in

plerisque casibus hæc actio abit in secundariam, scilicet sedantem: pulsus enim evadit lentior et contractior, facies fit pallida, visus obnubilatur, pupilla contrahitur vel dilatatur, ante oculos adparent scintillæ, globuli ignei et aliæ illusiones opticæ, imo nonnunquam cæcitas insequitur, qui status oculorum sæpe durat etiam post suspensum usum remedii; his associatur summa virium prostratio, artuum titubatio, animi depressio, rerum oblivio, somnolentia etc. Si majori dosi propinetur, nauseam cum anxietate excitat, et vim drastico-catharticam exserit; nimia quantitas vomitum ciet, et cardialgiam, et singultum.

U. Usus Digitalis a multis commendatur in morbis systematis nervosi. Imprimis efficacem se præstitit cum in alienationibus mentis, puta melancholia et mania, præcipue in illis casibus, ubi orgasmus systematis hæmatophori vel serosa accumulatio in cerebro, aut obstructiones in systemate lymphatico observantur; tum in morbis spasmodicis et convulsivis, nempe: epilepsia (Parkinson, Murray), pertussi (Harold), asthmate (Parkinson, Ferriar), eclampsia gravidarum et puerperarum (Duncan), hemicrania (Maclean), hernia spasmodice incarcerata (Voigtel). In morbis systematis vasculosi cum fructu adhibetur, et quidem in febribus inflammatoriis cum typo intermittente et remittente, pari modo in febribus exanthematicis: scarlatina, morbillis etc. (Haase). In inflammationibus membranarum mucosarum, contra hæmorrhagias, præcipue sputa sanguinea, nec minus contra catarrhum chronicum (Withering, Maclean, Beddoes). Nec rheumaticæ inflammationis a Britannis curatæ desiderantur exempla (Henry). In pneumonitide, nec non in phthisi incipiente tuberculosa, conducit Digitalis, ubi

inflammationis stadium debitis adminiculis fuerit profligatum, vel in ultimo horum morborum stadio, chronica parenchymatis pulmonum inflammatione jam disparente, per se, vel in connubio aliorum. In phlegmasia dolente opportunum præstat auxilium, et valde convenit palpitatione cordis laborantibus. In morbis cordis Kreysig Digitalem vocat veram panaceam, si nulla inflammatoria irritatio in textu, quod morbo correptum est, amplius suspicetur. In morbis systematis reproductivi: scrofulis, tumoribus glandularum, tabe mesenterica (Uwin), chr. exanthematibus (Willan), obstructionibus hepatis, ictero, arthritide, scirrho et struma haud spernendus est ejus usus. Præcipuam virtutem exerit in curandis morbis hydropicis. Withering in omnibus hydropis speciebus laudibus Digitalem effert, si saccatum solummodo excipias. Imprimis vero hydrothoraci succurrit, ubi alia incassum adhibita fuerint. Prostant etiam exempla hydropis ovarii, nec non anasarcæ puerperarum, Digitalis adminiculo sanatorum. Vix tamen aliquid sperari licet, nisi mala ista, in robustis occurrentia, quibus fibra est tensa, cutis calida, habitus floridus, pulsus durus et strictus, prius antiphlogisticæ methodi auxilio sublata fuerint. In ascite minus faustum pollicetur eventum abdomen tensum, durum et circumscriptum, quam molle et fluctuans; pari modo in anasarca minorem indicat successum compages firma et resistens, quam laxa digitoque facile cedens. Omnibus vero in casibus cavenda est dosis, quæ nauseam, vomitum, vel alvi dejectiones nimias excitare valeat; ista enim impediunt lotii secretionem. In hydrope, qui non raro a mercurialium usu nascitur, cum acido nitrico congrue propinatur. Sed raro prodest, si viscerum obstructiones adsint. Caven-

dum est, ne ab usu Digitalis, diutius protracto, sanguis nimis in organismo accumuletur; hoc in casu situm decumbentis sollicite æger retineat, ne vita ejus remedio periclitetur. Si a sanguinis accumulatione veneficii signa jam in conspectum venerint, cardiacis removendum est malum, opii nempe usu, ammoniæ, aut vini generosi, nec non vesicatorio scrobiculo cordis superimposito. Optimum vero ejus antidotum est infusum cinchonæ, quocum insolubile compositum constituit.

Extrinsecus forma lotionis, injectionis, et unguenti adhibetur ad curandam psoram (ANDERSON), impetiginem et tineam squamosam (MACLEAN, FERRIAR), lepram scorbuticam (VICAT), tumores scrofulosos, strumam et ophthalmias. Hoc modo applicata in ascite etiam utilis esse dicitur.

D. Variis modis præscribitur a Medentibus. Aliis merito antecellit forma pulveris, cujus granum omni octava hora porrigitur, donec actio adpareat; postea omni duodecima hora eadem dosis, et dein omni altera die repetenda est. Nihil impedit, quominus cum roborantibus jungi possit, ut nempe sedativus ejus effectus præcaveatur. Fit quoque infusum ex drachma foliorum siccatorum, et unciis octo aquæ fervidæ, per quadrihorium rite digerendum, addita colaturæ uncia aromaticæ cujuslibet aquæ; sumitur bis de die semuncia, vel etiam uncia, quæ est dosis media pro adulto. Decoctione vires plantæ hebescunt, quapropter infusum præferendum est; sed et hoc caute adhibendum; sunt enim exempla illud non omnibus profuisse, imo causam subitaneæ mortis quondam extitisse. Ab aliis tinctura datur. Ut semper effectus obtineantur æquales, nonnulli materiam, post evaporationem tinc-

turæ Digitalis æthereæ remanentem, denuo in alcohole solutam, usurpandam commendant. Sed minime reticendnm est, solutiones spirituosas non respondere morbis, in quibus sanguinis circuitum refrenare laboramus, juvatque meminisse, effectum Digitalis sat diu perdurare, atque illo clare manifestato, usu ejusdem esse supersedendum.

FERULA ASSA FŒTIDA.

Асафетида; Дурнопахучникъ; Аза вонючая.

In Persia australi, præsertim in provinciis ejus montosis Khorasaan et Laar crescens; a Hope memorata, Persiæ septentrionalis incola. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbelliferæ. Perennis. *Usualis est:*

Gummiresina, seu succus gummeo-resinosus (vulgo *вонючая камедь* dictus), e radice plantæ, ad minimum quadriennis, transversim secta lactis instar stillans, atque vi solaris caloris, aut contactu aëris, in massam solidam concrescens, et in hoc statu grumos ex bruneo-flavescentes, maculis albidis vel ex fusco-roseis interspersos referens. Frusta madentia, inquinantia, continent multum arenæ, quod vel solutione vel microscopio detegitur; cæterum illa sæpius adulteratur variis resinis et pice. Nonnunquam admiscentur ei aliæ gummi-resinæ, vel resina alba, succo allii sativi inquinata.

Q. Assa fœtida, dentibus subacta, tenacitatem prodit; odoris est alliacei, nauseosi, saporis ex acri-amaricantis. Influxui aëris exposita, facili negotio frangitur, nihilominus in hoc etiam statu in pulverem redu-

ci nequit, nisi cum sesquicarbonate ammoniæ triturata. Gravitate superat aquam, et pondus ipsius specificum est 1,327. Cum aquæ sufficienti quantitate si fuerit trita, format misturam lactiformem seu emulsionem, in qua resina pedetentim præcipitatur; addito vitello ovi, vel mucilagine melius in suspensione tenetur. Alcohol ex 100 partibus solvit 65 partes, quæ unica fere resina et oleo æthereo constant; aqua addita, tinctura colore tingitur albido, sed nullum exinde fit sedimentum. Cum aqua vel alcohole destillata, oleum largitur æthereum, a quo odor pendet peculiaris, valde ingratus, nauseosus. Solvitur etiam in aceto vini. Pelletier ex 100 partibus Assæ fœtidæ obtinuit: resinæ 65; acacini 19,45; bassorini 11,65; olei volatilis 3,60; supermalatis calcariæ et jacturæ 0,30.

V. Antispasmodica; stimulans; resolvens; expectorans; antiseptica; anthelminthica; emmenagoga. Assa fœtida efficacia sua omnes gummi-resinas antecellit, et actionem in organismum citam et penetrantem exerit; si dosi nimis magna propinetur, orgasmum, congestiones, vertiginem, cephalæam, et hæmorrhagias provocat; usus ejus plus æquo protractus admodum debilitat organa digestionis, unde anorexia vel diarrhœa superveniunt.

U. Inclaruit Assa fœtida, ut remedium antispasmodicum in multis morbis characteris nervosi, et quidem in hysteria, hypochondriasi, lipothymia, vertigine, epilepsia et aliis. In canalem intestinalem agendo, flatus intestinales dissipat, enterodyniam et colicam flatulentam sedat, unde etiam in tympanitide non minus ac dentitione difficili, convulsionibus stipata, efficaciam suam præstat. Commode his in casibus adhibetur in clystere. In dyspepsia, acido ventriculi, aliisque ejus-

dem incommodis a debilitate oriundis, conjungitur cum bile taurina, amarisque extractis. Alvum ex consuetudine vel ob spasmum, vel ob defectum irritabilitatis, obstructam, solvit, recteque his in casibus catharticis clysteribus additur. Ob nidorem contra vermes intestinales cum successu adhibita (Hoffmann, Mellin), præsertim in connubio aliorum anthelminthicorum, puta: rad. valerianæ officinalis, filicis maris, jalapæ, olei terebinthinæ, sulphatis ferri, seminum cinæ, extracti tanaceti etc. In genitalia sexus feminei agendo, suppressis spastice catameniis opitulatur: sic in amenorrhœa, dysmenorrhœa, et chlorosi juvat. Actionem pulmonum, atonia, vel muci adcumulatione, aut spasmo oppressam, intendit, atque per hoc screatus movet; hinc vis ejus in tussi, angina pectoris, asthmate spasmodico (Cullen), convulsivo, arthritico, et pertussi (Millar), quibus in casibus recte eidem additur gummiresina ammoniaci, rad. scillæ, acetas ammoniæ liquidus etc. Imo etiam in cynanche tracheali, vulgo *Croup* dicta, præstantissimum fertur esse remedium, præsertim si ea spasticæ indolis est (Odier). Vasorum sanguiferorum extrema adficiendo, effectus atonia eorundem productos tollit, vel secretionem corrigit; hinc opem fert in obstructione hepatis, ictero, hydropisi (Hertz), enterodynia hæmorrhoidali, melancholia etc., præsertim extractis amaris, mercurialibus, stibiatis etc. adjuta. In rheumatismo, arthritide, prosopalgia, adjunctis camphora, chlorido hydrargyri, conio maculato, aconito, guajaco (Lentin, Thilenius, Hufeland), haud secus ac in spina ventosa, carie mali moris, ulceribus præsertim rheumaticæ, herpeticæ, aut scrofulosæ indolis, imo etiam in ipsis scrofulis (interne propinata) laudatur. In infarctibus et induratione glandularum, scirrho

et cancere, tum interno, quam externo usu utilis, præsertim in copulatione hydrargyri, conii maculati etc. In Africa ut specificum celebratur adversus vermem tropicum, filariam scilicet Medinensem, quæ crura incolarum Africæ occidentalis adficiens, ulcera producit pessima. Ob virtutem nimis stimulantem, sæpius antimonialibus jungitur.

Usus internus Assæ fœtidæ contraindicatur, si diathesis inflammatoria vel plethora, si debilitas summa organorum digestioni inservientium, si diarrhœa vel vomitus urgeant.

Externe ad discutiendos tumores emplastri forma parti adfectæ superdatur; in morbis vero pulmonum ejusmodi emplastrum, addita camphora, pectori superimponitur.

D. A granis quinque usque ad scrupulum ter quaterve de die per se, vel in connubio aliorum, forma pilularum vel emulsionis propinatur; forma pulveris vix unquam præscribitur, ob valde ingratum odorem et saporem. Dum in usum clysteris adhibetur, dosis augetur ab una ad tres drachmas, quem in finem gummiresina solvenda est in vitello ovi, aut mucilagine congrua.

FICUS CARICA.

Смоковница.

Asiæ incola, sed ab antiquissimis temporibus in Europam translata. Imprimis in Græcia, Gallia, Hispania et Italia, apud nos in Chersoneso Taurica transalpina, circa Alupkam, Aluschtam etc., ad Caucasum prope fluvium Anticetan (Kuban), in Astrachanensi

provincia circa fluvium Soanam (Török), in saxosis etiam Iberiæ calidioris, in Albania Iberica (Cachetia), Armenia Iberica (Somchetia) partim colitur, partim spontanea. Cl. Polygam. O. Diœcia. O. N. Urticaceæ, Artocarpaceæ. Arborea. *Usualis est:*

Fructus (*Caricæ pingues,* Rossice *смоквы, винныя ягоды* dictæ) est receptaculum clausum, apice pervium, turbinatum, carnosum, succulentum, occultans semina exigua, lenticularia. Exsiccati ex Græcia, Italia et Hispania importantur; majores, qui Smyrna adferuntur, fructus dulcissimi sunt. In usum medicum adhibendi eandem contineant texturam, duri vero, insectis vitiati, nigrescentes, aciduli, rejiciendi sunt.

Q. Saporem Caricæ pingues habent dulcem, saccharo et mucilagine abundantes. Odor recentium vix ullus.

V. Nutriens; emolliens; obvolvens; maturans.

U. Usus Caricarum pinguium diæteticus pervulgatissimus est, imo antiquis athletis notus fuit. Si magna copia comestæ fuerint, colicam flatulentam et diarrhœam provocant. Pro usu medico interne decoctum propinatur, ut remedium emolliens et obvolvens, in raucitate, tussi sicca, peripneumonia, variolis, morbillis, scarlatina, enterodynia saturnina, nephritide, dysuria et stranguria. Extrinsecus decoctum earum saturatum convenit, ut gargarisma, in cynanche tonsillari, suppuratione superveniente; lacte decocti fructus, vel assati, sæpissime forma cataplasmatis adhibentur et utilitatem promittunt in parulide, cynanche, bubone, anthrace, abscessibus maturandis et mariscis hæmorrhoidalibus curandis. Ano inditi, suppositorii vices gerunt. Succus foliorum expressus verrucas delere creditur.

FILIX MAS.

ASPIDIUM	FILIX	MAS. W.	SCHW.
POLYPODIUM	»	»	L.
POLYSTICHUM	»	»	DE CAND.

Папоротникъ мужескій.

Ubique per omnem Rossiam in silvaticis et incultis. Fronde bipinnata, pinnulis oblongis, crenatis, obtusis, apice serratis, basi duobus punctis fructificationis donatis, rachi stipiteque paleaceis. Cl. Cryptogam. O. Filices. O. N. Polypodiaceæ. *Usualis est:*

RADIX (caulis subterraneus seu rhizoma) horizontalis, magna, residuo petiolorum et squammis comata, inferne fibrifera; recens extrinsecus intense fusca, subvirens, intus virescens, carnosa; sicca extrinsecus nigrofusca, rubens, intus luteo albescens, hinc inde virescens. Mensibus æstivis, a Majo ad Septembrem usque colligenda, a squammis perfecte liberanda, et in vasis bene clausis non ultra annum servanda. Pulverata colorem pallido-fuscum virentem præ se fert, magis sollicite servanda. Ne commutetur cum radicibus Pteridis aquilinæ, Athyrii filicis feminæ et Aspidii spinulosi W., quarum prima longior, tenuior, ramosa, repens, extrinsecus nigra, intus albescens; secunda brevis, perpendicularis, fibrillis et squammis scariosis obsita; tertiæ rhizoma minus, stipites residui tenuiores, valde sicci, sapor debilior.

Q. Odor recentis debilis, teter; sapor initio mucoso-dulcis, dein nauseoso-amarus, subacris, subadstringens. Ex analysi chemica D. MORIN patet, huic radici inesse: oleum album, substantiæ pinguedineæ

inhærens et odorem radicis redolens, materiam pinguem, ex steatino et elaino compositam (a qua, eodem judice, vis radicis medicamentosa præcipue dependet), principium scytodepsicum, saccharum non crystallisabile, amylum, materiam ulmino similem, nec aqua solubilem, nec spiritu vini, acidum gallicum et acidum aceticum. Analysis, a PESCHIER instituta, huic proxime accedit. Valentinus BATSO Viennensis, qui permulta cum Filice Mari experimenta fecit, asserit: a) radici acidum peculiare, filiceum ab illo nuncupatum, et alcaloidem præcipuum, quem *Filicinæ* titulo salutavit, inesse; b) materiam peculiarem, in multis anthelminthicis remediis obviam, contineri, et c) non a materia oleosa, sed ab acido et alcaloide, supra memoratis, virtutem ejus dependere. PESCHIER autem in materia oleoso-pingui, ætheris ope parabili, quam oleum Filicis Maris æthereum adpellavit, omnem virtutem radicis sitam esse contendit. Oleum hoc, diligentiori analysi subjectum, substantiam unguinosam, resinam fuscam, oleum aromaticum, principium tingens fusco-rubrum, materiam extractivam, chloridum potassii et acidum aceticum præbuit.

V. Stimulans; anthelminthica.

U. Contra omnes species entozoorum, in tractu intestinali nidulantium, ut ascarides lumbricoides, tæniam solium et imprimis botryocephalum latum, interna pars radicis, dosi sufficienti propinata, est validum remedium. Tertia jam die quandoque, sola per se data, (diæta salina adjuta) hos inimicos corporis humani expulit. Expulsione eorum retardata, subsidium in catharticis, præsertim in oleo ricini communis, vel nucum juglandis regiæ, et similibus quærendum. Methodus helminthiasin curandi, cujus inventrix Domina

Noufer prædicatur, sequenti absolvitur modo: curam subiturus, vesperi pultem e pane albo, multo butyro et sale confectam, assumat, clystere si opus est subterdato; insequenti mane pulveris radicis Filicis Maris drachmæ tres propinentur, vomitum omni modo avertendo; elapsis dein duabus horis bolus catharticus, ex scammonii et calomelis granis decem, nec non gummi guttæ granis septem (dosin quandoque moderando) et conserva de hyacintho compositus, præbeatur. Si radix bonæ notæ, nec vomitu rejecta fuerit, vix unquam tæniæ propellendæ impar est. Interdum pro re nata datur in infuso cum radice valerianæ off. et herba gratiolæ. Dosi minori, a granis 5 ad octo, in affectionibus hystericis et hypochondriacis, helminthiasin simulantibus, cum successu adhibetur. Recens radix semper vetustæ præferenda.

D. Pulveris grana triginta ad drachmam infantibus, vel forma electuarii. Drachmæ duæ, tres usque ad quatuor adultis. Qui tantam pulveris molem abhorrent, in extracto æthereo Filicis Maris (oleum dicto) quærant medicinam oportet, cujus guttæ viginti quatuor drachmis tribus radicis æquiparandæ.

FŒNICULUM VULGARE.

Anethum Fœniculum.

Укропъ Волошскій.

In Rutheniæ australis rupibus, cum primis cretaceis. In planitie provinciæ Schirvan, circa oppidum Schamachi, ita copiosum, ut exercitus Rossicus castris

anno 1796 mense Novembri sub hoc oppido positis, per octo dies plantæ hujus caulibus emarcidis, ferme solis, ligni vice usus sit. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbellifer. Perennis. *Usualia sunt:*

Semina (fructus diachæni) ovato-oblonga, hinc convexa, lineis quinque rotundatis, elevatis, pallidis notata, inde plana, bipartita, duas lineas longa, pallida. Intermixta quandoque inveniuntur semina immatura, vel et corrupta, odoris et saporis expertia, quæ rejicienda sunt. In Italia copiosissime colitur Fœniculum dulce, cujus semina majora sunt, quam Fœniculi vulgaris, et colore pallide luteo, gustu dulciori, nec non oleo copiosiori distinguuntur.

Q. Præstans, in oleo volatili, non acri, residens. Odor peculiaris, gratus, aromaticus. Sapor aromaticus, subdulcis, aniso non absimilis.

V. Carminativa; expectorans; galactopœa.

U. Infantibus ventriculo infirmo, enterodynia, alvo cita atque pituita laborantibus, ut remedium nervos canalis intestinalis leniter irritans, cum magnesia exhibetur. In asthmate pituitoso, tussi catarrhali et pituitosa, screatus levant, præsertim cum polysulphureto stibii, vel in infuso cum radice inulæ helenii, althææ officinalis vel tussilaginis farfaræ, adhibita. Fœniculi dulcis planta junior cum radice et herba in Italia estur cruda, cum sale culinari et pane (Labat). Apud nos semina pulverata cum carbonate magnesiæ, et cortice extimo fructus citri aurantii, ad augendum lac nutricum, vel deficiens vel suppressum, sæpissime propinantur.

D. Seminum pulvis a scrupulo ad semidrachmam. Pro infuso drachmæ duæ in selibra aquæ. Olei vola-

tilis guttæ duæ ad sex; aquæ vero fœniculi a semuncia ad unciam.

FORMICA RUFA.

Муравей обыкновенный.

Formicæ communes habitant in silvis piniferis et pascuis aridis, ubi acervos ex granis, foliis et terra cumulant, in quibus nidos struunt et gregatim vivunt. Cl. Insecta. Ord. Hymenoptera. Fam. Heterogyna.

Insecta hæc captanda sunt imprimis mense Junio et Julio, cui fini optime inservit lagena vitrea collo angusto instructa, in quam pauxillum mellis vel sacchari cum tantillo spiritus vini immittitur; hæc ponderata prius in acervum ad collum usque infoditur. Formicæ tali esca allicitæ lagenam mox implent, quarum quantitas, cognito jam ipsius lagenæ pondere, facili negotio dignoscitur. Interdum colliguntur Formicæ cum chrysalidibus, vulgo ova dictis, ex ipsis acervis.

Q. Partes constitutivæ Formicarum teste John sunt: acidum formicicum, oleum æthereum, materia adiposa, oleum pingue, materia extractiva et albuminosa, nec non phosphas calcariæ.

U. Formicæ aqua bulliente superfusæ balneis interdum adduntur, quæ in paralyticis nec non arthriticis adfectionibus laudem assequuta sunt. *Spiritus Formicarum*, in iisdem morbis pro frictione adhibitus, utilis perhibetur; paratur autem libram Formicarum cum duabus aquæ libris destillando, et producto obtento parem alcoholis purissimi quantitatem addendo.

FUMARIA OFFICINALIS.

Дымянка аптечная; Чистякъ меньшой; Земляной дымъ.

Planta succulenta, in solo pingui, præcipue autem culto, ubivis Europæ frequens. Cl. Diadelphia. O. Hexandria. O. N. Fumariaceæ. Annua. *Usualis est:*

Herba, sex vel octo pollices alta, caule ramoso, diffuso, foliis supra decompositis, foliolis cuneiformilanceolatis, incisis, fructibus parvis. Interdum cum Fumaria bulbosa permutatur.

Q. Herba recens mucidum emittit odorem, siccatione periturum; saporem autem eundem salino-amariusculum conservat. Winkler (1831) acidum peculiare succo herbæ inesse contendit, acidum fumaricum ab eo nominatum, quod in extracto cum calcaria reperitur junctum. Principium Fumariæ extractivum solvitur in aqua, vino et alcohole. Infusum aquosum addito sulphate ferri nigrescit.

V. Tonica; stomachica; leniter secretiones naturales movens.

U. Secretiones renum, hepatis, cutis et omnium membranarum mucosarum promovendo, variis morbis convenit. Imprimis commendatur in febribus intermittentibus cum adfectione membranarum mucosarum, hæmorrhoidibus, obstructionibus et infarctibus viscerum, præcipue hepatis (Rogerson), quando secretio bilis impeditur et icterum comitem habet, absque inflammationis signis; nec minus morbis renum, ubi lotium ex atonia ipsorum ægre secernitur, hydropisi minanti, scorbuto, hypochondriasi, arthritidi aliisque similibus curandis par esse censetur. In plerisque his

casibus cum succo nasturtii officinalis, anthrisci cerefolii, leontodontis taraxaci, cochleariæ officinalis, sero lactis, aqua Selterana etc. aptissime conjungitur. In psora non spernendum remedium est herba, vel sero lactis infusa, vel cum zytho decocta; a Cl. Strandberg, magni nominis clinico, in herpetibus quoque, uti a Leidenfrost et Thomson in leprosis adfectionibus amplissima tulit præconia.

Extrinsecus decocti forma ulceribus et furunculis impuris, malæ indolis, depurandis inservit.

D. Succi recentis vasculum, duo, tria, per nychthemeron.

GALBANUM OFFICINALE. Don.

Галбанъ аптечный.

Planta in Arabia, Persia et Syria sponte crescens. Secundum novissimas disquisitiones D. Don ad genus Siler pertinet, non autem ad genus Bubo, uti Linnæo placuit. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbelliferæ. *Usualis est:*

Gummiresina (*Галбанъ*), granis ex albo-lutescentibus, sibi invicem vel adglutinatis, vel massæ molliori luteæ immistis, composita, e trunco prope radicem transversim secto fluens, mox indurescens. In granis adlata semipellucidis, albicantibus, vel flavo rubellis, optima habetur. Rejicienda est mollis et coloris obscure fusci. Aliis adulterata gummiresinis est immunda, fusco lividi coloris, debiliorisque odoris etc. Si aliæ ei admistæ sunt substantiæ, tum solutione in spiritu nitrico-æthereo fraus detegitur.

Q. Præcipue ab oleo æthereo et resina dependet. Sapor amarus, acer; odor peculiaris, fortis, ingratus, quasi alliaceus. Gravitas specifica = 1,212. Trituratione cum aqua quarta pars ejus (pondere) solvitur et inde solutio lactea formatur; sed dum quieti per aliquod tempus relinquitur, quarta pars soluti denuo præcipitatur. Vinum et acetum eadem ratione, ac aqua, in Galbanum agunt. Alcohol nonnisi quintam ejusdem partem, pondere, solvit, et solutio hæc, addita aqua, turbatur et lactea evadit, nullum tamen sedimentum deponit. Chlorum solutionibus Galbani additum materiem insolubilem extractivam dejicit. Secundum analysin T. Thomson Galbanum continet: oleum volatile, resinam, gummi et materiam extractivam.

V. Stimulans; resolvens; menagoga; antispasmodica; medium inter gummiresinam ammoniaci et assam fœtidam locum tenens, sagapeno proxima.

U. In obscenas sequioris sexus partes agendo, menstrua reserat, debilitate organismi suppressa; hinc etiam hysteriæ, eadem a causa ortæ, et chlorosi opitulatur. Flatus dissipat, doloresque inde ortos et spasmos pacat. In catarrho chronico, asthmate humido, arthritide et rheumatismo chronico, non sine fructu adhibetur. Pollet etiam anthelminthica vi. In universum cautionem injungunt: arteriarum micatus accelerati et febrile molimen. Extrinsecus vim resolventem et stimulantem exserit; hinc in myodynia rheumatica, arthrodynia, in variis inflammationibus, adynamiæ notas ferentibus, ita in contusionibus, ulceribus mali moris (aqua fœtida Pragensis), tuberculis hæmorrhoidalibus (admoto linteo tinctura ejus imbuto), pernionibus (per modum emplastri in connubio resinæ pini silvestris empyreumaticæ, acetatis cupri, hydrochloratis ammo-

niæ) utile est. Abscessus, forma emplastri, ad maturationem perducit, partesque abscedentes vel duras (clavos) emollit.

D. Vel forma pilularum, addito quopiam congruo pulvere, vel emulsionis (duabus drachmis gummiresinæ hujus, vitello ovi, drachma gummi acaciæ veræ et selibra aquæ constantis), vel solutionis in aceto, vel eodem scillite, vel acetate ammoniæ liquido, vel in spiritu sulphurico-æthereo etc., a granis decem ad scrupulum.

GENTIANA LUTEA.

Генціана; Горечавка желтая.

In Alpibus Pyrenæis, Helveticis, et montibus Germaniæ, Americæ septentrionalis et temperatæ Rossiæ crescens. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Gentianeæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix (vulgo r. Gentianæ rubræ) longa, ramosa, crassitie digiti, sæpe pollicis et ultra, rugosa, rugis annularibus adproximatis, extrinsecus ex fusco-rubescens, intus aurantiaca. Pro usu medico radix triennis vel quadriennis colligenda est, quando scilicet succus ejus, cui imprimis virtus inest, sufficientem adipiscitur maturitatem. In Norvegia et Scotia huic interdum substituitur radix Gentianæ purpureæ (Murray), alibi etiam punctatæ et pannonicæ, sic etiam narcoticorum quorundam, puta Ranunculi Thoræ, Aconiti Lycoctoni, Belladonnæ, imo, quod rarius accidit, Veratri albi radices adulterandi gratia cum radice Gentianæ luteæ intermiscentur, unde hanc ab iis peculiarem nauseosum fœtorem repetere, nec non virtutes suas in pejus

mutare, notum est; quapropter hujusmodi noxia additamenta, propriis characteribus distincta, exactam postulant electionem.

Q. Radix odore gaudet aromatico debili, haud ingrato, sapore sub initium dulciusculo, dein forti, amarissimo, acri, jucundo. Henry et Caventou chemice eam inquisiverunt. Tinctura nempe ejus ætherea evaporata, et residuo cum magnesia usta cocto, nova ætheris tractatione principium exinde peculiare extricarunt, *Gentianinum* ab ipsis dictum. Hoc principium inodorum est, Gentianæ amaritiem in summo gradu possidens, facili negotio in alcohole et æthere solvitur, et evaporatione spontanea in crystallos abit exiguas, aciculares, flavas. Parum ejusdem in aqua frigida solvitur, cui tamen intensum impertit amarorem. Solutiones alcalinæ majorem ejus partem abrogant et colorem flavum assumunt, qui in fuscum brevi mutatur; acida vero pallidius illud reddunt. Buchner substantiis vegetabilibus acidis Gentianinum adnumeravit, quod tamen novissimis temporibus neutrale existimatur, etsi ad nonnullas substantias alcalinas electro-negativum se præstet, cum magnesia e. g. junctum amaritie quasi spoliari videtur, quæ denuo ad libitum revocatur, si acidum quodlibet addideris. A principio hoc, unanimi consensu, vel tota virtus radicis derivatur. Sequentes insuper partes in radice repertæ sunt: principium volatile odoratum, nulla amaritie præditum, quod verisimiliter oleum est æthereum, materia resinoso-oleosa, odoris saporisque expers, substantia virescens oleosa, oleo cuivis pingui analoga, in alcohole purissimo olei ricini ad instar solubilis, acidum vegetabile liberum, saccharum, gummi, principium pallido-flavo colore inficiens, et ligninum. Secundum Planche

radici Gentianæ recenti tantillum narcotici inest, ut exinde aqua illi superfusa nauseose oleat, imo symptomata narcotica excitare valeat.

V. Eximia tonica, fibram muscularem, præcipue ventriculi et intestinorum, intendens, excalefaciens, humorum corporis mixtionem iniens ita, ut ex usu Gentianæ protracto omnia secreta et excreta amaritie ejus imbuantur. Antiseptica virtute omnibus hujus prosapiæ, imo cinchonæ et aliis antifebrilibus anteit; ultra annum enim impedit, quominus substantiæ animales putredine corripiantur. Etsi amaritie haud ingrata, imo aromate polleat suavi, vix tamen conducit organismo nimis irritabili, sed potius phlegmaticis convenit torpidisque, sensibilitate imminuta et reactione tarda præditis.

U. Languentibus organis digestionis congruum est adminiculum, si exinde acor, pituita, vermes, flatulentia, dyspepsia, pyrosis, diarrhœa, fluxus cœliacus aliaque hujus farinæ incommoda proveniant. In arthritide atonica et rheumatismo chronico a multis, ut remedium tutum laudatur. Nec ultimum locum inter febrifuga tenet; præcipue febres intermittentes profligare censetur, si in connubio nucis vomicæ vel cinchonæ propinetur. Nonnulli virtutem ejus experti sunt in curanda amenorrhœa, chlorosi, ictero, hydrope et aliis speciebus cachexiarum, ex universa corporis debilitate provenientium.

Extrinsecus ulceribus putescentibus, ut antisepticum, forma pulveris vel infusi applicatur, et arte chirurgica ad fonticulos sustinendos, vel fistulas dilatandas, in usum vocatur.

D. Si pulveris forma (cui ob texturam spongiosam minus accomodata est) eam dare oportet, a $\frac{1}{2}$ scru-

pulo ad drachmam semis æger pro dosi sumat, aliquoties per nychthemeron repetenda. Magis conveniens est forma infusi, ex dimidia uncia radicis et libra aquæ frigidæ vel fervidæ parati, cujus vasculum aliquoties de die propinatur. Tinctura Gentianæ vinosa et spirituosa cum per se a guttis 40 ad 80 porrigitur, tum etiam variis mixturis additur. Extractum ejusdem in aqua solutum, vel in formam pilularum coactum, a quinque granis ad viginti exhibetur.

GEUM URBANUM.

Гравилатъ гвоздичный; Гребникъ.

Planta floribus erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis, radicalibus lyrato-pinnatis, ad sepes et in locis umbrosis vulgatissima. In nostris regionibus frequentius G. intermedium. Cl. Icosandr. O. Polygam. O. N. Rosaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix (rad. Caryophyllatæ) fibrosa, fusca, intus rubens; recens odorem gemmarum floriferarum eugeniæ caryophyllatæ aromaticum quodammodo spirans, sapore simili est, austeritate tamen et amaritie prævalente. Effodienda est primo vere, e solo sicco, dum herba progerminat, et leni calore in aëre libero siccanda, florescentiæ etenim tempore odore aromatico multo inferior est. A radice Gei rivalis, quæ inodora est, humida loca amat, caulemque habet rotundum, et flores nutantes, distinguenda est. Radix Gei urbani habet caulem quasi quadrangulum.

Q. Præstans. Sapor radicis siccæ amaricans, stypticus.

V. Vis eidem adstringens est; antiseptica; roborans; febrifuga; eaque principio nititur scytodepsico, cum pauco oleo volatili.

U. Radix inter indigena cinchonæ succedanea primatum tenet. In febribus intermittentibus (Buchhave) levioris notæ, inveteratis, et nullo adhuc viscerum abdominalium infarctu complicatis, haud secus ac in typhodibus nervosis adynamicis levioris gradus, cinchona valentior quibusdam visa est, vel sola per se, vel in connubio stimulantium, vel acidorum mineralium. Profluviis atonicis, ut diarrhœæ atonicæ et dysenteriæ ejusdem indolis, radix sub finem data, profuisse fertur. Metrorrhagiis sistendis esse parem, et Trendelenburg et Weber confirmarunt. Hypochondriasi et hysteriæ, uti etiam chlorosi, scorbuto et gingivarum laxitati adcommodam esse, luculenti scriptores perhibent. Augustæ Vindelicorum sacculum, radicem Gei urbani continentem, dolio immittunt, ad tollendum cerevisiæ acorem.

D. Optime datur a scrupulo ad drachmam in pulverem tenuata radix, ter in die et sæpius, vel cum melle, forma electuarii. Uncia ejusdem sesquilibra aquæ fervefactæ, vel vini, ubi id levi pretio venit, infusa, binis cochlearibus secunda quaque hora exhibetur.

GLYCYRRHIZA GLABRA.

» » Glandulifera.

Лакричникъ гладкій и желѣзистый.

Planta in Europa australiore, et ad Jaicum Rutheniæ sponte crescens. Glandulifera et Echinata in australiore deserto ad Tanaim circa oppidum Tscher-

kask obvia. Cl. Diadelph. O. Decandr. O. N. Leguminos. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (Radix Liquiritiæ, *Солодковый корень)* teres, longa, repens, crassitie digiti et ultra, extrinsecus fusco-flavescens, intus flava, sicca, admodum rugosa.

Q. A principio peculiari extractivo, glycion dicto, derivanda. Odor crudus, legumina recentia redolens; sapor intense dulcis, simul in legumen pisi sativi incidens, idque parte in primis corticali, et nonnihil mucilaginosus; diutius masticata leviusculam præ se fert amaritiem.

V. Demulcens; bechica.

U. In morbis pectoris, raucitate, tussi, catarrho, paraphonia etc.; ita etiam in adfectionibus viarum uriniferarum, urolithiasi, stranguria, nephritide, blennorrhagia etc.; in diarrhœa, dysenteria etc.; ubivis fere, ubi deficit mucus naturalis. Additur quoque eadem aliis ad celandum eorundem ingratum saporem, ut pilulis pulvis, vel eo inspergitur fine, vel ideo, ne inter se cohærescant. Ita etiam decoctis ad conciliandam gratiam, idque sub finem; aptius additur sicilicus extracti loco unciæ sacchari. Corrigit optime salsedinem nauseosam hydrochloratis ammoniæ, eamque obnubilat. Extractum radicis in tussi, tanquam eximium bechicon, lambendo etiam sumi potest.

D. Pro additamento ad pulveres semiscrupulus, scrupulus; pro decoctis drachma et ultra. Potest etiam uncia ejusdem in libra aquæ per horam digeri, atque hoc infusum misturis salinis etc. addi.

GRATIOLA OFFICINALIS.

Асранъ аптечный; Благодать; Божія милость.

Planta in udis pratis meridionalis Rutheniæ crescens. Cl. Diandr. O. Monog. O. N. Scrofulariaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba amaro-acris, foliis lanceolatis, apicem versus dentatis, glabris, floribus ringentibus subalbidis, diandris. Radix cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba, valde amara, acris. Planta hæc sub initium florescentiæ colligenda est, hoc enim periodo efficacior est. Confunditur interdum cum Veronica scutellata, Viola arvensi et Galeopsi angustifolia.

Q. Tota planta odoris fere expers, saporis vero nauseosi, intense amari, acris, diu persistentis. Secundum Vauquelin succus herbæ expressus constat: pauca materia gummosa fusca, materia vegeto-animali, chlorido sodii, malate potassæ, phosphate calcariæ, phosphate ferri, alumina, et oxalate calcariæ, nec non materia resinosa peculiari, in aqua præsertim fervida, et alcohole facile solubili, valde amara, cui idem auctor totam plantæ virtutem inesse credit, eamque resinoidem vocat. Whiting veratrinum in Gratiola detectum fuisse refert.

V. Drastica, non raro simul emetica; anthelminthica; refracta dosi diuretica. Haud procul vero sunt, qui contendunt, plantæ huic principium quoddam volatile inesse, recens enim purgantem et vomitoriam exserit proprietatem, siccata autem virtute emetica fere ex toto spoliatur, quod de radice quoque valet. Incaute sumpta hypercatharsin, tormina et vomitum ciet.

Larga dosi, imo clysteris forma adhibita, organa sexualia specifice irritat et feminis nymphomaniam olim excitasse fertur (Bouvin). Experimentis auctore Orfila institutis patet, Gratiola irritationem localem violentam produci, principium ejus activum absorberi, systema nerveum illa sympathice adfici, et, venis injecta, effectus teterrimos provocari.

U. Multifariis morbis chronicis convenit et, ob insignem ejus efficaciam, Gratia Dei quondam nuncupata est. In plerisque affectionibus morbosis, ubi cathartica e re sunt, locus est Gratiolæ. In hydrope ascite (Helvich), anasarca (Hartmann), præsertim ubi stases abdominales diutius persistunt (Sprengel), quo in casu apte nubitur gummiresinæ stalagmitidis gambogioidis, haud secus ac in malo verminoso, colluvie pituitosa stipato, prodesse fertur. Est inter exempla, tæniam solium e penetralibus corporis fuisse extorrem redditam, aut herba, aut extracto cum gummiresina assæ fœtidæ et calomele porrectis. Mentis alienationibus, præcipue a læsa superbia ortis, et supresso hæmorrhoidum fluxu vel gastrica quadam anomalia comitatis, cum successu opponitur, adhibitis insimul, ubi morbus id postulaverit, idoneis remediis solventibus. Ad sopiendam irritationem in arthritide et rheumatismo cum torpore fibrarum muscularium, tinctura Gratiolæ, ad guttas 45 initio morbi porrecta, sese præstitit efficacem. Sic etiam in nonnullis pulmonum adfectionibus chronicis, asthmate, tussi habituali, oxymel radicis utilitatem promittit. Folia vel recentia vel in pulvere, extrinsecus admota, ad consolidationem ulcerum inveteratorum, arthriticæ indolis, multum fecisse, et fomenti calidi instar ulceribus recentibus applicata, profuisse, experimentis comprobatum est.

D. Herba pulverata exhibetur a granis decem ad scrupulum. Extractum eadem dosi porrigitur, aqua aromatica solutum; in morbis autem psychicis dosi multo majori uti convenit. Decoctum vel infusum paratur e duabus herbæ siccatæ drachmis cum aquæ ferventis libra, et semuncia ad unciam ter per diem datur. Remedium hoc tali semper dosi propinandum, ut sub ejus usu alvus fusa sit, vel nausea levis sustineatur.

GUAJACUM OFFICINALE.

Бакаутъ.

Arbor procera, foliis bijugis, in Hispaniola, Jamaica, Domingo, Barbados, Brasilia, aliisque regionibus Americæ meridionalis spontanea. Cl. Decandria. O. Monogyn. O. N. *Zygophylleæ*. ***Usualia sunt:***

1) Resina (non vero gummiresina) subpellucida, friabilis, externe e fusco-virescens, interne ex cæruleo-viridis cum maculis fuscis albisque, diffracta splendens; si vero in pulverem tenuetur, fit illa primo albida, dein subviridis, estque succus resinosus impurus, partim ex arboris cortice sponte exsudans, aut facta incisione trunci et ramorum exstillans, et dein condensatus, partim e recenti ligno, aut decoctione in aqua (addito interdum chlorido sodii), aut digestione in alcohole diluto extractus, aut perforatis ad longitudinem bacillis ligni, impositisque eorum extremitatibus igni, ex orificio opposito destillans et in receptacula exceptus. Sponte proveniens præstabilior censetur ea, quæ arte prolicitur.

2) Lignum (vulgo *sanctum* seu *Indicum*) compactum, fusco-ferrugineum, pond. specifici = 1,333, resi-

nosum, quod rasum (*rasura* seu *scobs Ligni Guajaci*) venditur.

Resina Guajaci, admisto interdum et colliquefacto colophonio seu resina communi, factitia conflatur. Ut hæc detegatur fraus, caloris ope in certa quantitate alcoholis solvitur, dein solutio hæc, debita aquæ quantitate itidem decomponitur, et instillatis lente aliquot liquidæ potassæ guttis, quod præcipitatum est, iterum dissolvitur. Quod ubi evenit, potassa liquida iterato addenda. Si Resina, cujus sinceritas explorabatur, non est adulterata, tum omnis illa solutio clara manet et inturbata, si vero vel minima illi intermixta est colophonii quantitas, id quod præcipitatum est, massam gummeo - resinosam, saponaceam, ægre solubilem, præ se fert; colophonium nempe cum potassa saponem resinosum format, in potassa liquida insolubilem, dum resina Guajaci simili modo solubilem produceret. Præterea detegitur impostura eo, quod si Resina in ardentes carbones projiciatur, statim emittit odorem terebinthinæ. Nonnunquam etiam adulteratur gummi manchinali, quod palam fit, instituto sequenti examine: si alcoholicæ solutioni substantiæ suspectæ aliquot guttæ spiritus nitroso - ætherei addantur, et solutio aqua diluatur, tunc Resina Guajaci fundum petit, gummi autem manet natans in forma striarum albarum. Massæ tenaces opacæque, e granis compositæ et colore griseo variegatæ, damnantur.

Q. Præstans, aromatico-resinosa; corticis et ligni: sapor amaricans, subacris. Resinæ: sapor acris pungens; odor levis, fragrans, haud ingratus, acidi benzoici odorem æmulans, sub pulverisatione vel combustione valde sensibilis. Ligni scobis: odor debilis, resinosus, haud ingratus; sapor masticatæ subamarus,

acriculus. Resina Guajaci, secundum analysin a BUCHNER institutam, continet in centenario: 80 resinæ (peculiaris), $12\frac{1}{2}$ corticis mechanice immisti, $5\frac{1}{2}$ substantiæ gummosæ, et 2 principii extractivi aqua solubilis. Ope acidi sulphurici in tanninum artificiale convertitur; tractata acido nitrico in materiam tannino comparabilem mutatur. In alcohole diluto æthereisque oleis solubilis est fere omnis. In aqua bulliente nonnisi ex parte solvitur, et hæc solutio per colationem purificata præstat decoctum coloris viridis, in quo ope oxalatis ammoniæ calcariæ vestigia deteguntur.

V. Guajaci æthereo - resinosa, irritans, stimulans, in nervos vasorum sanguiferorum agens, ac proinde, si præpostere propinetur, sanguinis congestiones, morbos sthenicos, imprimis vero febres excitat. Ægroto calidius cooperto est sudorifera, eodem vero frigidius servato diuretica. Usu protracto salivam movet, majoribus vero dosibus alvum subducit; principio suo acri urentem faucibus sensationem imprimit, atque oris siccitatem, sitim, nauseam, ructum, anorexiam, caloris sensum in stomacho, borborygmos, dolores, calorem totius corporis auctiorem et sanguinis circulationem acceleratam, imo subinde ipsum soporem inducit.

U. Morbis activis, ut variis doloribus, febribus, inflammationibus etc. potentia reagendi conspicuis, uti etiam ægrotis mobili nervorum systemate præditis, plethoricis, aut organico intrinsecus vitio laborantibus, phthisiscentibus, asthmaticis etc. aut saburra in primis viis hærente, esse Guajacum alienum, virtus ejusdem medicata declarat; adcommodum vero esse morbis adynamicis, ubi systematis vasorum torpor, secretionum, excretionum et reproductionis inertia eminet, ut diversis pruritus speciebus, puta psorico (scabiei),

herpetico, achorico, aliis eruptionibus cutis congeneribus, vel acri suo principio vellicantem potentiam tollendo, vel eandem ad cutem promovendo, additis præsertim sulphure sublimato, hydrargyro, stipitibus solani dulcamaræ, cæterisque pari virtute nobilibus. Nemo ignorat Guajacum, antequam virtus hydrargyri antisyphilitica cognita erat, ut remedium potens contra luem syphiliticam reputatum fuisse. Medici decimi sexti seculi multa de hac substantia scripserunt, eamque summis laudibus cumularunt; imo Fracastor, poëta Italicus, operæ pretium duxit, ejus beneficia in tertio libro sui poëmatis eleganti carmine exprimere. Nostris etiam temporibus in tractanda syphilide, una cum hydrargyro sæpe adhibetur decoctum Guajaci, quod organicos motus corporis stimulando, virtutem hydrargyri quamplurimum adjuvat, ut virus in corpore hærens eo facilius exstinguatur. Dantur exempla, ægrotos hujusmodi ex usu hydrargyri, nonnisi Guajaco postmodum adhibito, perfecte convaluisse. Nec minorem vim exerere censetur in curandis scrofulosis adfectionibus membranarum ligamentorumque, et in ozæna refractaria. In rheumatismo et arthritide atonica cum opio et antimonialibus valde juvat, vel sudorem eliciendo, vel cutem saltem perspirationi opportunam reddendo. In rheumatismo chronico, adfectione hæmorrhoidali stipato, cum bitartrate potassæ, sulphure et nuce myristicæ moschatæ salutarem sæpe effectum producit. Prosopalgiæ vel tinctura Guajaci obponitur per se, vel succo conii spissato in eadem soluto, adjuta; alii eandem cum gummiresina assæ fœtidæ, aut succo aconiti spissato propinant. In enterodynia rheumatica ab ill. Sellio laudatur, nec in hydropisi vaga Richteri, præcipue si vel rheuma-

tica, vel arthritica constitutio malum prodit, ob salutarem suam in cutem et renes actionem, laudibus sibi adstructis orbari debet; utilius tamen in duritie ligamentorum et periostei, post usum mercurialium superstite, suasu ill. Duncani adhibetur. In phthisi catarrhali atonica illud valere, Double auctor est. In catarrho inveterato, blennorrhœa pulmonum, asthmate convulsivo, arthritica vel rheumatica ad pectus conversa acrimonia, in connubio opii, radicis valerianæ officin., gummiresinæ assæ fœtidæ etc. profuisse perhibetur. Imprimis vero emulsionis aquosæ forma, in urolithiasi, ob actionem ejus in renes, utilitatem promittere, præsertim cum sapone, aqua calcariæ etc. luculenti scriptores adseverant. Resina Guajaci efficacitate longe superat lignum; cavendum tamen a protractiori ejusdem usu, ut pote ventriculo insidias struente.

D. Lignum in infuso, vel leni decocto (uncia ad 2 libras aquæ) præberi solet. Persæpe aliis additur decoctis; sed cum per se adhibetur, paulum radicis glycyrrhizæ, ut quibusdam placet, adjici expedit. In collutorio quoque, aut ipsa per se decoctio, aut additis congruis remediorum adminiculis, commendatur. Resina vel in substantia, scilicet in pulverem tenuata, a quinque ad quindecim grana cum bitartrate potassæ, chlorido hydrargyri, aut polysulphureto stibii propinatur, vel per modum pilularum, aut boli forma cum sapone, vel si ventriculus langueat, cum extractis amaris et aromaticis, vel pro vario morborum comitantium satellitio cum succo conii spissato, aut gummiresina assæ fœtidæ, vel forma emulsionis, vitelli ovi aut mucilaginosorum ope parandæ, e. g. e drachma Resinæ, scrupulo gummi acaciarum, duabus unciis aquæ et

semuncia syrupi, cochleatim sumendæ, vel tincturæ instar.

HÆMATOXYLON CAMPECHIANUM.

Кампешъ.

Arbor spinosa, in meridionali America, nominatim ad sinum Campechium (unde nomen ducit) regni Mexicani copiose sponteque crescens; exinde in Jamaicam et alias insularum Antillarum transplantata est. Cl. Decandria. O. Monogyn. O. N. Leguminosæ. Perennis. *Usuale est:*

Lignum Campechianum (*Лазоревое дерево*) durum, solidæ texturæ, ponderosum, ex rubro-bruneum, ad longitudinem sectum, fissile; transversim vero, æquale, nebulosum. Cortice denudatum, sanguineum habet colorem.

Q. Inodorum, si autem fuerit rasum, peculiarem edit odorem; saporis est dulciculi, nonnihil adstringentis et amari. Cum sulphate ferri atramentum format; cum gelatina nullum exhibet sedimentum. Chevreul, analysi chemica instituta, ex hoc ligno peculiarem obtinuit substantiam, minutis nitentibus constantem crystallis, ex rubro-albidi coloris, et amari saporis, quam *Hœmatinum* vocavit, in aqua et alcohole solubilem.

V. Roborans; leniter adstringens. Materia colorans hujus remedii massam humorum corporis intrans, urinæ impertit colorem rubrum, eodemque afficit etiam excrementa alvina.

U. In diarrhœa chronica, atque atonia canalis intestinalis vel decoctum, vel extractum ejus, aptum est,

nec minus sub finem dysenteriæ, vis ejusdem medicamentosa prædicatur. In cholera infantum, infusum, cochleatim ter quaterve de die propinatum, utile esse existimatur. Febribus intermittentibus rarius, sed interdum cum successu obpositum. Usus ejusdem in arte tinctoria celebrior.

D. Semuncia in selibra aquæ coquitur, atque colatura unciarum quatuor præbetur cochleatim. Aliis extractum coctione parandum magis placet, cujus duas drachmas in quatuor unciis aquæ aromaticæ solutas exhibent. Cavendum est, ne decoctum vel solutio una cum acidis vel aqua calcariæ, supersulphate aluminæ et potassæ, sulphate ferri et cupri, acetate plumbi et tartrate stibii et potassæ præscribantur; nam cum horum singulis formatur præcipitatum, adeoque ipsa virtus infringitur.

HELLEBORUS NIGER.

Черная чемерица.

Planta in Helvetia et Apenninis montibus sponte crescens, alibi vero in hortis culta. Cl. Polyandr. O. Polygyn. O. N. Ranunculaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, nodosa, ad dimidium pollicem crassa et plures longa, extrinsecus coloris fusco-nigri, intus albicantis; subtus fibrillis copiosis perpendicularibus, ad longitudinem vero fibrillis sulcatis munita. Interdum vel dolose, vel ex inscitia eidem substituuntur radices Adonidis vernalis, Trollii Europæi, Actææ spicatæ, Astrantiæ majoris et Aconiti neomontani; hæ tamen omnes colore magis pallido facile distinguuntur a radice Hellebori nigri.

Q. Odor radicis siccatæ debilis, ingratus; sapor initio dulciculus, dein acris, amariusculus, mox tamen evanescens. Infusum aquosum, frigide paratum, coloris est flavescentis, et a sesquichlorido ferri colorem nanciscitur album; addito autem uberius sale hoc, infusum virescit; a bichlorido hydrargyri eandem fere subit mutationem. Partes constitutivæ sunt: materia adiposa coloris fusco-flavescentis, cum acido peculiari volatili juncta, a qua præcipue virtus radicis pendet, estque in alcohole et æthere solubilis; oleum æthereum ingrati odoris; principium amarum; resina; tannas potassæ et tantillum aluminæ.

V. Narcotico-acris, in systema nervorum spinalium actionem suam imprimis exerens; membranas mucosas irritans; majori dosi drastica et emmenagoga. Radix Hellebori nigri, nimia dosi porrecta, vomitum excitat, et alvum præter modum liquat, sedibus alvinis tandem cruentis et mucosis; hujusmodi symptomata comitantur anxietate, vertigine, pallore cutis, et interdum subsultibus tendinum; his, assumpta nimia quantitate, accedunt: pupillæ dilatatio, virium prostratio, pulsus debilis, intermittens, anxietas præcordiorum, convulsiones spasmodicæ, sudores frigidi, qui mortem paralyticam præcedere solent.

Antidota habentur: infusa tanninum continentia; infusum fabarum coffeæ tostarum; potus mucilaginosus vel oleosus; extrinsecus cataplasmata et derivantia; accedentibus symptomatibus inflammatoriis — venæsectio et topicæ sanguinis evacuationes; in stadio paralytico — camphora, aliaque analeptica.

U. In morbis, ubi languentem functionem organorum abdominalium excitare e re est, vigorem systematis gangliorum abdominalium et plexuum spinalium

intendendo, remedium fit idoneum; hinc in obstructionibus hepatis et lienis, in stasibus, systema venæ portarum et vasa hæmorrhoidalia occupantibus; sic quoque in morbis a simili causa provenientibus, uti in hydrope, ictero, menostasia et febribus quartanis, in connubio aloës, assæ fœtidæ, rhei, chelidonii majoris, conii maculati, belladonnæ, stibiatorum et alcalinorum. Magni æstimabatur antiquitus, et haud immerito forsan, in morbis psychicis, uti mania, melancholia, amentia, et hypochondriasi inveterata; hisce in casibus tum imprimis efficax est Helleborus niger, dum causæ materiales in abdomine sublatent.

D. Scopo excitandi a granis duobus ad octo, aliquoties in die; scopo drastico, in morbis psychicis, dantur grana quindecim vel scrupulus, forma pulveris; infusum aquosum, ex drachmis duabus vel tribus ad colaturam unciarum octo, magis aptum esse censetur. Extracti exhibentur grana duo ad octo, vel decem, aliquoties in die.

HIRUDO MEDICINALIS.

Піявица.

Inhabitat Europam, Americam et Indiam. In Rossia, imprimis Europæa, insigni copia occurrit, potius in aquis stagnantibus, quam fluentibus, quarum margines plantis uberius pullulant, hinc in palludibus, piscinis et fossis. Cl. Annelides. Ord. Abronchiæ. Fam. Hirudineæ.

Hirudo medicinalis tres ad quinque pollices longa, in dorso coloris est olivacei virescentis, in nigrum

vergentis, in quo sex observantur striæ longitudinales, parallelæ, quæ coloris sunt rubiginosi, vel potius rubiginoso-flavescentis. Hujusmodi striæ a linea dorsi media aliquantulum distant, et plerumque distinguuntur punctis vel maculis nigris variæ formæ, magis copiosis versus medium dorsi, quam in striis marginalibus. Abdomen coloris est olivacei, virescentis et flavescentis, in quo observantur maculæ nubeculosæ nigræ, quæ juxta marginem flavum decurrentes fasciculatim convergunt.

Captandæ sunt Hirudines vere vel autumno, minime vero æstivis mensibus, nam quæ tali tempore leguntur, nec diu adservari, nec in loca remotiora transferri possunt. Captantur plerumque retibus spissioribus, dum aqua, quam incolunt agitatur, ex quo superficiem illius petunt. Major Hirudinum numerus optime servatur in doliis ligneis, septo perpendiculari multis foraminibus pertuso, ita divisis, ut Hirudo ad libitum aquam, vel terram humidam incolere possit; quam ob rem parti dolii septo divisæ ad plures pollices sic immittitur terra cum cespitibus, ut aqua in altera dolii parte, (trans dictum septum) aliquot tantum pollices profunda sit; foramen ad latus dolii, quam propius ad fundum, aquæ per certa intervalla temporis renovandæ inservit; circulo in quo tela expansa est dolium obtegitur. Minores quantitates adservantur in vasis vitreis cylindricis, tela clausis.

U. Hirudines adhibentur in iis casibus, ubi depletione sanguinis topica opus est, et ubi ob partis structuram cucurbitæ scarificantes admoveri nequeunt, uti in ophthalmiis et variis organorum inflammationibus. Pars cui Hirudines applicandæ sunt probe lavanda et

siccanda est, et si pilis obsita foret, hi prius abradendi sunt. Quidam suadent, ut pars corporis aqua saccharata, lacte vel sanguine prius humectetur, si Hirudines ægre adhærescunt; juvat quoque hoc in casu per brevissimum temporis momentum Hirudinem in poscam (*квасъ*) non nimis acidam immergere, et dein statim parti corporis siccæ admovere. Quantitas sanguinis a Hirudine sucta unciam circiter dimidiam tantummodo constituit, hinc ad promovendum sanguinis effluvium, secessis jam Hirudinibus, pars cui adpositæ fuere, aqua tepida diutius lavanda, vel cataplasma tepidum illi superdandum est. Sanguinis stillicidium elapsis aliquot horis, postquam Hirudines deciderint, plerumque sponte cessat; si vero necessitas urserit sisti etiam potest adminiculis sic dictis hæmostaticis, quo referuntur: pulvis gummi acaciæ veræ, pulvis colophonii, pulvis aluminis, agaricus chirurgorum, telæ aranearum, gossypium albumine ovi madidum, aqua creosoti, variaque alia. Sunt autem casus, ubi hæmorrhagia ex morsu Hirudinum, præcipue in infantibus tenellis, lethalis extitit. Si igitur grave hujusmodi minatur periculum ad remedia chirurgica efficaciora recurrendum. Cl. Thomson suadet, ut acus, qualis ad suendum adhibetur, per vulnusculum transfigatur, et ipsum vulnus filo ad instar numeri 8 circumvoluto claudatur. In casu desperato ad ferrum candens esset confugiendum.

Numerus adplicandarum Hirudinum varius est, pro varia ætate et sexu ægrotantium, nec non pro vehementia morbi. Solent infantibus tot Hirudines adplicari, quot annos ipse infans natus est, sic bimulis duæ, trimulis tres, et sic porro; adultis admoventur decem ad quadraginta Hirudines et amplius.

HORDEUM DISTICHON.

Ячмень.

Gramen ignotæ patriæ; a Ruthenis copiose seritur, imo etiam ipsi Laponiæ familiare. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. Annuum. *Usualia sunt:*

Semina, quæ prout leguntur, integra, *cruda;* cortice autem molendo exuta, *mundata;* quæve mola in formam sphæricam redacta sunt, *perlata (перловая крупа)* vocitare suerunt Medentes. Maltum hordeaceum, (*солодъ*) sistunt semina cruda, aqua frigida in tabulatis emollita, atque dein per strata, in loco patulo ac perflatili, distributa, speciem fermentationis subeundo, germina utrinque protrudentia, dein (quod ne ultra justum limitem fiat) vel illico aëre libero siccata, vel subito super commodis furnis tosta. Farina.

Q. Farinaceæ, mucilagineæ, amylaceæ indolis.

V. Farinæ: emolliens; demulcens, et plus, quam avenaceæ, nutritoria. Malti itidem nutriens, quin excalefaciat, blande stimulans; majori dosi, musculares canalis intestinalis fibras relaxando, alvum sat efficaciter liquans. Interdum acido carbonico, sub fermentatione semet evolvente, vim antisepticam exserere videtur.

U. Panis hordeaceus, licet sit gravior secalino, a Ruthenis tamen, præsertim vero ruricolis Fenniæ, quum sit grati saporis, murmurantibus præcipue inanitate intestinis, perlubenti corde atque animo estur. Mitissimum nutrimentum in morbis tabificis est *Hordeum præparatum* Thilenii: Farinæ hordeaceæ aliquot libræ, sacculo linteo includuntur sic, ut inter ejus orificium, et superficiem farinæ, spatium palmæ reddatur

vacuum. Sacculus aquæ adfusæ et fervefactæ supernatet. Fervore per nychthemeron sustentato, atque adfusa identidem aqua, farinacea placenta immittitur patellæ. Crusta digiti crassitie, illam ambiens, cultro rescinditur, nucleusque, postquam siccatus fuit, comminutus, loco sicco servandus. Phthisiscentibus paratur ex eo pulmentum cum lacte, mane et vesperi edendum. Fit pro adultis, e lactis sedecim unciis, et amyli hujus hordeacei cochleari vel duobus, digestione leni, sub agitatione perpetua, et pro re nata saccharo edulcatur. Duodennibus pueris quantitas dimidia sufficit (THILENIUS). Farina conficiendis cataplasmatibus, et fomentis siccis apta, cui tamen, pro re nata, secalina subrogari potest. Malti infusum in suppurationibus majoris momenti, ingruente ob jacturam humorum macie, celebratur; ita in suppuratione renum, in ulceribus obstinatis syphiliticis, cancrosis, sub interno usu, tulit suppetias. In scrofulosis adfectionibus, tinea capitis, herpetibus, rhachitide, tum potui datum, quum extrinsecus forma balnei, vel lotionis, juvat. Magna ei in dyscrasia humorum, ut scorbuto, tum præcavendo, quum curando efficacia a cel. MACBRIDE tribuitur. Exspectationi examussim infusum Malti Hordei satisfecisse, iter navigationis celeberrimi COOKII circa orbem terraqueum documentum præbet. Idem confirmaverunt expeditiones plurium circumnavigantium. Ipsemet scorbutum curaturus, infuso Malti, vinum et saccharum cum successu addidi; sed hoc exemplum tunc tantummodo sequi licet, ubi vitigenus liquor, non est caro pretio. In arthrodynia quidam laudant et articulationum debilitate, membrum debile in humefactum calensque Maltum indentes. Scire licet, amylum hordeaceum, quod est plerumque albido cinerascens, aqua

decoctum, in gelatinam concolorem, tenacem, transire, et cataplasma aqua coctum, ex eo parabile, ad movendam suppurationem, esse peridoneum.

HUMULUS LUPULUS.

Хмѣль.

Planta perennis, caule volubili, foliis inferioribus trilobis, in quibusdam insulis fluvii Jenisei spontanea, tam bene viget, ut venditio in vicinas terras incolis Krasnoiarscensibus insigne lucrum adferat, alibi vulgaris ad sepes, alibi, adornatis pro usu œconomico lupuletis, colitur. Cl. Diœc. O. Pentandr. O. N. Urticeæ. *Usuales sunt:*

Strobili, seu amenta subglobosa, laxe imbricata, squamis ovatis, subacutis, membranaceis, stramineo colore præditis, antequam floruerint colligendi, et siccandi sollicite.

Q. Odor subnarcoticus, nidorosus; sapor amarus. Partes constitutivæ sunt: *Lupulinum*, principium peculiare narcoticum, ægre in aqua et æthere, facile autem in alcohole solubile; oleum æthereum acre; resina amara flava; materia adiposa et salia quædam.

V. Excitans; narcotica; frequentiam pulsuum retardans quidem, sed eosdem reddens firmiores; leniter adstringens; diuretica.

U. Fere ubique, ubi opium dari expedit, utilitatem promittit; laudatur cumprimis in myodynia rheumatica, adfectionibus pulmonum; ita in pertussi sub finem. Decoctum decrescente luna sumptum vermes efficaciter pellere fertur. Unguentum cum pulveratis strobilis factum, intensum carcinomatis dolorem, ultimo

ejusdem stadio, quum alia non responderint, lenivisse fertur. Speciebus resolventibus recte adduntur strobili.

D. Pulveris grana decem ad scrupulum; tincturæ drachma ad duas; infusi sescuncia.

HYOSCYAMUS NIGER.

Блекота; Бѣлена.

Planta, cor. flavescente, infundibuliformi, obtusa, irregulari; stam. inclinatis; caps. operculata, biloculari; seminibus nigris; ad pagos, vias et pinguia ruderata crescens. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solaneceæ. Biennis. *Usualia sunt:*

Folia alterna, amplexicaulia, sinuata, hirsuta. Hyoscyamo albo quandoque adulterantur, quo veteres, ut pote mitiore, potissimum utebantur; id quod contemporanei etiam Itali et Franco - Galli haud vituperandum esse putant. Aliis insuper Hyoscyami speciebus, H. aureo nimirum, H. physaloide et H. picto misceri fertur. Non longe abhinc semina Hyoscyami nigri usui aptiora sese præstiterunt; omnibus enim foliorum pollent qualitatibus, non, ut hæc, illico perdunt virtutes, et oleum continent pingue, quod vix ac ne vix quidem foliis inest.

Q. Odor recentium foliorum gravis est narcoticus ita, ut obstupefacere hominem, eique delirium inducere queat; saporis fatui, mucilaginosi, nonnihil acris. Siccatione plus quam dimidiam ponderis partem, odorem saporemque amittunt, imo virtute medica spoliari censentur, nisi planta ante florescentiæ periodum collecta, citissime et caute siccata, in vasis bene obturatis servata fuerit. Peschier et Brandes, qui in chemica eorum disquisitione vel summam præstiterunt operam,

præter resinam, mucum vegetabilem, albumen, extractivum, olei pinguis vestigia, amylum et salia varia, — acidum peculiare ibi invenerunt, et alcali vegetabile *Hyoscyaminum* seu *Hyoscyamia* ab illis nuncupatum, quod cum acido malico nuptum occurrit. Alcaloides in fervido spiritu vini solvitur, quo refrigerato vel floccorum forma subsidet, vel in crystallos partim coit parvas, prismaticas, oblongas. Cum acidis salia format neutra, et vel omnem plantæ sibi vindicat efficaciam. Seminum partes constitutivæ nonnisi quantitate forsan differunt.

V. Narcotica insignis, omnibus hujus prosapiæ comparabilis, quæ nempe narcosin producunt excitatione quadam prægressa. Opio analoga esse videtur, eo tamen præstat, quatenus nec alvum sistit, neque caput vehementer adficit. Incaute porrectum acerrimum est venenum, non homini solum, sed avibus permultis, gliribus, muribus aliisque. Equi vero, vaccæ, capræ, oves et porci impune Hyoscyamo vescuntur. Ut notum est, inde ab initio excitationis signa sub usu ejus adparent, cui jam narcosis supervenit: vertigo nempe, nausea, temulentia, pupilla dilatata, visus obnubilus, coma, delirium, quæ debilitas subsequitur universa, pulsus tremulus, frigidus sudor, convulsiones, petechiæ variaque mali ominis præsagia, morte desitura. Vasa sensorii communis ejusque meningum atro sanguine turgida, in cadavere conspicua, Hyoscyamum cerebro infestum esse indicant. An vero apoplecticam inferat mortem, vel oxydationem sanguinis impediendo, vel oxygenium ejus absumendo, et an eo efficiat, ut arteriæ venoso cruore onustæ encephalon deprimant, adhuc disceptationi subest. Quidquid tamen sit, nihil impedit quominus caute et cum judi-

cio Hyoscyamum administremus. Id solummodo memorandum est, ab hoc remedio cerebrum et systema nervosum primitus excitari et hunc dein actum narcosin subsequi. Si itaque excitans ejus postuletur virtus, parca dosis sæpius repetita subveniet; caute vero largius porrectus pacantem, antispasmodicum, somniferum, præstabit effectum. Seminibus laudem contrahit virtus eorum anodyna, qua foliis multum excellunt (Schultz, Reisinger, Buchner).

U. Licet e virtute Hyoscyami abunde pateat, usum ejus cum multis plerisque narcoticis acribus communem esse debere: sanæ tamen rationi consentaneum est, ut unius quidem classis medicamina diversam etiam præbeant efficaciam, ita quidem, ut cuivis casui hoc commodius quadret aliudve, — id quod cum Hyoscyamo experientia probatum est. In multis ex. gr. animi perturbationibus, imprimis mania et melancholia (cum camphora), dementia puerperali; eo belladonnæ, opio aliisque anteit, quod somnum placidum citius concilict ægroto, quin phantasmatibus et illusionibus ille antea turbetur, et aliis incommodis ex opii usu oriundis. Pari consilio cæteris præfertur in multis spasmodicis et convulsivis adfectionibus (cum ipecacuanha, languore vero præsente cum serpentaria), ubi e re est obtundere dolorem, spasmum resolvere et in universum, ubi a medente anodyna postulantur, quin tamen caput exinde prematur onere, nec nimis adstringatur alvus. Hinc in spasmis pectoris, colica, hysteria, hypochondriasi, et variis erethismi nervorum occasionibus Hyoscyami administratio successu coronatur. Nec non neurosibus multis adcommodum remedium, etsi systematis sanguiferi consensuali vel idiopathica stipentur adfectione, ut: rheumatici et arthri-

tici dolores, prosopalgia, asthma et tussis spasmodica cum sputis cruentis, et alia bene multa. Odontalgia laborantes multi levamen acceperunt fumum Hyoscyami sugendo. Si membrana ventriculi mucosa justo irritabilior sit, vel etiam totus ventriculus spasmo teneatur, Hyoscyamus, præsertim cum tonicis, utilis est, quatenus spasmum solvendo energiam impertit, appetitum provocat, et ciborum favet concoctioni. Si vero stomachus jam nimie irritabilis sit, vel subacuta tentetur inflammatione, imprimis peritonitide præsente, nocebunt narcotica, et hoc ipso Hyoscyamus; cito enim sitim, oris siccitatem, anxietatem magnam, imo vomitum sæpius creat. Sic etiam in hyperthrophia cordis abstinendum est a narcoticis, ne congestiones causent, vel etiam apoplexiæ inducant periculum. In cancere ventriculi nondum inveterato solatio est Hyoscyamus; ubi vero ulcera jam aperiantur et fungo totus luxuriat — dolorem intendit et vomitum ciet. In ileo et colica pictonum, colocynthidi et scammoniæ nuptus, sæpe prodest, et tandem in renum, vesicæ urinariæ aliarumque mucosarum nimia irritabilitate subinde commendabilis est. Inter operationes oculorum aliquando instituendas Professor Eke Hyoscyamum cæteris præferre suadet, amplius enim quam belladonna pupillam dilatat, eamque diutius latam præstat. Fomenti forma folia superdata herniæ umbilicali incarceratæ suppetias tulerunt (Pohl, Prof. Mosq.); tumoribus emolliendis conveniunt, et doloribus mitigandis, imo indurationibus scirrhosis aliquando radicitus sanandis apta feruntur. Inflammationi oculorum spasmodicæ cum successu opponebatur Hyoscyamus, iritidi (Schmidt), myosi aliisque. Incommoda doseos incongruæ aceto auferri dicuntur; potius tamen confiderim in usum alcalium, ut

13 *

postremo ad vires refocillandas cardiaca in usum vocentur.

D. Pulveris foliorum grana duo, ad decem usque, dantur. Extracti forma aptior est, cujus grana tria ad decem omnino sufficiunt, sensim sensimque ad auctiores progrediendo doses. Laudatur etiam ejus tinctura a guttis quindecim ad drachmam usque sumenda. Neutiquam usui Hyoscyami aqua calcariæ vel alcalia præmittenda sunt, quippe quæ, narcoticam ejus destruendo vim, antidota Hyoscyami jure æstimantur.

INDIGO.

Indicum Plin.

Индигъ.

Est fæcula peculiaris e plantis: Indigofera Anil, Ind. tinctoria, Ind. argentea, Ind. disperma, fermentationis ope obtenta. Plantæ illæ in Java proveniunt, utraque India, Arabia, Ægypto, insulis Philippinis, Luconia, cujus Manilla est urbs principalis; in provinciis quoque australibus et septentrionalibus Hindostani, a vicesimo usque ad trigesimum gradum latitudinis, quibus Bengalia præest, crescunt, æque ac in provincia Tinnevelli dicta, Guatimala et Caraccas passim occurrunt. Florescentiæ tempore falcibus resecantur, et in cistis idoneis, per strata collocatæ, aqua infunduntur. Liquor fermentationem subiens, ab initio viridis, in cupreo-rubrum mutatur. Huic aqua calcariæ additur, et tota miscela agitatur, quo facto, liquor per orificium inferius in vas idoneum emittitur, et quieti exponitur, ut pigmentum purpureis resideat floccis. Tandem de-

cantatur. Indicum humidum, et probe expressum in capsis ligneis siccandi gratia collocatur.

Per Ægyptum a mari Rubro Indicum vehitur ad portum Alexandriæ, vel forsan per sinum Persicum et Euphratem ad confinia fere Ponti Euxini, vel littora ejus orientalia, scilicet usque ad provincias Rutheniæ australis; sed sæpius a sinu Persico per Persiam ad mare Hircanum et Astracaniam importatur. Substantia hæc in frustulis prostat subrotundis vel cubicis, quæ tamen jam transportationis tempore varia ratione conteruntur, estque sicca, cærulea, vel violacea, vel etiam cupreo - cærulescens, fragilis, aqua levior; quisquiliis permista, non raro fundum petit.

Q. Odoris æque ac saporis expers est. In acido sulphurico concentrato totum solvitur, et, si huic solutioni carbonas potassæ addatur, materia cærulea demittitur ad fundum. Cum aqua etiam miscetur, quisquiliis arenosis, si quæ adsunt, ad fundum rejectis. Si ungui admotum Indicum, lineam cuprei nitoris præbeat, bonum censetur; certum vero genuinæ qualitatis signum habetur, si combustum, cineris parum relinquat. Döbereiner et Brugnatelli Indigo metallum esse adseverare student, quod tamen haud extra dubitationis aleam positum est. A Berzelio disquisitum, mucilaginem præbuit vegetabilem et principium tingens fuscum, rubrum et cæruleum. Centum ejus partes continent: carbonei 71,71; oxygenii 12,18; nitrogenii 13,45 et hydrogenii 2,66 partes.

V. Qualitas colorans hujus substantiæ antiquis etiam erat nota; neotericorum tamen nonnulli medicas ibidem quærunt virtutes. Larga etiam dosi Indigo exhibitum nil nocet, nisi quod (teste Ideler) vomitum nonnunquam et diarrhœam producat, etsi Illust. Rhül

experimentis constet, vix unquam usu ejus secretiones adaugeri. Colicam renalem ex eodem ortam Strahl memorat, cutem livido imbui colore contendit, imo uterum ita excitari, ut catamenia haud raro pellentur ejus auxilio. Ratio tamen, qua in organismum operatur, adhuc in obscuris manet.

U. Propriis deficientibus experimentis, non sum immemor, utilitatem Indici, in quibusdam neurosibus curandis commendabilem, ab Ill. Rhül et Dre Spasky perhibitam esse, quapropter operæ pretium duxi, hoc novum remedium opusculo huic inserere, ut nempe ulterioribus explorationibus subjiciatur. Omnia ejusmodi medicamina incertam experiuntur sortem, et nonnisi temporis progressu componitur lis, utrum remedio tali inter efficacia concedendus sit locus, an illud, qua fatuum, despicatui et oblivioni tradendum sit. Epilepsiæ mere nervosæ adcommodum esse Indigo, multi adseverant, et quidem Rhül, multifariis ductus observationibus, testatur, epilepsiæ symptomata ex ejus usu vel rarius repeti, vel plane cessare; feminas præsertim memorat ille, ante menstruationis ingressum epilepsiæ subjectas, quibus cum bono successu Indigo administratum fuit. Nisi tamen cito adpareat optatus effectus, e protracto etiam usu nil expectandum esse, docet. Dr Seidlitz asthma thymicum profligavit Indici adminiculo; Grossheim insuper in hysteriasi idem efficacissimum esse expertus est.

D. Pulveris vel boli forma porrigitur a granis decem ad scrupulum et ultra, aliquoties per diem, gradatim augendo dosin. In electuario quoque apte eadem dosi propinatur cum syrupo quovis, vel aliis, pro re nata, idoneis. Pueris grana x — xx nychthemeri spatio exhibentur.

INULA HELENIUM.

Девясилъ.

Planta in pratis succulentis et humidioribus Rossiæ australis crescens, foliis amplexicaulibus, ovatis, rugosis, subtus tomentosis, calycum squamis ovatis. Cl. Syngenesia. O. Superflua. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, fusiformis, carnosa, mucilaginea, crassitie pollicis et amplius, externe pulla, siccata vero glauca, intus alba. Mense Augusto, secundo crescentiæ anno, effodienda est. Cum radices hæ cito mucescant, in longitudinem dissecantur, ut melius siccescant. In hortis educata virtute cedit sponte crescenti.

Q. Siccata radix odorem balsamicum spargit, paulo fœtidum; mansa sub initio ingrati glutinosi saporis est, saponi rancido haud absimilis, mox aromatici, amari, pungentis. Secundum analysin Funke radici insunt: oleum æthereum crystallisabile, fæcula peculiaris, a Thomson Inulinum dicta, principium extractivum, resina, albumen, acidum aceticum paucum liberum et fibra vegetabilis. Qualitates præcipuæ radicis aqua et alcohole extrahuntur, destillatione vero ejus cum aqua obtinetur substantia concreta, medium inter camphoram et oleum volatile locum tenens.

V. Leniter stimulans; tonica; diuretica; expectorans; resolvens.

U. In morbis pectoris chronicis, tussi, asthmate pituitoso, laudatur. Nonnullis videtur remedium efficax in dyspepsia, colica flatulenta, obstructionibus viscerum et hydrope. Contra psoram in unguento celebritatem consecuta est. An vero pro alexipharmaco

adversus pestem, ut RAJUS et DIEMERBRÖCK contendunt, haberi queat, non scimus pro certo. An tremorem artuum, ab incauto hydrargyri usu ortum, sedet, dubitatur.

D. Vel in pulvere ad semidrachmam, et amplius, vel aqua decocta, sive infusa, datur. Præcipue infusum vino factum arridet.

IPECACUANHA.

CEPHAËLIS IPECACUANHA.

Рвотный корень.

Incolis Americæ australis quævis planta, virtute emetica pollens, Ipecacuanha audit. Prostant autem sub Ipecacuanhæ titulo radices inter se mixtæ, ex certo plantarum ordine desumptæ, e quibus præcipua omnium consensu Cephaëlis Ipecacuanha esse videtur; est autem hæc fruticis decumbentis species, in silvis Brasiliæ umbrosis frequens. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Rubiaceæ. Perennis. *Usualis est:*

RADIX, subcylindrica, flexuosa, tenuis, ad quatuor digitos longa, pennam anserinam fere crassa, annulis cincta eminentibus, inæqualibus; constans ex substantia exteriori grisea, friabili, amaro-acri, nauseosa, epidermide tecta cinerea vel nigricante, ut exinde fuscus sit radicis color, et interiori centrali lignea, tenaciori, subflava insipidaque; filo percursa lignoso, æquali, albo, fere insipido, mucilagineo, a quo facile in plures annulos fissa contiguos et inæquales, fissuris lævibus separatur. Odor pulveratæ radicis nauseosus est, irritans, sternutationem, epistaxin, imo hæmoptysin mo-

vens; sapor nauseosus, amaricans, acris, qui tamen gummi acaciæ veræ addito obtunditur. Secundum experimenta Cl. Pelletier centum partes radicis Ipecacuanhæ fuscæ constant ex: cerini 6 partibus, materiæ pinguis 2, gummi 10, amyli 42, lignini 20, et Emetinæ 16; quatuor autem reliquæ partes inter operationem perditæ fuere. *Emetina* vel omnem radici efficaciam concedit, estque substantia peculiaris, ex extracto Ipecacuanhæ obtenta, alcaloidea, alba, amaricans, alcohole facile, tardius æthere, ægre autem aqua solubilis; aëre immutabilis; colorem tincturæ heliotropii ab acidis rubefactum restituit, acidis combinata salia format, infuso gallarum decomponenda, unde patet acidum tannicum (principium scytodepsicum) optimum Ipecacuanhæ antidotum esse.

Recordamini characteris descripti, ubi e re est Cephaëlidis Ipecacuanhæ radicem (fuscam) ab aliis bene multis discernere emeticis radicibus, e quibus notari merentur: a) Ipecacuanha nigra seu striata (radix Psychotriæ emeticæ) externe fusca ad nigrum vergens et pulverulenta, interne subflava, filo (duramine) crassiore prædita; b) I. alba (radix Jonidii seu Violæ Ipecacuanhæ) lignosa, rugosa, radicem saponariæ aliquantum æmulans, externa superficie cinereo-fusca, intus flavescens; c) I. undulata, farinosa seu amylacea (radix Richardsoniæ scabræ et emeticæ) crassior, flexilis, minus incurva, externo cortice griseo subfusco, transversim sectili, interne albida; sapore vix amaro. Multæ adhuc citantur emeticæ radices venali interdum admixtæ, quibus tamen, Emetinæ penuria, omnis laus derogatur. Ex enumeratis vero fusca, Emetina reliquis ditior, indubiam palmam meretur; tandem nigra seu striata sequitur, et tunc aliæ.

V. Generatim stimulans; excitans nervum vagum, sympathicum et systema capillare. Refracta dosi bonum est stomachicum remedium, organis digestioni inservientibus energiam et tonum impertiens, pepticum; largiori dosi antispasmodicum, sudoriferum, expectorans, nauseosum; plena tandem dosi eximium est emeticum, mere stomachum evacuans, non tamen universo organismo molestum, nec ut stibiata et alia quædam debilitans, nec stomachi membranam lædens, nec, ut tartarus emeticus, alvum ciens. Connubio cujuslibet cathartici vis ejus emetica intenditur; adstringentibus vero vegetabilibus destruitur. Irwin triginta granis Ipecacuanhæ cum duabus aceti unciis alvum duxit.

U. Refracta dosi dyspepsiam et anorexiam curat stimulo organis digestionis addito. In spasticis tubi alimentaris et organorum pectoris adfectionibus eximium effectum præstat adeo, ut cardialgia, colica, ileus, pertussis etc. haud raro adminiculo ejus prorsus sanentur. Nec non hypochondriasi, hysteriæ, melancholiæ, maniæ et epilepsiæ fructum aliquando pollicetur; neque parum diarrhœæ, imprimis habituali et dysenteriæ, cui inflammatorius character deest, hæmorrhagiis cohibendis multifariis, catameniorum aut hæmorrhoidum nimio fluxui, medicamen efficax; in metrorrhagia quoque et hæmoptysi, per se vel cum acetate plumbi (utriusque granum integrum) valens. Qua diaphoreticum, irritationem centralem ad peripheriam determinando, pharyngitidi, laryngitidi, tracheitidi, cynanchi tonsillari commode obponitur; exanthematibus quoque, ubi subito disparuere, revocandis perutilis. Expectorante ac simul diaphoretica virtute catarrho protracto, tussi catarrhali, sputa levando eaque præter morem copiosa moderando, arthritidi, et rheumatismo

acuto medetur, nec non hydropisi, a torpida vasorum absorbentium adfectione oriundæ, respondet Ipecacuanha, opio, salibus neutris, aliisque pro re nata nupta. Plena dosi exhibita, vomitus ciendi scopo, febrim continuam et gastricam incipientem impedit, et generatim ubivis, dum ventriculus evacuandus et systemati vasorum absorbentium energia impertienda, imo infantibus tenellis quadrans. Commovendo totum systema nervosum, successivum ordinem symptomatum paroxysmi perturbat, eumque, stadium sudoris accelerando, contrahit. Hæmorrhagia passiva, encephalitis, hernia suspicata, typhus in ultimo præsertim stadio, et quælibet typhodes febris Ipecacuanhæ administrationi obstant. Vis ejus tartaro emetico intenditur, opio moderatur atque ad cutim dirigitur, adstringentibus vero, acidum tannicum quibus inest, plane tollitur.

D. Refracta dosi, scilicet octava, quarta vel dimidia pars grani, cum aliis antispasmodicis, quavis secunda hora exhibetur. Scopo diaphoretico dimidia pars grani, ad integrum, eadem ratione datur. Ad vomitum excitandum quindecim grana vel scrupulus, interdum grano tartratis stibii et potasse nubitur. Emetina pura a quarta grani parte porrigitur ad grani dimidium; impura vero, in squamulis fusco-rubris adparens, a duobus granis ad quatuor, in duabus aquæ unciis soluta. Hac dosi ventriculus commode exinanitur.

JUGLANS REGIA.

Орѣшина Волоская или Грецкая.

Arbos in Persia et Syria spontanea; viget cultura in australi Ruthenia, ut in Chersoneso Taurica, circa Aluschtam, Alupkam, in Iberia, in Astrachanensi pro-

vincia, et circa Mare Hircanum; Kioviæ etiam, Sanfati (Bohuslaviæ) et alibi in hortis colitur. Cl. Monœc. O. Polyandr. O. N. Juglandeæ. Arborea. *Usualia sunt:*

CORTEX VIRIDIS FRUCTUS IMMATURI *(Putamina nucum Juglandis)*; NUCLEI fructus maturi; OLEUM Juglandinum. Olim cortex interior ligni, radix, folia et amenta. Mense Junio colligenda.

Q. Sapor corticis exterioris fructuum immaturorum recentium acris et teter est; siccatorum blandior, amaro-austerus et balsamicus, secundum BRACONNOT ab extractivo amaro peculiari, scytodepsico, particulis acidis et salinis dependens; nucleorum grate dulcis, oleosus. Folia habent proprium penetrantem odorem, caput gravantem; saporis amaro-adstringentis ingrati.

V. Putaminum: adstringens; tonica; febrifuga; anthelminthica. Nucleorum: nutriens; involvens; largius comestorum laxans et labefaciens ventriculum.

U. Putamina, in aqua decocta, in fœditatibus cutis non inefficax remedium. Anthelminthicam ejusdem decocti virtutem, quam ad lumbricos pellendos imprimis extollit PLATNERUS, experientia confirmatam persæpe vidimus (immissi huic vermes intestinales, pauca intra minuta, sub motibus spasticis pereunt); SIMEON SETH, dudum jam notavit, virides nuces Juglandis regiæ ad satietatem comestas, lumbricos educere. Hæc itaque ansam dedere ex immaturis fructibus extracto aquoso parando, cujus drachma in uncia aquæ corticis l. cinnamomi soluta remedium efficax sistit ad vermes enecandos; infantibus biennibus vel triennibus guttæ 20—30 ter de die datæ, guttæ vero 40—50 provectiori ætati conveniunt. Addito syrupo simplici vel melle solutio gratior redditur. Sub usu, decrescente luna, spatio sex vel octo dierum continuato, catharticon mercuriale

subjungitur (Murray). E succo nucum viridium expresso cum saccharo aut melle Roob conficitur, quod insignem vim præstat in angina, tumore tonsillarum, aphthis, aliisque oris ulceribus, addita idonea quantitate biboratis sodæ vel acidi nitrici diluti; ope penicilli illinitur, vel infuso salviæ admistum loco gargarismatis adhibetur. Fructus immaturi, servato putamine, saccharo et aromatibus conditi, stomachicum gratum suppeditant; nuclei pari modo confecti esitantur. Memoriæ Hippocrates prodidit, nuces Juglandis, largius comestas lumbricos tæniasque latas pellere. Eundem effectum et Andry adnotavit, superbibito vino Alicantino, quod pariter infestat vermes et vires ventriculi sustentat. Folia cautim siccata et in pulverem trita inter anthelminthica referuntur; recentia vero contusa ambusturis apte admoventur; succus ex iisdem expressus podagricis prodest, si loco dolenti adplicatur (Boerhaave). Cortex arboris medianus et amentum, tempore, quo illa plurimo scatent succo, collecta et siccata, vomitum excitant; scopo vomificio olim drachma pro dosi porrigebatur. Epidermis nucleum obvestiens ad drachmam cum vino vel aqua aromatica laudatur qua domesticum remedium adversus enterodyniam flatulentam. Frustra quondam cum aliis quæsivimus in Juglande remedium syphilidi curandæ adcommodatum; satius enim est varia decocta composita, a Pollini aliisque celebrata, in sequelis syphilidis, vel in morbis ex inepta hydrargyri administratione oriundis tentare. Non est tamen cur negemus, decoctum concentratum corticis et putaminis siccati, ulceribus syphiliticis, herpeticis, scorbuticis, aliisque laxis et saniosis, lintei carpti ope sæpius madefacti admotum, eadem purificare et consolidare posse. Hoc scopo Cl. Osiander

adhibuit etiam extractum in aqua solutum, et pro gargarismate, ad consolidanda ulcera faucium syphilitica, infusum salviæ cum eodem extracto et aliquot granis bichloridi hydrargyri.

D. Decoctum cochleatim præbetur aliquoties per diem. Extracti grana viginti ad triginta; pro usu externo semuncia in selibra aquæ solvitur.

JUNIPERUS COMMUNIS.

Можжевельникъ обыкновенный; Верескъ.

Frutex in acclivibus exsuccis, aridisque Europæ præcipue septentrionalis germinans, semper virens, hinc inde ad arboris altitudinem emergens ita, ut nonnunquam quindecim pedes adsequatur et exæquet, foliis ternis, patentibus, mucronatis, bacca longioribus. Cl. Diœcia. O. Monadelphia. O. N. Coniferæ. *Usualia sunt:*

1) Lignum tam trunci et ramorum, quam radicis, cortice cinereo circumdatum, ad circumferentiam album, medullam versus ex albo-flavescens, aut rutilans, compactum, ponderosum. Lignum fagi silvaticæ, oleo Juniperi communis illitum, substitui, Liphart testatur.

2) Baccæ (*Можжевеловыя ягоды*), seu fructus baccati, integri, maturi, globosi, splendidi, nigricantes, in pulpa viscida tria includentes semina dura, tota prima æstate virides, et bienni tantum spatio maturescentes; hinc non prius, quam illo tempore elapso colligendi, tunc enim præstantiori pollent virtute.

Q. Baccæ præter saccharinam, materia quoque resinosa cum oleo volatili, præditæ sunt; odor earundem aromaticus, peculiaris balsamicus, fragrans; sapor subdulcis, subacris et resinosus. Destillatione oleum sub-

viride præbent, oleo terebinthinæ analogum; virtute tamen ei cedens. Lignum et summitates, excepta materia saccharina, nullo fere baccarum principio destituta sunt, odor eorum et sapor idem, sed debilior. In corticis et ligni interstitiis invenitur interdum substantia resinosa, quæ resina Juniperi, vernix seu sandaraca Germanica olim vocabatur, a sandaraca vera omnino diversa.

V. Omnes partes Juniperi, præcipue autem baccæ, qualitate gaudent leniter excitante, tonica, peptica, stimulante actionem systematis vascularis et sudorem movente; sed imprimis virtute diuretica excellunt, namque particulæ balsamicæ et resinosæ ad renes vix mutatæ transeunt, eosque immediate adficiunt; unde pendet, quod lotium ex Juniperi usu odorem violarum adipiscatur.

U. Qua remedium aromate pollens, atoniæ systematis reproductivi opponitur, imprimis si malum a prava digestione originem ducat. Ubi actio cutanea adaugenda indicatur, vel urinæ secretio promovenda, prodest Juniperus, et in rheumaticis, arthriticis et catarrhalibus adfectionibus morbisque cutaneis chronicis, imo contra mucosum fluxum genitalium cum successu adhibetur. Jam pridem in hydropicis adfectionibus magni æstimabatur (Helmontius), nec nostris temporibus vilipenditur, propter vim suam diureticam, potius tamen qua aliorum, e. g. herbæ digitalis vel radicis squillæ maritimæ adjuvans, hydropisi subvenit; nec minus in atonia renum et sabuli productione commendatur. Cutis post scarlatinam inflata, et in rachiticis flaccida, utiliter fricatur panno, qui fumum ex baccis Juniperi, prunis inspersis, excepit. Bilibra baccarum balneis aromaticis non male additur. Laudatur

etiam in scorbuto; oleum autem contra animalia interaneorum valet. Suffitus non tam ad corrigendum aërem, quam ad graveolentiam valetudinariorum, ubi opus fuerit, obtundendam, vulgatissimus. Hominibus admodum irritabilibus et plethoricis vix conducit internus usus hujus remedii propter ejus nimis excitantem virtutem. Ex abusu ejus nonnunquam urina et excretiones alvi sanguineæ observatæ sunt.

D. Lignum præscribitur rasum in infusione, aut leni decocto, a duabus drachmis ad unciam. Baccæ dantur siccæ in pulvere a scrupulo ad duos; sed plerumque ex baccarum prius contusarum drachma, semuncia, imo integra uncia, paratur infusum cum aquæ vel vini selibra, vel libra, cochleatim vel vasculatim propinandum. Olei guttæ duæ ad decem porriguntur. Extrinsecus baccæ non tantum suffiendis valetudinariis aptæ, sed etiam fomentis, cataplasmatibusque uniuntur commode. A quibusdam lignum radicis, trunci ligno, minus odorario, præfertur, imo pro succedaneo ligni sassafras habetur.

JUNIPERUS SABINA.

Можжевельникъ донской; Сабина.

Frutex sempervirens, trium pedum altitudinem vix excedens, cortice fusco obvolutus et ramis numerosis abundans, in Europa australi, et imprimis insulis Archipelagi spontaneus, in nostris etiam hortis plerumque cultus. Cl. Diœcia. O. Monadelphia. O. N. Coniferæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, opposita, obtusa, medio glandulosa, quadrifariam imbricata, tenella, acuta, mense Aprili colligenda et in cistis densis servanda.

Q. Sapor resinoso-amarus, acris, urens; odor valde fortis nauseosus; uterque a copioso oleo volatili dependens, quod ex omnibus plantæ partibus ope destillationis cum aqua obtineri potest.

V. Stimulans; diaphoretica; diuretica; menagoga; anthelminthica; corrodens.

U. In uterum peculiarem manifestat vim excitantem sicut secale cornutum, minori tamen gradu. Plurimis observationibus constat, scelestas mulierculas decocto foliorum Juniperi Sabinæ abortum sibi excitasse. Laudatur in dysmenorrhœa, a torpore uteri vasculari et muscularis fibræ orta, et in omnibus fere uteri morbis atoniæ notas ferentibus, sine febre; sic utilem se præstat in debilitate uteri, abnormi secretione atque laxo interdum tumore stipata, post frequentia puerperia abortusque, aut irregularem menstruorum fluxum, superstite, quem in finem injicitur decoctum in vaginam, aut abdomen eodem fovetur; ita etiam valet in menorrhagia et metrorrhagia cachectica, ubi sub atonico corporis statu, menstruorum nimius est fluxus, sanguisque male olet. In leucorrhœa, tam interno usu, quam extrinsecus injectionis forma profuit. In myodynia rheumatica atoniæ notam eo gradu, ut ad paralysin accederet, ferente, imo etiam, ut quibusdam placet, syphiliticæ indolis, pulvis foliorum, a granis decem ter de die porrectus, juvit. In arthrodynia, præsertim vero podagra inveterata, tumoribus ossium, contractura, anchylosibus, vel per se sumitur, vel in connubio camphoræ, sulphuris, polysulphureti stibii etc.; et præterea partes morbidæ in tepefacta decoctione lavantur, aut tela eadem humefacta iisdem superdatur. Oleum quoque alcohole solutum, non male iisdem infricatur;

nec in odontalgia nervosæ indolis spernendum est remedium. Secretioni etiam corrigendæ par est, hinc efficaciam exerit in ulceribus malignis, putridis, phagedænicis, scorbuticis, imo in psora, herpetibus, tinea etc. Hunc in finem adhibetur infusum pro lotione, vel admovetur pulvis melli admistus, vel fit cataplasma cum ruta, alcohole camphorato, etc. Pulvis inspersus, cariem ossium subegit. In spina ventosa non venerea, cum interno congruorum usu, adplicationem saturatioris decocti conjungere solitus fuit Werlhof; similem efficaciam in exostosi e fortiori infuso, extrinsecus adhibito, expertus est Hoffmann. Decoctum vel contusa herba admota abdomini, vermes expulit, adversus quos succi expressi cochlear cum lacte mixtum et saccharo edulcatum, pariter efficax fuit. Corrodens pulveris admoti vis in destruendis verrucis porrisve syphiliticis, aut carne supercrescente, jam antiquitus celebrata, haud secus ac idem in unguento pro fonticulis adhibetur. Remedium est efficax, sed febrili tumultui, variisque aliis nervorum turbis alienum.

D. Folia exhibentur in substantia a granis quinque ad decem, usque ad semidrachmam, ter de die, sed non facile pulverata, nam ut in pulverem redigi queant, siccanda sunt adeo, ut volatili oleo priventur. Conserva ideo præfertur, e foliis recentibus cum æquali sacchari portione parata, quæ cum s. q. syrupi corticis fructus citri aurantii, per modum electuarii aut boli datur, vel uncia concisorum foliorum, in aquæ libra, vase clauso, leni igne ad dimidias partes coquitur, et addita colaturæ syrupi uncia, secunda quaque hora cochleatim sumitur. Olei gutta ad tres vel quatuor cum saccharo dantur. Pro infuso, ad colaturam unciarum sex, drachma vel duæ sumuntur; tale omni bihorio cochleatim propinatur.

KINO.

Gummi Gambiense.

Кино.

Sub hoc nomine prostat substantia peculiaris adstringens ex arboribus, nondum rite descriptis, obtenta. Verisimiliter succus est e cortice stillans et a solis tepore solidam induens formam; quidam vero extractum esse putant. Ex India Orientali et quidem insulis Moluccensibus (Amboyna), nec non Africa interiori ad nos importatur. Duncan tres ejus enumerat varietates, quarum prima frustulorum forma prostat nigrescentium, quæ difficulter pulverantur, saporem habent leviter adstringentem, sed nullum odorem; a Butea frondosa hæc provenit. In frustis majoribus altera venditur, badiis, in fractura resinosis, saporis ab initio aciduli, qui in stypticum abit, ex dulci-amarum; Cocoloba uvifera hanc largitur. Tertia quisquiliis variis intermixta, fusco-rubra, ex Australia transmittitur, ubi ex Eucalypti variis speciebus, imprimis vero Eucalypto resinifera obtineri creditur. Mungo Park ex Senegal (Africæ) speciem transmisit peculiarem, quæ e Pterocarpo Erynacea originem ducit, Hunter vero extractum e Nauclea Gambir Kino verum esse putat.

Q. In principio scytodepsico acidulo residens, cui pars gummi admista est. In aqua frigida Kino parum solvitur, longe autem facilius in aqua calida, nonnisi parva ejus parte insolubili manente. Hæc solutio est acidula, et tingit colore rubro tincturam heliotropii. Alcohol, præcipue calefactum, facit solutionem fusco-bruneam, quam addita aqua nonnihil turbat, sed tamen nullum producit sedimentum. In solutionibus potassæ et ammoniæ solutum Kino qualitate adstringente plane

spoliatur; aqua addita, nullum exinde sequitur sedimentum. Tinctura et infusum Kino decomponitur ichthyocolla, sulphate ferri, nitrate argenti, bichlorido hydrargyri, acetate plumbi, tartrate stibii et potassæ, alcalibus et acidis fortioribus, multisque aliis salibus metallicis, quæque adeo insociabilia putanda sunt.

V. Valde adstringens; antiseptica; roborans; crispans musculares fibras.

U. Commendatum et adhibitum intrinsecus in atonico canalis intestinalis statu; ita in habitualibus diarrhœis, dysenteriis, lienteria, fluxu cœliaco (Fothergill). Pro alvi tamen fluxu compescendo nunquam ad Kino confugiendum esse putamus; si vero adstringentibus opus sit, catechu et extractum tormentillæ huic præferenda sunt. Propinabatur etiam Kino interne in abnormi secretione viarum uriniferarum, blennorrhœa, leucorrhœa, diabete, non minus ac in passivis hæmorrhagiis, præcipue hæmorrhagia uteri chronica et catameniis, plus æquo profluentibus (Fothergill, Cullen); præterea usitatum erat ad febres intermittentes propulsandas; sed vix exinde fructum aliquem perceptum fuisse, fatendum est.

Extrinsecus injectione, soluto Kino in aqua simplici vel calcariæ, ulceribus saniosis medetur; imo etiam sanguifluxum, et blennorrhœam sistit. Præterea intrat compositionem pulveris dentifricii contra flaccidas gingivas in scorbuticis.

D. Pulveris a granis decem ad semidrachmam, vel in emulsione ex. gr. cum gummi Arabico et quapiam aromatica aqua. Tincturæ drachma. Infusi uncia ad sesquiunciam exhibetur. In forma pilularum combinatur cum extractis amaris, gummiresinis etc.

KRAMERIA TRIANDRA.

Крамерія Американская; Ратановое деревцо.

Frutex in declivibus et aridis locis regni Peruviani, et quidem provinciarum Huanuco, Tarma, Canta, Xauxa, Caxtambo, Huamalies et Guancabunba, copiosissime autem prope urbem Huanuco crescens. Haud absimilis est huic Krameria Ixina L., Antillarum indigena. Cl. Tetrandria. O. Monogyn. O. N. Polygaleæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix *(Radix Rhataniæ)* horizontalis, longitudine ab uno ad tres pedes, crassitie digiti minimi et ultra, ramosissima, teres, cortice extrinsecus nigricante, sulcato, intus rubro, tecta, in centro ex substantia lignosa inerte constans. Radices pluviis cessantibus colliguntur et pro usu medico tenuiores seliguntur, quippe quæ crassiori cortice præditæ sunt. Nuper Giesber novam Rhataniæ radicem invenit, griseo cortice distinctam, quam nonnulli Krameriæ argenteæ Mart. vel Krameriæ lineari Ruiz adscribere volunt.

Q. Saporis est amari, austeri, styptici permanentis, odoris haud ingrati, terrestribus exhalationibus similis, qui præsertim sub coctione evolvitur. Infusum ejus aquosum concentratum tincturam heliotropii rubro colore tingit; addito sulphate ferri sedimentum ex nigro-griseum deponit, quo facto, liquor pedetentim colore cœrulescente - nigro inficitur. Ex alcoholico ejus extracto in aqua soluto, addita potassa caustica, substantia peculiaris separatur fusco-nigra, tenax, valde colorans, aqua citissime solubilis, minime vero alcohole et æthere sulphurico. Trommsdorff, Gmelin et Vogel, qui radici huic chemice inquirendæ operam dederunt, eadem fere obtinuere producta. E Trommsdorffii analysi,

qui puram corticalem radicis partem hoc consilio adhibuit, patet, substantiam hanc materie solubili ditissimam esse ita, ut hæc fere $\frac{5}{6}$ totius ponderis constituat. Prævalens ejus constitutiva pars est principium scytodepsicum peculiare, aqua fervida et adhuc lubentius alcohole et æthere solubile. Gummosa pars, quæ radici inest, vix ullius capax est efficacitatis; resina vero et albumen plane desunt radici. PESCHIER serius detexit in radice acidum peculiare, acidum Kramericum vel Rhataniæ ab ipso nuncupatum, in crystallos nonnunquam coiens prismaticas, stypticum, saporis acidi, cum alcalibus formans salia crystallisabilia. 150 grana extracti Rhataniæ, analysi subjecta, principii scytodepsici 64,0 dederunt, acidi gallici 0,5, materiæ extractivæ, gummosæ et colorantis 85,0, acidi Kramerici 0,5.

V. Experimenta Dris REECE, RUIZ aliorumque docent, radicem Rhataniæ haud parum cinchonæ virtutem æmulari, imo huic adstringente principio antecellere. Præcipua pollet vi partium solidarum laxitatem corrigendi, tonica, roborante, adstrictoria.

U. In universum languori seu atoniæ systematis nervosi subvenit, sæpe cinchona efficacius. Adstringente qualitate bistortam, catechu et Kino superat aliaque hujus prosapiæ. Specifica ejus efficacia in sistenda metrorrhagia chronica jam dudum celebratur, innumeris probata experimentis; nec minorem ejus effectum experti sunt multi Medicorum in aliis passivis hæmorrhagiis, e. g. ex ventriculo, pectore, naribus etc. Pari adminiculo est diarrhœæ, profluviis mucosis, pollutionibus, leucorrhœæ, sudoribus nimiis, et id genus aliis. Dyspepsiam sæpius curavit et gastrodyniam,

vertigine et capitis dolore stipatas. Rheumatismo etiam chronico occurrit, nec non febribus intermittentibus. Pulvis radicis cum carbone depurato commixtus, præstat dentifricium, contra laxitatem gingivarum præstantissimum. In aliis quoque malis topicis, puta: ulceribus scorbuticis, putescentibus, impuris etc. vel fomentum vel pulvis commendatur.

D. Radicis semuncia cum aquæ selibra infunditur, et sic exhibetur. Inhibita hæmorrhagia, sufficit ad perfectam sanationem, duobus sequentibus diebus dosin dimidiam porrigere. Tinctura, ad instar tinct. cinchon. comp. paranda, datur dosi 20 — 80 guttarum. Extractum a scrupulo ad duos ter quaterve in die propinatur.

LAC.

Молоко.

Secretum animale, quod e mammis vel uberibus mammalium emulgi solet, liquorem exhibens album, cœruleo quasi colore tinctum; vix ullo odore, sapore autem valde miti, dulciculo, accepto, præditum. A chylo originem petens, ejus adumbrat naturam, ratione animantium, ætatis, constitutionis, valetudinis, anni temporum et alimentorum plus minus diversam. Tantum vero abest, ut omnes lactis varietates fusius pertractandas suscipiam, ut potius, libri manualis volumine et scopo ejusdem constrictus, notas earum characteristicas, medico vel culinari usui profuturas, paucis exponendas adgrediar.

1) Lac humanum, ex cœruleo-album, consistentia et saporis dulcedine reliquis præstat, majorem enim sacchari continet quantitatem. Pondus ejus specificum

est 1,025 ad 1,029. Præ cæteris ea peculiari gaudet qualitate, quod lactis coagulo ei addito in grumos minime coeat, nisi ad temperaturam + 30° R. Bonum Lac semidiaphanum est, sapore dulci, odoris autem plane expers. Guttula ejus ungui instillata, per aliquod tempus integra ei quasi adhæret, convexam servando figuram; superficie vero unguis inclinata versus latera, cito decidit, ergo nec aquosum est, nex nimis tenax; si vero gutta ejus poculo immittatur aqua repleto, nebulam refert lente solubilem. Ad humanum Lac prope accedit asininum et equinum.

2) L. asininum, colore ex flavo albo, florum lactis penuria et casei seu coagulabilis substantiæ ubertate distinguitur. Gravitas ejus specifica = 1,023.

3) L. equinum tenue est, parvam sacchari, parcissimam florum dat copiam, e quibus vix ullum obtinetur butyrum. Facultas, fermentationem spirituosam subeundi, quin prius acescat, soli Lacti equino propria est.

4) L. vaccinum prægressis densius est, omnibus præter humanum sapore antecellit grato, butyro ditius, aqua nonnihil gravius est, et mox emulctum tincturam heliotropii rubro inficit colore.

5) L. caprinum albedine ac densitate reliquas Lactis species superat, caseo et butyro abundat, sed hircum nonnihil olet; saporis est dulciculi. Pondus ejus specificum = 1,036.

Quieti expositum Lac in tres separatur partes: butyraceam (flores seu cremor lactis), caseosam et serosam. Auxiliante leni tepore ad syrupi consistentiam evaporatum et refrigeratum, sal præbet album crystallinum, *Saccharum Lactis* dictum, quod actione acidi nitrici

in acidum saccharo-lacteum mutatur. Secundum analysin, a multis institutam, Lac constat: aqua, butyro, saccharo lactis, acido lactico, chlorido potassii, acetate potassæ, phosphate potassæ, phosphate calcariæ, ferri vestigiis et materia caseosa. Hanc ultimam SCHEELE pro principio peculiari, seu proxima Lactis parte constituente, habuit vocavitque Caseinum. CHEVREUL nuper acidum peculiare in lacte se invenisse arbitratus est, cui acidi butyracei nomen indidit. Secundum SCHÜBLER substantia quædam lacti inest peculiaris, sevum sapiens, Zieger (Germanice) nuncupata, cum acido acetico album gelatinosum formans præcipitatum.

V. Lactis, sacchari ejusdem et butyri: nutriens; obvolvens; emolliens; relaxans. Seri Lactis et Lactis ebutyrati: attenuans; diluens; resolvens; antiseptica.

U. Lac propter nutritoriam qualitatem, qua gelatinam et amylum adæquare existimatur, et propter facilem concoctionem in ventriculo, variasque medicas virtutes, ubivis creberrime usurpatur. Junioribus imprimis convenit; apud homines autem adultos, lautiori diætæ, aromaticis aliisque adsuetos alimentis, dyspepsiam, atoniam ventriculi aliaque incommoda provocare solet. Puerulis humanum Lac præ aliis convenit; si vero vaccinum adhibere expediat, aqua diluendum est, ne caseo et butyro, quibus scatet, torminibus ansam præbeat; vel huic apte substituitur jusculum pulli gallinacei tenue vel carnis vitulinæ, vel etiam gelatina cornu cervi cum saccharo et Lacte vaccino confecta, quæ infantibus aptissimum suppeditat nutrimentum, imo Lac feminæ æmulatur. Pro re nata Lac cum aquis chalybeatis, aqua bicarbonatis sodæ et a. calcariæ jungitur, quarum duabus postremis acor

ventriculi præcavetur. Avertendæ gratia constipationis idem vel cum saccharo crudo, vel magnesia, dari potest. In universum in febribus cum vel sine eruptione pustularum, scrofulosis, rachiticis, hypochondriacis, plethoricis, phlegmaticis, succiplenis, aut hominibus vino addictis, raro conducit. Usus Lactis internus est amplissimus, præcipue in iis casibus, ubi fractis ventriculi viribus blando nutrimento opus est; hinc vis ejusdem salutaris conspicua est in phlogosi lenta pulmonum, hæmoptysi, tussi sicca, tabe, hydrope, suppuratione organorum internorum, emaciatione, morbis viarum urinariarum etc. Antiquis temporibus Medici solebant Lac propinare in morbis acutis, tertia parte aquæ dilutum, quod hydrogala vocabatur. Sydenham huic potui multum tribuebat in variola debellanda. Orfila expertus est, Lac multis venenis corrosivis involvendis, imo decomponendis, inservire posse, zinci nempe et bismuthi præparatis, cantharidibus, camphoræ, nec minus arsenici, cupri et plumbi præparatorum acrimoniam mitigare.

Extrinsecus Lac applicatur tumoribus inflammatoriis et superficiei membranarum mucosarum, irritatione adfectarum. In clysmate adhibetur ad minuendam intestinorum phlogosin et pacandas hæmorrhoides; forma gargarismatis juvat in angina etc. Forma fomentationis vel lotionis Lac adjuvat curam variarum specierum herpetis et ulcerum dolentium.

Lac ebutyratum *(Пахтанье)* commendatur in morbis chronicis, ex adfectione hepatis et venæ portarum prodeuntibus, puta: hæmorrhoidibus, vomitu cruento etc. magnamque exserit efficaciam in phthisi mitiganda.

Serum Lactis *(Сывоpотка)* solvente virtute prodest in morbis chronicis abdominis, præcipue ubi functio canalis intestinalis, hepatis et lienis torpida est, eorumque secretiones et excretiones promovendæ sunt. Commendatur etiam a quibusdam in protractis catarrhis, in hæmoptysi, hæmorrhoide, nec non infarctu glandularum mesentericarum. Etsi non tam facile, ut Lac, in ventriculo acescat, ob magnam tamen fluidi copiam, sæpe interanea haud parum relaxat, variaque inde dependentia mala producit, ad quæ prævertenda non male adduntur eidem frustula quædam corticis c. aurantii. Interdum eo variæ plantæ infunduntur, puta sisymbrium nasturtium, leontodon taraxacum, cichorium intybus et similia, ac si temporis ratio fert, succus quoque ex hisce plantis expressus, apte additur adversus obstructiones viscerum abdominalium.

Saccharum Lactis idem promittit, quod serum (naturalis sacchari hujus solutio); notare tamen expedit, hoc cacostomachis magis convenire, dum aquæ superflua debet evitari quantitas. Sacch. Lac. aqua solutum, cum tantillo succi citri et sacchari albi, gratam constituit potionem in febribus.

Butyrum insulsum, intrinsecus adhibetur ad obtundenda et involvenda venena acria metallica, deglutita. In tenesmo, dysenteria et aliis in casibus, ubi satius est clysterem injectum per aliquod tempus in intestino recto hærere, præstat vegetabilibus oleis. Externe ad varios usus, parandaque unguenta inservit.

A permultis Rossiæ incolis variæ potiones e Lacte parantur, tum çulinari, tum medico usui aptæ; huc pertinent:

1) Kumis *(Кумысъ)*, apud Kirgisos, Kalmucos Tartarosque frequentissimum, quod e lacte equino recenti,

in saccis coriaceis conquassato, fermentationis ope obtinetur. Salubrem ejus potentiam in morbis pectoris chronicis multoties observandi occasionem habui. Laudatur etiam Kumis in tabe, ex abusu veneris et onania, in exulcerationibus syphiliticis, scrofulosis, arthriticis et herpeticis, nec minus in atrophia infantum et chlorosi. Usus hujus potulenti ita instituitur, ut primo die omni semihora dimidium poculum sumatur, dein usque ad poculum dosis adaugeatur, facta intermissione tempore prandii et cœnæ. Ad præpediendam diarrhœam, exinde oriundam, Kumis jungitur sæpe cum aqua calcariæ. 2) Araka *(Арака)*, potus inebrians, Kalmucis usualis, e lacte vaccino ita parabilis, ut hoc ebullitum, lactis acidi tantillo addito, per dies aliquot acescat, et aqua adfusa conquassatum, simplici destillationi subjiciatur. 3) Arian *(Арьянъ)*, potus acidus, poscæ loco adhibitus, est serum lactis, alibi lac acidum. Krut, Tanaitis usualis, caseus est acidus et durissimus.

D. Dosis Lactis pro ratione morbi, aliarumque concurrentium rerum, variat. Serum Lactis solum a selibra ad sesquilibram, vel etiam tres libras præscribitur interdum ut excipiens, vel ut constituens, in quarundam potionum, aliorumque remediorum præparatione. Sacchari Lactis in pulvere drachma, ter quaterve de die, vel uncia in selibra, aut libra aquæ fervidæ soluta de die.

LACTUCA SATIVA. Lin.

Латукъ; Салатъ обыкновенный.

Planta lactiflua herbacea, caule ramoso, foliis appropinquatis, oblongo-ovatis, glabris, ubique locorum

Europæ abundanter in hortis oleraceis culta. Cl. Syngenesia. O. Polygamia æqualis. O. N. Synanthereæ. Cichoraceæ. Annua. *Usuale est:*

Lactucarium *(Succus spissatus Lactucæ sativæ)* substantia peculiaris fusca, duriuscula, fragilis, odoris nidorosi, saporis valde amari, a Cl. Duncan, seniore, meo quondam beatæ memoriæ præceptore, ut subrogatum opii, in usum medicum ducta. Ad parandum Lactucarium sequens methodus habetur optima: summitates florescentes sic rescinduntur, ut caulis pedem circiter altus maneat, et succus lacteus exsudans spongia madida excipitur, qua expressa vase idoneo colligitur. Quum vero superficies caulis rescissa cito exarescat et nullum amplius succum largiatur, ille denuo rescinditur, quod tamdiu iteratur, donec recens scissa superficies succum refert. Hicce operandi modus bis terve in die repeti potest. Succus in vasis planis sub influxu solitæ temperaturæ quietus relinquitur, donec omnis humor sponte evaporetur. Massa remanens *Lactucarium purissimum* seu *genuinum* vocatur, eximia medica virtute pollens. Siccum, tenax est, leve, consistentia ceram paulisper excedens, eaque gummi-resinis haud absimili. Aëri expositum, duram servat consistentiam, nec mollius fit, nisi diutius digitis depsitum. Odorem opii æmulari videtur, quo tamen jucundius est; sapore intense-amaro haud plane insuavi gaudet. In æthere solvitur totum, parcius in alcohole, cum aqua vero exigua solummodo quantitas ejus mixtionem init ita, ut fere tertia residua pars vasis parietibus adhæreat. Nondum exacte a Chemicis investigatæ sunt Lactucarii partes constitutivæ; ex analysibus vero (a John et aliis) hucusque institutis patet, præter massam substantiæ cautschuc similem, mucilaginem et parvam

copiam resinæ peculiaris, Lactucario inesse; principium extractivum amarum et substantias quasdam salinas cum acidis sulphurico, hydrochlorico et forsan phosphorico.

Observatione constat, Lactucam sativam imprimis lacteo scatere succo, ubi planta jam plenos induerit flores; isque præsertim hæret in foliis et cortice trunci. Hac experientia Probart edoctus, sequentem proposuit Lactucarii parandi methodum: cortex et folia, maturitatem assecuta, per 24 horarum spatium in aqua macerantur, foliis junioribus et substantia medullari rejectis; infusum colatur absque pressione violenta, et liquor evaporandus solito exponitur tepori. Hac ratione paratum Lactucarium, extractum Lactucæ concentratum a Probart dictum, iisdem qualitatibus pollet, et paulo majori dosi porrectum, eandem, quam genuinum, exercet in organismum actionem. Displicuit tamen Franco-Gallis penuria Lactucarii, magno emendi pretio; excogitavit igitur Caventou novam viam, qua majorem ejus copiam extricare posset. Ante florescentiæ tempus, frondibus foliisque demtis, caulem leviter contundere docet, ut succus, tali ratione expressus et filtratus sub temperatura $+ 24°$ ad $28°$ R. in balneo mariæ evaporetur, donec congruam spissitudinem adipiscatur. Extractum hoc, *Lactucarium Parisiense s. Thridacium* dicitur, idque qualitatibus genuino longe inferius est. Massam refert duram, in fractura splendidam, in aëre diffluentem, in aqua plane solubilem ad instar cujusvis extracti; odore præditum est grato fragrante, sapore blando, postmodum in amariusculum abeunte. Materia substantiæ cautschuc (resina elastica) simili et resina pauperius est, majorem vero quantitatem principii extractivi et salium largitur.

V. Vetustissimis jam temporibus nota fuit virtus Lactucæ sativæ somnifera. In systema nerveum agendo, deprimit actionem ejus præter morem exaltatam, nimis vero depressæ tonum quendam impertit ita, ut somnus ægroto concilietur, quin ulla irritatio localis, aliarum functionum læsio, pruritus cutis, cæteraque narcoticorum incommoda usum ejus subsequantur. E multifariis constat experimentis, actionem ejus præsertim ad periphæriam terminari, etsi ex pupilla dilatata, visu obnubilo et capitis vertigine, quondam larga Lactucarii dosi productis, communem sensorii adfectionem suspicari haud nefas sit.

U. Utile se præbuit Lactucarium, ubicunque systema nervosum indigeat freno placido, nullam excitationem provocante, nec alia organa offensuro. Hinc neurosibus permultis adcommodum remedium, ubi necesse est nimiam compescere irritationem, sive ista localis sit, sive totum organismum corripiat. Hystericis et hypochondriacis dolores aufert, præsertim si ventriculus opium minime ferat; nec desunt exempla prosopalgiæ adminiculo ejus sublatæ. In synocha, nondum ad acmen progressa, sensibilitatem nimiam deprimit, pulsum durum emollit, calorem moderat, præcordiorum dolorem et anxietatem compescit, imo in summo ejus gradu agrypniam levat pertinacem. In febribus catarrhalibus tussim siccam tollit, dum screatus plane deficiunt et suffocationis periculum minatur. In febri nervosa inflammatoria et versatili Lactucarium perutile est ita, ut delirium dispareat, et variæ spasticæ adfectiones mitigentur. Gravibus etiam multis succurrit inflammationibus, pneumoniæ nempe, pleuritidi, enteritidi, ubi jam inflammationis vehementia idoneis profligata est remediis, irritabilitas vero nimia et dolores manent

mitigandi; febris autem rheumaticæ atrocissimos dolores in instanti quasi aufert, imprimis si isti sint vagi, et sensibilitate cutis, ustionis sensu, et pruritu stipentur. Nec obstat experientia, quin Lactucarium etiam profluviis sanguineis a spastica vasorum adfectione oriundis opponendum sit; in uteri enim hæmorrhagia, hæmoptysi et dysenteria olim suppetias tulisse notum est. Tussim vehementissimam multoties curavit, quæ jam phthiseos periculo minabatur; etsi phthisicos perfecte restituere nequeat, multifariis tamen eorum cruciatibus cum successu opponitur, et miseris levamen insigne adfert (Duncan sen.).

D. Lactucarii variat, prout vis ejus ad varias methodos parati diversa est. Purissimum seu genuinum a $\frac{1}{2}$ ad 1 — 2 grana porrectum jam optimum effectum præstat, largiori vero dosi narcoseos producit symptomata. Dr François contendit, grana 4 — 6 — 10, spatio nychthemeri consumpta, optatum præstitisse effectum. Duncan expertus est utilitatem 50 guttarum solutionis saturatæ succi inspissati Lactucæ sativæ in agrypnia, qua femina laborabat, postquam opium incassum adhibitum erat. Forma pilularis omnes excellit; si vero in pulvere illud dari oporteat, cavendum est, ne humectetur. Magnesia, gummi arabicum, pulvis radicis althææ vel alia pro re nata ei admiscenda sunt.

LACTUCA VIROSA seu SILVESTRIS.

Латукъ Ядовитый или лѣсной.

Planta herbacea, foliis horizontalibus, carina aculeatis, dentatis, in campis et juxta scrobes passim in Europa meridionali sponte crescens. Cl. Syngenesia.

O. Polygamia æqualis. O. N. Synanthereæ. Cichoraceæ. Biennis. *Usualis est:*

Succus spissatus *(Extractum Lactucæ virosæ)*, qui secundum Collin sequenti modo paratur: Succus e planta recenti, ad florescendum vicina, expressus, loco que frigido, ne fermentescat, per nychthemeron servatus, decantatur, et, postquam per aliquot momenta ebulliverit, colatur, atque ope albuminis ovorum et secunda colatione per pannum laneum depuratur; dein leni igne ad dimidium evaporatus et refrigeratus, iterum ope albuminis ovorum, brevi coctione prægressa, clarior redditur et per pannum colatur; demum leni igne in Extracti spissitudinem condensatur.

Q. Planta odoris est valde ingrati, narcotici; omnibus partibus succo scatet albo, linguam urente, amaro. Sæpius Lactuca scariola et Soncho oleraceo adulteratur. Odor plantæ indicare videtur, principium quoddam narcoticum, opio analogum, ipsi inesse. Succus recens, amaro-acris, tincturæ heliotropii rubrum colorem communicat; in aqua non plane solubilis est. Infusum ejus aquosum concentratum, ex flavo rubrum, odorem spargit virosum, qui coctione perit. Acidum peculiare, quod in succo tum liberum, tum basibus salinis junctum reperitur, acido malico haud plane absimile est; cum magnesia sal format acidum in aqua difficulter solubile. Præterea cautschuc et resina sicca ibidem inventa sunt.

V. Resolvens; antispasmodica; sudorem movens et lotium. Experti sunt quidam, plantam comestam, vel etiam vapores, sub coctione ejus evolutos, inebriasse homines, et varia narcoseos symptomata produxisse. Nondum tamen constat, quinam locus inter narcotico-

rum seriem ei adsignandus sit. Experimentis patet, Lactucam virosam narcotice systema nervosum adficere et extractum ejus sub lento calore, evaporationis auxilio paratum, valentius agere, quam decoctione obtentum.

U. Obstructionibus variis cum successu quondam opponebatur, præsertim hepatis, et variis malis inde oriundis, ut ictero, hydropi et aliis. Præsertim vero in hydrothorace a Collin, Wolf et Durande laudibus effertur. In pertussi et morbis spasticis pectoris, palpitatione cordis stipatis, opem fert. In angina pectoris Extractum Lactucæ virosæ in connubio nitratis argenti, assæ fœtidæ et extracti colocynthidis compositi, vel morbo penitus tollendo, vel infrigendæ saltem symptomatum vehementiæ par esse, multoties experti sumus. Toel ut solum præsidium commendat idem Extractum in spasmis, hydrope pectoris et pericardii stipatis, cum digitalis tantillo nuptum; valde enim auget diureticam digitalis virtutem, et specifice quasi aufert asthmaticas adfectiones.

D. Succi spissati adulto grana duo, quatuor, ad sex porriguntur, forma pulveris, aut pilularum.

LAURUS CAMPHORA.

Лавръ Камфорный.

Arbor Chinæ, in silvis provinciæ Fo-kien prope urbem Tchangtcheou, nec non Japoniæ quibusdam in locis proveniens, et in lætam vastamque tiliæ magnitudinem adolescens; in hibernaculis hortorum Europæ hinci nde florens. Cl. Enneandr. O. Monogyn. O. N. Laurineæ. *Usualis est:*

Camphora, substantia peculiaris concreta, radicis, corticis, foliorum, aliarumque arboris partium produc-

tum. In Europam cruda, massulis globosis, subluteis, bruneis ac cinereis constans, variis impuritatibus inquinata, atque in glebas coacta, importatur plerumque ex urbe Chinensi Canton, ubi coctione vel sublimatione elicitur, et apud nos (Venetiis quondam, nunc Amstelodami, Londini, Berolini) novæ sublimationis auxilio, superaddito carbonate calcariæ, vel et solutione in alcohole et præcipitatione, adfusa aqua, purgata, ad requisitum puritatis gradum redigitur, et in massas hemisphæricas, in medio perforatas, densatur. Minori quantitate Camphora, eaque præstantior, ex Japonia, via Bataviæ advehitur. Gratiorem albedinem adipiscitur Camphora ex solutione calcariæ destillata, cui duæ partes carbonis animalis tenuissime pulverati superaddi solent. Jam depurata, alba est, solida, haud dura, luci quidquam pervia, ad attactum pinguis, in fractura grana crystallina angulata referens. Camphora vulgo Malaica dicta, e portu Sumatræ ad nos advehitur, estque productum Dryobalanopis Camphoræ (Colebrooke), arboris in silvis Sumatræ Tapanooly vicinis, Borneo et peninsulæ Malaccæ crescentis, e qua extrahitur concreta in massis. Hæc reputatur omnium præstantissima, fragrans, minusque acris saporis, quam e lauro Camphora obtenta. A Chinensibus tam magni æstimatur, ut totam pro usu proprio emant, ne unquam nobis in commercio prostet.

Q. Odorem fortem, peculiarem balsamicum, fragrantem, ad rosmarinum accedentem spargit; saporis est nonnihil acris, aromatici, amaricantis, calefacientis, sed postmodum sensum frigoris in ore relinquentis. Aqua levior est; in pulverem nonnisi alcoholis ope conteritur. Sub consueto tepore solida, calore autem ad + 110° R. adaucto liquefit, et tandem avolat forma

vaporis densi, albi, pungentis, qui corpora frigida attingens pristinam assumit consistentiam, et Camphoram sublimatam præstat. Pars Camphoræ, secundum Brandes 580, secundum Paris 900 partes aquæ requirit, ut solvatur. Si cum magnesia trituretur, fit solubilior. In alcohole solvitur facili negotio, sed aqua addita, separatur. Olea pinguia et ætherea tepida tenent Camphoram suspensam, quousque teporem contineant, quo evanescente, propriam illa nanciscitur firmitatem. Ope sacchari, melius vero mucilaginis vel vitelli ovi, cum aqua emulsionis induit formam, id quod etiam cum lacte haud inepte fit. In acido nitrico solvitur, ita quidem, ut liquor in duas discedat partes: superiorem e Camphora et acido nitrico concentrato constantem, quæ propter oleosam consistentiam Oleum Camphoræ acidum dicitur, et inferiorem, quæ ex pauxillo Camphoræ et acido nitrico dilutiori componitur. Alcalia nullam vim in ipsam exercent. Si Camphora, cum terra argillacea et aqua in massam redacta, destillationi subjiciatur, oleum Camphoræ æthereum extricatur aureoflavum, acre, linguam ustione, mox in frigoris sensum abeunte, adficiens. Partes remotæ, Camphoram constituentes, secundum Thomson, sunt: carbonei 79,27; hydrogenii 10,36 et oxygenii 10,37.

V. In serie volatilium et excitantium Camphora primum sibi vindicat locum, et penetrante vi omnes fere substantias medicas adeo superat, ut in massam humorum organismi per varias vias absorpta, omnibus secretionibus odorem impertiat. Stimulantem ejus virtutem excipit diaphoresis. Volatili principio spirituosorum more encephalon et totum systema nerveum commovet, acrimonia vero et amaritie intestinorum adficit tractum. Hinc moderatum illius usum nervorum actio

alacrior, caloris animalis et turgoris vitalis augmentum nec non pulsus plenior, insequuntur. Justo majori dosi deglutita, ustionis sensum in ore et ventriculo producit, citoque anxietatem, nauseam, vertiginem, vomitum, mentis alienationem, convulsiones, tremorem, sudorem frigidum, soporem et alia mali ominis symptomata provocat. Ægre solvitur in succo gastrico, et si frustulum Camphoræ stomacho ingeratur, ut venenum acre et narcoticum agit, ita quidem, ut post mortem, hac ratione animalibus illatam, ventriculus, cor et encephali involucra inflammata visa sint. Omnibus animalibus præsentaneum est venenum, quod præ cæteris Orfila expertus est, tum ventriculo animalium Camphoram ingerendo, tum venis illam injiciendo, tum denique textui celluloso eandem immittendo. Congruo valetudinis statui adcommodata actionem nervorum suppressam, vel plane fractam, excitat, quin arteriarum adaugeat micatus; nec minus dolores, a spasmis ortos, sedat, quo antispasmodica ejus virtus nititur. Notabilis etiam est vis ejus antiseptica, qua putredinem tollit.

U. In morbis adynamicis, tum chronicis, tum febrilibus, in quibus motus vitales ex vera debilitate languent, aut in spasticos et convulsivos aberrant, vel vis muscularis depressa est, efficacem se præstat, præsertim, si exhalationi etiam cutaneæ calcar subdere e re fore putatur. E morborum atonicorum serie, typhus: (febris nervosa, synochus putris, febris nosocomialis, febris flava, etc.) est imprimis, cui Camphora recte obponitur, pulsu parvo, molli, debili, delirio placido, pervigilio, convulsionibus, tendinum subsultibus etc., conspicuus, eaque, vel interne propinatur, vel in alcohole diluto abdomini admovetur extrinsecus. Commode ei hoc in casu adduntur: rad. va-

lerianæ off., vel pro re nata cortex cinchonæ off., æther etc.; si vero typhus, synochæ sequela est, præparata stibiata, salia neutra etc., vel dum in putredinem pronus est, varii spiritus acido-ætherei, aristolochia serpentaria, etc. In typho exanthematico, ut variolis, morbillis, purpura, scarlatina, vel erysipelate, charactere maligno notatis, aut ob fatiscentiam virium subito retrocedentibus, atque ad cutem resuscitandis, languenti horum exanthematum eruptioni, utilem stimulum subdit; nec minus in cynanche maligna, si energia vitalis pessum data sit, opitulatur. In scarlatina (quum cutis scabra et arida est, atque exhalatio cutanea ex voto non procedit); in variolis (si imminuta est reagendi virium vitalium potentia, sub spastico statu, cute frigescente, pallescenteque et eruptione segni, decolore); in morbillis (eruptione cunctante, aut eadem prodeunte decolore, vel ad interiores partes repercussa, vel statum cutis ad paralyticum accedentem relinquente), cumprimis commendatur. An inflammatoriis febribus conveniat, dubitari posset, ni metum minueret explorata Camphoræ in externis inflammationibus virtus. Non inepte sane adhibetur in typho, aliquid inflammatorii secum vehente, ubi videlicet febris, vel primitus typhodes fuit, vel synochæ sequela exstitit, sub pulsu spastico, vel molli, debili, et ubi blandos sustinere sudores e re est; ita in typho cum pneumonitide, hepatitide, gastritide, enteritide etc., in connubio salium neutrorum, stibiatorum, vel mercurialium, in exiguis semigrani dosibus secunda quaque hora exhibitis, virtutes Camphoræ salutiferas experti sumus; nec desunt exempla febris puerperalis, summa prostratione virum stipatæ, ejusdem usu subactæ. In febre biliosa epidemica Camphoram dosi sat magna cum optato suc-

cessu administratam fuisse, auctor est CALLISEN; BARTEZ autem expertus est vim Camphoræ cum nitrate potassæ combinatæ in curandis febribus intermittentibus, ubi symptomata nervosa dominabantur. In variis morbis nervosis, præcipue spasticis et convulsivis, imprimis ubi exhalationis cutaneæ ratio habenda, commendatur; sic in mania et melancholia, et quidem dosi auctiore, in chorea Sti Viti, paralysi quacunque, epilepsia (CULLEN), asthmate convulsivo, pertussi, hysteria, hypochondriasi, enterodynia, intoxicatione saturnina (cum sulphure), imo in dysenteria, meteorismo, si debilitati et spasmis occurrendum est. In morbis viarum uriniferarum et partium genitalium, ut in nymphomania, satyriasi, priapismo, pollutionibus, blennorrhœa, dolorifica menstruatione, non secus ac in nephritide et stranguria, ad sistendam cantharidum vim, vel ex aliis acribus diureticis, e. gr. scilla m., profectam irritationem, Camphora præstat valens remedium. Sic quoque narcoticas opii vires, sialagogas hydrargyri, et drasticorum evacuantes, infringere dicitur. In discutiendis atonicis inflammationibus externis non frustratur; sic in levi œdematoso erysipelate, aut sine dolore et febri, aut eadem vix notabili, siccis in culcitellis admovetur, cum interno ejusdem usu. Cataplasmata camphorata, vel Camphora mixta cum mucilagine et aqua, in ophthalmiis torpidis opportuna, cumprimis autem iis, quæ rheumatismo vel catarrho chronico stipatæ sunt. In congestionibus, sugillationibus, luxationibus cum debilitate articulorum, spiritus vini camphoratus e re est, extrinsecus admotus. In tumoribus frigidis vel œdematosis exhibetur per modum fomenti, æque ac in perniionibus. In ulceribus atonicis gangrænescentibus et carie, Camphora, vel sola, vel cum mucilagine adhi-

betur; in carie vero humida, spiritus vini camphoratus aptior. In gangræna et sphacelo sumitur interne cum cortice cinchonæ officin., vel adplicatur extrinsecus. In psora infantum, seu a perfrictione, seu ab inunctione intempestiva retrograda, si eclampsiam excitavit, resuscitanda profuit (Rosenstein). In helminthiasi etiam commendatur, forma clysteris, per triduum, decubitus tempore, injiciendi. Camphora, alcohole vel æthere soluta, vel per modum unguenti, ulcera fungosa corrigit, morsuram insectorum lenit, etc. Medicina adeo valens, æque facile insidias struere potest, ac prodesse, nisi provida cura evitentur scopuli; hinc cavendum est, ne illuvie in primis viis latitante detur, aut plethora prævalente, vel congestionibus ad superiores partes factis.

D. Interne, pro ætatis, sexus, temperamenti, morbi differentia, variat. In universum convenit, initium minoribus dosibus facere, nisi vis mali urgeat; in acutis febribus grano dimidio, sæpius per diem dato, adquiescimus; in atonicis ad quinque, imo decem grana dantur per se forma pulveris, cum saccharo, alcohole, gummi acaciarum etc. trita, vel cum magnesia, nitrate potassæ, opio, moscho conjungitur; sic etiam in emulsionibus e mucilagine g. acaciarum, saccharo, nucleis amygdali aut lacte recenti comparandis; vel ope mellis in aqua suspensa; per modum pilularum cum extractis amaris, gummiresinis fœtidis, etc. Quoniam effectus Camphoræ sunt evanidi, sæpius repetendæ sunt doses; in mania majores exhibentur, circumspecte tamen, ne, quod fieri interdum adsolet, syncope, anxietas, nausea, convulsiones, deliria etc., excitentur, qui effectus, vel mitigantur, vel tolluntur opio, ut optimo ejus antidoto.

LAURUS CASSIA.

Лавръ лжекоричный; Кассія коричневая.

In Indiis Orientalibus, Malabaria, Ceylonia, Sumatra, Java et Chinensi Imperio crescit. Multi arbitrabantur, hancce plantam ad varietates cinnamomi pertinere; sed MARSDEN arborem et GAERTNER fructum ejus ita describunt, ut exinde colligi liceat, illam peculiarem speciem esse. Cl. Enneandr. O. Monogyn. O. N. Laurineæ. Arborea. *Usuales sunt:*

FLORES, seu gemmæ floriferæ tum hujusce (vulgo: *Calyces Cassiæ*), tum etiam subsequentis arboris (vulgo: *Clavelli Canellæ s. Cinnamomi*), ante expansionem collectæ et siccatæ, quæ clavulos referunt obscure dentatos, coloris fusco - rubescentis, tres vel quatuor lineas longos, cum capitulo subtereti, magnitudine baccæ piperis. CORTEX, seu frustula longitudine pedis, cortici l. cinnamomi similia, sed crassiora et magis fusca.

Q. Florum: odor fragrans, sapor acris cinnamomeus; corticis odor cinnamomeo debilior, sapor autem fortior, sed minus gratus. Secundum analysin BUCHOLZ partes corticis constitutivæ sunt: oleum volatile, resina peculiaris, materies extractiva gummosa et ligninum.

V. Stimulans; calefaciens; peptica.

U. In morbis atonicis, dyspepsia, cardialgia, flatulentia, colica, diarrhœa et metrorrhagia. Pro succedaneo quoque corticis l. cinnamomi, cui in commercio interdum substituitur, vel fraude interseritur, licet sit debilior, ob leve pretium, quo venit, recte habetur.

D. Scrupulus ad drachmam.

LAURUS CINNAMOMUM.

Cinnamomum aromaticum. Nees v. Esenbeck.

Лавръ коричный.

Arbor raro altitudinem triginta pedum excedens, quæ in variis Indiæ Orientalis regionibus, præsertim in insula Ceylonia, Cochin-China, Sumatra, Malabaria etc. sponte crescit; colitur etiam in Indiis Occidentalibus, insula Cayenne, Brasilia, aliisque in locis Americæ meridionalis. Cl. et O. præcedentis. *Usualis est:*

Cortex *(Корица)* internus ramorum tenuis, crassitie papyri, fragilis, convolutus, extrinsecus et intus coloris pallidi flavescentis; optimus censetur, qui ex insula Ceylonia in Europam exportatur. Crassus, vel per destillationem oleo volatili privatus, fere nullam virtutem possidet.

Q. Potissimum ab oleo volatili et principio resinoso amaro dependet. Odorem gratissimum aromaticum spargit; saporis est suavissimi, acriculi, dulcis et leniter adstringentis. Partes constitutivæ vix a præcedenti differunt. Inter has primum obtinet locum oleum æthereum, pond. specif. = 1,074, estque admodum acre, odorem et saporem corticis in summo gradu exhibens.

V. Analeptica; stimulans permanens; roborans; adstringens. In substantia vel alia forma interne sumptus, primario in nervos ventriculi agit, sensum caloris in epigastrio producens, et dein totum systema nerveum excitans. Protractum corticis usum sequitur obstipatio alvi.

U. Vix unquam in usum vocatur per se; sed ob gratiam saporis pro conditura eduliorum adhibetur; a Medicis vero sæpe aliis medicinis additur, ut cortici cinchonæ, quassiæ, gentianæ aliisque amaris; saporis

quoque corrigendi gratia, idque in morbis atonicis, ut dyspepsia, debilitate (post evacuationes, puerperium), nausea, diarrhœa atonica, anaphrodisia etc., in infuso aquoso, vel vinoso frigido. In hæmorrhœis ad cruorem supprimendum corticem Cinnamomi facere haud parum, Schmidtmüller adseverat. Tinctura in actu parturitionis languido interne propinata, suppetias viribus naturæ adfert, et partum accelerare creditur. Oleum Cinnamomi stimulante virtute prodest in colica flatulenta et singultu. Gossypium, oleo hoc imbutum et denti carioso immissum, laudatur in odontalgia.

D. Corticis pulverati grana decem ad scrupulum; olei gutta ad tres, cum aqua et saccharo, aut mucilagine vel vitello ovi.

LAURUS NOBILIS.

Лавровое дерево.

Arbor semper virens Europæ meridionalis, viginti et imo triginta pedum proceritatem attingens. Cl. Eneandr. O. Monogyn. O. N. Laurineæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, coriacea, splendentia, fusco-viridia, subtus reticularia, aliquantulum flavescentia, margine nodoso, undulato. Baccae, nucleum fuscum, oleosum, continentes et bifariam secedentes; fabas coffeæ magnitudine et forma æmulant. Expressione e baccis recentibus paratur in australibus Europæ regionibus *Oleum laurinum (Бобковая мазь)*, unguenti spissitudinem referens.

Q. Odor foliorum peculiaris, gratus, aromaticus; sapor aromatico-camphoraceus. Baccarum odor similis; sapor aromatico-amarus. Oleum laurinum odore

et sapore cum baccis convenit, et oleis æthereo-pinguibus adnumeratur; in æthere ex toto solvitur, ab alcohole autem nonnisi partes æthereæ extrahuntur.

V. Leniter excitans; anodyna.

U. Folia potissimum usui culinari dicata sunt. Oleum laurinum nonnisi extrinsecus forma linimenti adhibetur in rheumatismo, paralysi, colica spasmodica et flatulenta, helminthiasi, et in quibusdam exanthematibus chronicis.

LAVANDULA SPICA.

Лаванда колосистая; Увѣчная трава.

Fruticulus Europæ australis, alibi in hortis cultus. Cl. Didyn. O. Gymnosperm. O. N. Labiatæ. *Usuales sunt:*

Flores, spicas referentes, læte cærulei, calice ovato, subdentato, bractea suffulto; corolla resupinata; stamina intra tubum. Simul ac incipiant explicari colligendi; vetusti improbantur.

Q. Præstans, ab oleo æthereo copioso, cum materia resinosa juncto, repetenda. Odor fragrans, acceptus; sapor subamarus aromaticus, calidus. Oleum ex iisdem elicitum est flavidum et fragrantissimum. Pondus ipsius specificum = 0,893. Proust experimentis probavit, in hocce oleo camphoræ quartam ponderis ejus partem contineri.

V. Stimulans; tonica; nervos refocillans.

U. In lipothymia, vertigine, affinibusque malis, præsertim cum aliis aromaticis; ita etiam in aphonia et balbutie, laudes tulit. Sæpius in culcitellis et forma fomentationis, ad varias humorum stagnationes dissipandas, e. g. in contusionibus, luxationibus, suggillationibus, æque ac ad tumores chronicos dissipandos

extrinsecus superdatur; adhibetur etiam pro suffitu odorato. Oleum balsama externa ingreditur.

D. Infusum tepidum florum propinatur cochleatim vel vasculatim aliquoties de die; olei gutta usque ad quatuor.

LEONTODON TARAXACUM.

Одуванчикъ; Дикій Цикорій; Плѣшивецъ; Попово гуменцо; Кульбаба.

Planta in Rossia præcipue septentrionali frequentissima, plerumque in pascuis et ad vias obvia. Cl. Syngenes. O. Æqual. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Herba et radix, eæque recentes. Herba lactescens, subamara, foliis runcinatis, denticulatis, lævibus. Radix fusiformis, succosa, digitum minorem crassa, extrinsecus brunea, intus alba; primo vere effodienda. Succus recentis expressus, lacteus, amaricans, digitos, quibus tractatur, pertinaciter tingens.

Q. In succo lactescente, amaro, salso, acidum tartaricum et materiæ cautschuc vestigia detecta fuere. Decoctum illius refert præcipitatum cum infuso gallarum, solutione nitratis argenti, bichloridi hydrargyri et acetatis plumbi; a sulphate ferri colore olivaceo tingitur et serius exhibet sedimentum. Ex uncia succi expressi obtinetur extracti gummosi, sapore primum dulciculo, dein subamaro, sicilicus, et extracti resinosi, parum adstringentis, drachma (Gleditsch).

V. Leniter stimulans; incidens; resolvens; systematis venæ portarum, hepatis vasorumque lymphaticorum actionem intendens; diuretica.

U. Infusum radicis commendatur in febribus intermittentibus, gastricis et biliosis, in connubio hydrochloratis ammoniæ vel bitartratis potassæ; porro in morbis chronicis viscerum abdominalium, puta: obstructione hepatis et lienis; nec minus in hæmorrhoidibus, hypochondriasi, melancholia, et lithiasi sabulosa. Succo recens expresso hydrops dispulsus fuisse fertur; quin etiam cum sero lactis mistus, vel decoctus, insignis efficaciæ fuit in ictero (v. Swieten). Non minoris æstimatur in fœditatibus cutis decoctum herbæ et radicis, copiosius ingestum, scilicet in psora, herpetibus, tinea capitis etc.; succus vero ejusdem et fumariæ officinalis leprosa exanthemata, aliis incassum tentatis, sustulit (Leidenfrost). Unguentum e radice et adipe suilla depurata in scrofulis deprædicatur (Malovin). Folia ineunte vere pullulantia, imprimis intima, Petropoli passim et alibi in Rossia, acetarii genus constituunt; radix vero ustulata in vicem coffeæ, per modum infusi, ab egenis sumitur.

D. Radicis sescuncia in aquæ sesquilibra decoquitur, et colatura libræ quotidie exhibetur, vel herbæ et radicis recentis uncia cum libra jusculi ad uncias octo decoquitur. Succi recentis unciæ duæ cum jusculo exhibentur per plures hebdomades et quidem matutino tempore.

LEONURUS LANATUS.

Balotta lanata.

Кудренникъ волкистый.

Planta calyce hypocrateriformi, 5-dentato, 10-striato; corolla labio superiore crenato, concavo, instructa, hirsutissima, ex flavo pallescente, extrinsecus alba; fo-

liis palmatis dentatis; caule lanato. Crescit in Siberia, versus Chinam, unde in alias regiones transportata est. Cl. Didynamia. O. Gymnospermia. O. N. Labiatæ. *Usualia sunt:*

Folia et Flores.

Q. Odoris debilis, theam nonnihil æmulantis; saporis amaricantis. Partes constitutivæ prævalentes sunt: resina amara, principium scytodepsicum et extractivum; Bley oleum æthereum ibidem invenit.

V. Tonica; diuretica.

U. Jam diu abhinc remedium fuit vulgo in Rossia notissimum. Nuperrime, qua diureticum, maximas in hydrope debellando laudes tulit; nec desunt exempla, illud in rheumatismo chronico et arthritide, præsertim vaga, profuisse.

D. A semuncia ad unciam forma decocti vel infusi, nec non majori dosi propinatur.

LEPIDIUM RUDERALE.

Жеруха дикая; Клоповникъ.

Planta fere ubique obvia; præsertim vero in ruderatis, et ad vias. Cl. Tetradynamia. O. Siliculosæ. O. N. Cruciferæ. Annua. *Usualis est:*

Herba: Foliis radicalibus dentato-pinnatis, ramiferis, linearibus, integerrimis, floribus diandris apetalis (vix conspicuis, flavis). Mense Junio, aut ineunte Julio colligenda.

Q. Principio volatili, æthereo, acri, extractivo, gummeo-resinoso, sulphureoque nititur. Odor herbæ recentis gravis, fœtens, nasturtium redolens; sapor pungens, acris, amaricans, ingratus.

V. Diaphoretica; diuretica; potissimum in nervos abdominales agens.

U. In dialeipyris, et antiquitus usualis fuisse videtur, et nunc a Ruthenis ruricolis, a quibus etiam nomen herbæ lexipyretæ *(лихорадочная трава)* sortita est, exhibetur. Laudatur etiam in scorbuto, myodynia rheumatica, catarrho chronico, hydropisi, anasarca et morbis cutaneis.

D. Uncia herbæ cum aquæ unciis decem, in vase bene tecto digesta, et per linteum colata, cochleari majore, alternis horis, propinatur, vel idem infusum extrinsecus pro ablutione frigida, vel tepida, mane et vesperi in morbis cutaneis, aut in ulceribus, adhibetur. Pulveris forma inepta; præparatione enim volatiles partes avolant, materiaque fibrosa ventriculo aliena residua. Herba recens leniter siccata, minutim concisa, si in ampullis vitreis, probe obturatis, teneatur, conservari potest etiam in longum tempus, saccharo conspersa.

LINUM USITATISSIMUM.

Ленъ обыкновенный.

Planta ad ripas Nili primitus orta, nunc in Europa australi spontanea, et apud nos in agris seritur. Cl. Pentandr. O. Pentagyn. O. N. Linaceæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina, ovato-oblonga, margine acuta, compressa, plana, glabra, fusca, nitida, cortice fusco vestita, qui nucleum album includit. Aquæ supernatantia, vetusta et situm redolentia improbantur.

Q. Semina saporis ingrati, mucilaginosi, inodora. In cuticula continent quintam ponderis partem mucila-

ginis, quæ seminum conquassatione in aqua, vel sola infusione aquæ fervidæ aut coctione, facili negotio elicitur, estque coloris expers, insipida, inodora, et mucilaginem gummi arabici nonnihil imitatur. Expressione obtinetur sexta pars ponderis olei fixi, quod coloris est flavidi, odoris valde ingrati, et saporis nauseosi.

V. Emolliens; relaxans; demulcens; partes irritatas obvolvens. Oleum Lini leniter purgante virtute præditum est.

U. Infusum seminum adhibetur aliquando in diarrhœa, dysenteria, enteritide, ut irritatio canalis alimentarii sedetur. Sed imprimis laudibus effertur in morbis viarum urinariarum, e. g. in erethismo apparatus renalis, blennorrhœa, stranguria et dysuria, ut secretio et excretio urinæ expediatur. Externe adplicatur forma clysteris: in tenesmo, excoriationibus intestini recti, phlogosi vesicæ urinariæ, metritide etc. Spissius decoctum inservit abluendis locis superficiei cutaneæ, quæ herpete cum phlogosi infestatur. Eodem tepefacto pannus imbutus et abdomini impositus, levamen adfert ægrotantibus inflammatione viscerum abdominalium detentis.

Farina seminum aquæ vel lacti incocta, quam apta est, forma cataplasmatis, ad maturandos abscessus et furunculos, in cynanche, phlegmone etc.; superdatur etiam ulceribus valde dolentibus. Oleum Lini raro interne exhibetur, licet in ileo haud semel cum successu adhibitum fuerit, postquam alia purgantia incassum tentata erant. Frequentius usurpatur externe forma clysteris in colica flatulenta et obstipatione alvi; præterea cum aqua calcariæ mixtum, format optimum linimentum, ambusturis sanandis idoneum.

LYCOPODIUM CLAVATUM.

Плаунъ булавовидный; Волконожникъ булавистый; Колтунникъ.

In silvis abiegnis, item in muscosis ericetis, in viis arenosis, perennans. Cl. Cryptog. O. Filices. O. N. Musci. *Usualia sunt:*

Semina, seu pulvis tenuissimus, æquabilis, subflavus, ad attactum permollis, digitis adhærens; rite cribratus, in vasis probe clausis, servandus. Similem pulverem contineri in reniformibus capsulis plurium Lycopodii specierum, experimentis Broteri et Willdenowii, probatum est.

Q. Inodora, insipida, unctuosa, humiditati pugnacia, mucilaginis autem auxilio mixtionem cum aqua ineuntia; inspersa flammæ (candelæ vel alius ardentis corporis), cum fulguratione et strepitu accenduntur. Constant substantia peculiari, quam Bucholz albumini, Cadet vero ceræ similem esse contendunt; olei autem pinguis, materiæ saccharinæ, et extracti mucosi haud parva iisdem inest copia.

V. Exsiccans; absorbens extrinsecus. Intus: obvolvens; sedans; imo etiam diuretica.

U. Interne in stranguria, dysuria et spasmo vesicæ urinariæ apud infantes, dentitione laborantes, et apud adultos in lithialgia mitiganda et hæmorrhoidalibus atque arthriticis malis commendantur (Hufeland, Jawandt, Rademacher). Externe: in tenellorum infantum intertrigine, si inspergantur sicca, efficacissima sunt (Rosenstein); simplex inspersio per flocculum gossypii sufficit ad excoriationem arcendam, eamque amplam et profundam superandam (Murray). In crusta lactea, tinea capitis aliisque serpiginosis ulceribus ma-

didis (Helvich), haud secus ac in trichomate, herpete syphilitico, unguenta fiunt ex hoc pulvere, oxydo zinci et hydrargyro; hoc modo etiam in erysipelate profuit.

D. Interne exhibetur pulvis a granis decem ad scrupulum, cum syrupo althææ, mucilagine gummi arabici vel vitello ovi, in emulsione, vel forma misturæ. Vulgare est pro catapotiis conspergendis, ne cohæreant mutuo, et quo sapor ingratus paulisper celetur.

LYTTA VESICATORIA. Fabr.

Cantharis vesicatoria. Latreille.

Шпанская муха.

In Rossiæ australioribus provinciis abundat; generatim vero Asiæ minoris, Ægypti et regionum calidiorum Europæ, ut Hispaniæ, Germaniæ, Galliæ et Italiæ incola. Siciliam quoque inhabitat; non tamen, ut naturalium scrutatores observarunt, ibi indigena est, sed quotannis versus Maji finem ex Asia minori et Ægypto illuc gregatim demigrat. Quandoque, et incertis fere temporibus, in Rossia et tota propemodum Europa meridionali, æstivis mensibus imprimis, fraxino, platano, salice, sambuco, ligustro vulgari, populo alba, syringa persica et vulgari, oliva et lonicera tatarica delectatur, easque gregarie depascit. Cl. Insecta. O. Coleoptera.

Insectum oblongum, ponderis granorum fere trium, coloris ex aureo viridis, splendidi in cæruleum tendentis, thorace teretiusculo, antennis filiformibus, articulatis. Insecta hæc, mense Junio et Julio concussis ante solis ortum arboribus, supra extensum linteum de-

cidunt, atque ope vaporum aceti, vel ardentis sulphuris, vel per immersionem in acetum, vel aquam fervidam, suffocantur, aut in furno necantur, et tum leviter siccata, in officinis vulgo sub nomine *Cantharidum* veniunt. Minora, longitudinis octo circiter linearum, duorum vel trium granorum pondus habentia, integra, ptyno fure non corrosa, et recentia, merito præferuntur; diu autem servata in pulverem fatiscunt, minus efficacem. Experimenta a Farine instituta docuerunt, non in aceto vini, quod hucusque fieri solebat, sed in aceto lignario destillato macerandas esse Cantharides, ut noxius ptyni furis aditus præcaveatur, et cum corporis truncus vel præcipue polleat vi medica, huic igitur servando maxima danda est opera. Haud raro cum Lytta vesicatoria Melolontha vitis commixta deprehenditur, sed ab illa quadrangulari fere trunco facile distinguitur, et quoniam cutem minime irritat, necesse est, ut segregetur, priusquam Lytta v. in pulverem redigatur. Alia etiam insecta Lyttæ vesicatoriæ instar se efficacia præstiterunt, et quidem: meloë proscarabæus, m. majalis, coccinella septempunctata, mylabris et lytta cærulea Pfaffii.

Q. Odoris fœtidi peculiaris, virosi quasi, vel illi conii m. consimilis; saporis picei levis, dein acris et corrosivi. Secundum analysin, quam Robiquet summa cum industria elaboravit, Lyttæ vesicatoriæ partes constitutivæ sunt: a) oleum viride fluidum, in alcohole solubile; b) materies nigra, in aqua solubilis; c) substantia flava mucosa, in aqua et alcohole solubilis; d) materies alba, in fervido alcohole solubilis, quæ, hocce refrigerato, in foliola coit crystallina exigua; tepori expositæ crystalli in oleum flavum liquantur, adaucto vero calore ad instar nebulæ albæ avolant, et frigidis

adhærentes corporibus, pristinam contrahunt crystallinam formam; substantia hæc est acerrima, principium nempe Lyttæ vesicatorium, a THOMSON *Cantharidinum* nuncupata; cujus parcior copia in lytta vittata, mylabri cichorei veterum aliisque supra citatis, detecta est; e) materia pinguis; f) phosphas calcariæ; g) phosphas magnesiæ; h) acidi acetici aliquantulum, et tandem i) acidum uricum.

V. A solo Cantharidino derivanda, stimulans est; diuretica; venenata; acerrima; rubefaciens; epispastica. Interno usu Cantharidum, ut ORFILA experimentis probavit, sequentia symptomata provocantur: fœtor animæ, gustus acris, nausea, vomitus, motus febriles, dolores colici acerbissimi, alvus copiosa cruenta, priapismus dolorosus, stranguria, hæmaturia, deliria etc.; totus intestinorum tractus inflammatione adficitur, in exulcerationes et gangrænam lethiferam abitura. Actionem in renes et vias urinarias tantam exerunt, ut nonnunquam externam earum adplicationem vehemens illorum organorum inflammatio subsequatur. Externe parti corporis molli admotæ Cantharides, vasa hujus et nervos irritant, eorumque actionem intendunt; unde rubor, dolor et tumor adparent, dein serum sub epidermide colligitur, quod vesicam adtollit, et cutis exulceratur.

U. Licet multi profiteantur, se olim utilitatem ex interno usu Lyttæ in variis morbis observasse: ego tamen, propter atroces ejus effectus, summam requirentes cautelam, vix unquam junioribus suaderem eam interne propinare. Quod attinet ad anti-hydrophobicam virtutem, a quibusdam ei tributam, administrationem ejus frustraneum esse conatum, ingenue fateor: quoniam præsidium hujus morbi exitialis inter pia manet desideria, fausto forsan fato quondam explenda. Fre-

quentissimus est externus Lyttæ vesicatoriæ usus, præcipue forma emplastri s. d. vesicatorii, et tincturæ; quem in finem sequentia adnotanda veniunt: 1) Constituit efficax remedium ad intendendam energiam totius systematis nervosi fractam, e. g. in typho, ubi status paralyticus, soporosus, apoplecticus, debilitas magna etc.; quo in casu emplastrum capiti, vel dorso admovendum est, vel pro re nata, pectori, aut lateri interno femoris, et erythemate producto, locus pro ratione necessitatis mutatur. Tinctura etiam non male spinæ dorsi, vel et aliis partibus corporis infricatur. 2) Facit ad organon vel viscus quoddam torpens singillatim excitandum: in cerebri commotione (Desault), sopore, lethargo, apoplexia nervosa etc., capiti vel nuchæ, in amaurosi fronti, in cophosi ex nervorum paresi pone aures, in glossoplegia et extremitatum superiorum paralysi collo, in paralysi vesicæ urinariæ extremitatumque inferiorum et urinæ incontinentia inde orta, regioni sacrali, vel lateri interno femorum emplastrum superdatur, vel loca hæc aliquoties de die tinctura probe perfricantur. In genere notandum, his in casibus propius ad partem affectam admovendum esse irritans. Ubi exanthema aliquod febrile, ut variolæ, morbilli, purpura vel scarlatina, ob defectum virium vel ægre erumpit, vel subito retrogreditur, utile cuti calcar addit. 3) Stimulum contrarium producendo, et serosa evacuatione debilitando, variis systematis nervosi turbis obponitur. In spasmis et convulsionibus, vel parti adfectæ, et viciniæ ejus, vel dorso emplastrum Lyttæ admovetur. Non semel profuit in epilepsia, ubi capiti, vel parti, qua aura epileptica surgit, in tetano, ubi inter humeros, porro in trismo, hystericis adfectionibus, globo hysterico, ubi regioni ventriculi adplicatur. Non

minorem utilitatem præstitit in asthmate, dysphagia, vomitu, enterodynia spastica, imo pertussi. Dolores fixi a spasmis pendentes optime emplastro Lyttæ tolluntur. 4) Quum antagonistice agendo morbosam actionem diminuat, et stimulum quasi derivet, multum præstat in inflammationibus; quia tamen non aliter, quam stimulando agit, nonnisi in passivis juvat; in activis vero, fracta duntaxat congruis remediis vi inflammationis convenit. His sub conditionibus prodest: in angina catarrhali, membranacea et maligna, catarrho, pneumonia, pleuritide (præsertim in rheumatica vel spuria), enteritide et hepatitide, emplastrum nempe, quo fieri potest propinquius ad organon adfectum, superdatur. In ophthalmiis chronicis, ubi sensibilitas magna, vel, præmissis præmittendis, etiam in acutis, præcipue catarrhalibus et rheumaticis, ad tempora, vel pone aures, vel ad nucham adplicatur; hic præstat interdum s. d. emplastrum Lyttæ perpetuum. In arthrodynia et myodynia rheumatica ad loca, ubi nervi prope adfectam partem subter cute decurrunt, v. g. in ischialgia, non ad coxas, sed (secundum Cotunni) ad decursum nervi ischiatici in femore; hoc in casu tinctura sæpe aptior. In dysenteria largum Lyttæ emplastrum, abdomini admotum, brevi interdum tempore tormina mitigat, citamque alvum comprimit; Paulitzky in dysenteria idem femoribus adplicare solebat. 5) Quum Lytta vesicatoria vasorum resorbentium actionem intendat, adhibetur quoque in quibusdam hydropiseos refractariolæ speciebus, præsertim si interne simul parvis dosibus porrigatur, quo lotii secretionem promovet. In hydrocephalo infantum, nuchæ vel occipiti admotum emplastrum, inter primaria est remedia (Odier). Caveatur tamen ab eo in hydrorachitide, ubi perfacile

gangrænam inducit. Multum sæpe levat in hydrothorace; in anasarca tamen eo in casu modo utile censetur, ubi ab exanthemate retropulso morbus oritur et recens est; hic nonnisi ad rubedinem agat emplastrum, alias sequerentur ulcera maligna; ultimo autem in stadio, colliquativo videlicet, tantum abest, ut prosit, ut potius mortem sit acceleraturum. Tumores albos, nondum inveteratos, egregie vesicatoria profligasse, experiundo didicimus. Metastasibus variis hæcce emplastra apta sunt, tum resorptionem depositæ materiei accelerando, tum activitatem in organo idiopathice affecto intendendo, et sic naturalem secretionem restituendo; ita v. g. in metastasibus lacteis dolenti parti superdatur. 6) Externe adhibita, principio acri peculiariter agendo, in fœditatibus cutis utilitatem promittit, sic in herpete, lepra etc.; ubi interne quoque laudatur. Bloch herpetem, vesicam (ipso in loco, quem obsedit) adtollendo, sustulit, et ortum hinc ulcus suppuratione persanavit; sic Evers herpetem per totum corpus serpentem curavit. Ulcerum inveteratorum suppuratio Lytta vesicatoria corrigitur; adhibetur quoque interdum ad separandas callositates in fistulis, forma setacei. In omnibus tamen morbis, ubi metus gangrænæ subest, e. g. in ultimo febrium petechialium stadio, synocha maligna, rubeolis malignis, variolis confluentibus, nec minus in hydrope et erysipelate ad gangrænam proclivi, usus vesicantium perniciosus est habendus.

D. Perraro in pulvere cum saccharo datur; si tamen danda est, initium fiat a sexta grani parte ad dimidium, dein ad granum et gradatim ad maximam dosin, granorum scilicet trium perveniendum. In pilularum forma datur cum extracto hyoscyami vel opio. Frequentius in tinctura exhibetur a quinque ad quin-

decim guttas, idque cum emulsione, vel aqua, sensim adscendendo. Sub administratione ejusdem decoctiones mucilaginosæ non sunt alienæ. Ad diminuendam remedii acrimoniam, camphoram quidam suadent addendam, ut tutius administretur. Ubi præpostero consilio intus porrecta fuerit Lytta vesicatoria (si vomitorio non est amplius locus), demulcentibus potionibus (seu illæ decoctiones fuerint, seu emulsiones), vel lacte, vel oleo, vel, ut quidam volunt, camphorata emulsione utendum. Non minus commendata fuerunt varia additamenta ad emplastrum Lyttæ, eum in finem, ut dicta incommoda præcaveantur; sic Houlston opium, Selle balsamum myroxyli peruiferi, Fuller acidum sulphuricum vel nitricum, alii iterum camphoram proponunt. Dignum etiam notatu, textum subtilissimum seu nebulam linteam, aceto madidam, ipsi emplastro impositam, ad stranguriam præcavendam non inutilem esse applicationem. Scire tamen licet, omne id, quod noxios avertit effectus, salubres etiam remedii virtutes constringere. Simplex emplastrum exinde adcommodatissimum est; sunt modo, id adhibentibus, eædem regulæ, quæ sub usu interno commendantur, observandæ.

MALVA SILVESTRIS.

Просвирки.

Planta totius Europæ indigena, in locis solitariis et juxta vias, sepes, muros etc. crescens. Cl. Monadelph. O. Polyandr. O. N. Malvaceæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Herba, caule erecto, herbaceo, foliis alternatis, septemlobatis, petiolis et pedunculis pilosis. Huic abs-

que errore substituitur MALVA VULGARIS seu ROTUNDIFOLIA L. caule repente, foliis cordato-orbicularibus, obsolete quinque-lobatis, pedunculo supino frugifero. FLORES, coloris cærulescentis, petalis obcordatis, præmorsi.

Q. Multum continet mucilaginis, unde tota qualitas plantæ pendet.

V. Obvolvens; emolliens; demulcens.

U. Rarius interne ad instar herbæ althææ adhibetur. ORFILA decoctum ejus administrare suadet in veneficio ex bichlorido hydrargyri, quando albumen ovorum non est præsto. Frequentius adplicatur externe partibus inflammatis, suppurantibus, tumefactis, e. g. in angina faucium (injectio, gargarisma); in ophthalmiis (fomentatio, balneum); ad discutiendum pus in cornea post operationem cataractæ (JANIN); sub operatione lithotomiæ, in morbis uteri (injectio); contra tenesmum et spasmos hæmorrhoidales (fomentatio, clysma).

D. Pro usu interno decoctum, ex semuncia herbæ et florum ad libram aquæ paratum, propinatur vasculatim. Pro usu externo decoctum fit pro re nata dilutius vel concentratius.

MANNA.

Манна.

Substantia peculiaris seu succus, in frustula ex albo flavescentia, fragilia, concretus, sponte vel per vulnera incisa, mensibus æstivis, effluens ex trunco et ramis plurium specierum Fraxini, puta: orni, excelsioris, rotundifoliæ etc. (in Sicilia præcipue et Calabria crescentis), Laricis Europææ, nec non ex aliis arboribus, quæ tamen Mannam nonnisi in parva copia largiuntur.

Manna multum variat qualitatibus, et hoc respectu tres ipsius varietates notari merentur.

1) *Manna in lacrymis*, quæ sponte exsudat, vel ictu insectorum in frondibus producitur *(Manna de fronde)*, coloris albidi, omnium purissima, hinc etiam pretiosissima et raro in mercatura obveniens. 2) *Manna canellata* seu *cannulata*, incisionibus in cortice arborum factis obtenta, in crustis oblongis, puris, ex albo flavescentibus vel rubescentibus occurrens, vixque qualitate superiori cedens. 3) *Manna vulgaris*, seu a loco natali *Calabrina* dicta, incisione arborum elicita, massas referens magnitudinis et figuræ variæ, coloris diversi, sed plerumque ex flavo fusci, multisque impuritatibus intermixta. Pro usu medico *Manna electa* et *depurata* inservit, primam faciunt frustula pura selecta; secunda obtinetur solutione Mannæ Calabrinæ in aqua, et subsequenti vaporatione ac siccatione ad justam consistentiam.

Q. Manna bona et sincera est levis, sicca, ex albo flavescens, vel ad rufum colorem accedens, semitransparens, nonnihil inflammabilis et interne formam crystallinam exhibens; saporis blande dulcis, quandam amaritiem in ore relinquentis; odoris sat grati, mel redolentis. Ex analysi a VAUQUELIN instituta patet, Mannam constare ex principio saccharino, crystallisationis capaci, quod *Mannites* nuncupatum est, majoremque partem Mannæ constituit; parva quantitate sacchari genuini; materia flava in crystallos non cogenda, nauseosa; et principio mucilaginoso. Manna pura solvitur in tribus partibus frigidæ et paribus fervidæ aquæ; spiritus vini tepefactus dissolvit octavam ejus partem. Cum oleis expressis ope gummi acaciæ veræ facili negotio combinatur. Igni propius admota liquefit ad instar ceræ, et mutatur in massam fuscam.

V. Nutriens; obvolvens; solvens; expectorans; eccoprotica; tenellis præcipue infantibus et delicatulis subjectis conveniens.

U. Commendatur in variis morbis inflammatoriis levioris gradus, qui cum constipatione alvi, retentione urinæ, vel catarrhalibus symptomatibus juncti sunt, puta: pneumonia, enteritide, colica saturnina (cum mucilaginosis et oleosis), variolis, morbillis etc.; nec minus adversus hæmaturiam (Sydenham), et veneficam actionem oxydorum metallicorum (Vogel, Buchner). Hypochondriacis et hystericis, æque ac iis, qui atonia, acidis et flatulentia primarum viarum laborant, hocce remedium vix conducit, quum borborygmos et spasmos in abdomine provocat, vel plane nullum effectum producat.

D. Infantibus uncia dimidia, imo integra datur; adultis juvat Mannam forma infusi, electuarii, vel emulsionis, cum aliis remediis, e. g. sulphate sodæ, bitartrate potassæ, radice rhei, senna etc. præscribere.

MARRUBIUM VULGARE.

Marrubium album.

Шандра бѣлая.

Planta in agris, ruderibus conspersis, frequens; in hortis medicis culta. Cl. Didyn. O. Gymnosperm. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis subrotundo-ovatis, crenatis, rugoso-venosis, utrinque hirsutis, pilosis, ex viridi-albicantibus.

Q. Ab extractivo amaro, oleo volatili fæculaque peculiari repetenda. Herba recens odorem habet balsamico-acidulum gratum; saporem subamarum, subsalsum, nonnihil acrem, ingratum.

V. Tonica; resolvens; pituitam præcipue pulmonum movens; diuretica; majori dosi laxativa.

U. Antiquissimæ sunt laudes Marrubii in tabe vel phthisi pulmonum (Celsus); succo cum melle in eadem dato Trallianus adquiescit, quibus præconiis et Sprengel adsentitur, ad propriam provocans experientiam. Pituitam pectus gravantem, et tussim asthmaque humidum producentem, sæpe resolvit, et screatu eliminat (Dioscorides); minime proinde mirum, in catarrho chronico, blennorrhœa pulmonum et asthmate pituitoso suppetias tulisse, selectu præcipue facto pulveris tenerrimorum surculorum apicum, qui potentiores existimantur (Lange). Laudatur etiam in adfectionibus imi ventris, præcipue in tumoribus hepatis et lienis, ictero et hysteria; quibus in casibus forma extracti aptissima esse censetur. Innumeras Borellus experientias citat, deprædicans infusum summitatum ad menstrua provocanda et chlorosin virginum tollendam. Sialorrhœa, quæ ex hydrargyro, ante administrato, ultra annum in juvene, syphilide infecto, perrexerat, infuso brevi sublata est (Linnæus).

D. Pulveris herbæ a semidrachma ad drachmam. Infusum quoque valet. Succus recens expressus cochleatim (vel a semuncia ad sescunciam) datur. Extractum a granis decem usque ad triginta quotidie exhibetur in solutione, vel forma pilularum cum polysulphureto stibii, myrrha, gummiresinis, squilla etc.

MATRICARIA CHAMOMILLA.

Chamomilla vulgaris.

Ромашка обыкновенная.

Planta in arvis ruderatis et ad vias frequentissima, receptaculis nudis, conicis, radiis patentibus deflexis,

seminibus nudis, squamis calycinis æqualibus, margine dilatatis. Cl. Syngenes. O. Superflua. O. N. Synanthereæ. Annua. *Usuales sunt:*

Flores, calyce plano, imbricato, squamis margine scariosis, obtusiusculis, receptaculo nudo, cylindraceo, conico; pappo nullo. Facile cum floribus confunduntur, quos consimiles plantæ suppeditant, videlicet: Anthemis arvensis, A. nobilis, A. Cotula, Chrysanthemum inodorum, Ch. leucanthemum et Matricaria suaveolens; hæ tamen propriis characteribus distinguuntur, et quidem Anthemis arvensis floribus inodoris, paleis receptaculi setaceis, acutis, connatis, exsertis, caule foliisque bipinnatifidis, subpilosis; Anthemis nobilis seu Chamomilla Romana, disco minus conico et receptaculo paleis obsito; Anthemis Cotula, floribus majoribus, ingrati odoris, paleis setaceis, foliis bipinnatifidis glabriusculis; Chrysanthemum inodorum, foliis capillaceo-multifidis, floribus majoribus, corona seminum integra; Chrysanthemum leucanthemum, foliis amplexicaulibus, lanceolatis, basi inciso-dentatis, radicalibus obovatis petiolatis; Matricaria suaveolens, odore magis grato et radiis flosculi reflexis, pendulis.

Q. A pauco volatili oleo, principioque extractivo, amaro, dependens. Odor florum fragrans, non admodum gratus; sapor amarus.

V. Stimulans; diaphoretica; antispasmodica; peptica; dosi majori nauseam et vomitum provocans. Corticem cinchonæ officinalis vi antiseptica superare, Pringle experimentis probare nititur. Blande agunt flores in nervos stomachi et intestinorum.

U. Opportunum et excellens est remedium in omni morbo, ubi nervorum debilitas, vasorum languor, aut

status spasticus dominatur. Hinc febri intermittenti, diarrhœæ, dyspepsiæ, cardialgiæ, enterodyniæ spasmodicæ et flatulentæ convenit. Sic etiam hysteriasi et hypochondriasi, dysuriæ et stranguriæ; nec minus spasmo cordis (Kreysig) et podagræ. Puerperis, aut quibus menstrua tarda, dolorifica, vel lochia provocanda, multis modis, apta est. Valet etiam contra scrofulas, morbos cutaneos chronicos, et universam corporis debilitatem ex onania et jactura seminis oriundam (Hufeland). Extrinsecus, qua remedium leniter irritans, discutiens et antispasmodicum cum fructu obponitur tumoribus et inflammationibus rheumaticis, nec non odontalgiæ et spasmis abdominis et vesicæ urinariæ etc. forma pulveris, cataplasmatis, balnei, injectionis, clysmatis, gargarismatis etc. Contraindicant usum ejus activæ hæmorrhagiæ, status synochalis, saburræ gastricæ, obstipatio alvi etc.

D. Exhibetur in pulvere vel melius electuarii forma a scrupulo ad drachmas duas, vel sola, vel cum cortice cinchonæ combinata. Sæpius fit ex illa infusum, quod plus æquo saturatum producit emesin, unde ad promovendam virtutem emeticorum recte adhibetur; frigidum cum zingibere aliisque aromaticis et alcalinis paratum, egregium stomachicum est.

MELALEUCA LEUCADENDRON.

M. minor s. Cajuputi. Rumph.

Каепутовое дерево.

Arbuscula in Amboyna, Java, nec non in australi parte insulæ Borneo, in locis siccis abundantissime crescens. Truncus cortice pallido, aspero, lamelloso obductus est; foliis alternis, breviter petiolatis, folia

salicis æmulantibus, lanceolatis et aliquantulum falcatis, coloris viridis pallide flavescentis, odoris gratissimi; floribus albis sessilibus, bracteis minimis ovatis; calyce tubulari quinquedentato. Cl. Polyadelphia. O. Polyandr. O. N. Myrtaceæ. *Usuale est*:

Oleum Cajeputi *(Каепутовое масло)*, quod, præmissa brevi maceratione, destillando e foliis erogatur in ipsa regione plantæ natali. Recens paratum limpidum est et perquam volatile. Non ita pridem advehebatur in vasis cupreis, nunc vero plerumque in lagenis vitreis minoribus.

Q. Oleum hocce æthereum, quale in commercio prostat, odoris est sub initium fortis, oleum terebinthinæ et camphoram quodammodo redolentis, tandem vero fragrantis et grati; saporis pungentis; pellucidum est et coloris virescentis herbacei. Dum purum, aquæ instillatum, in superficie illius diffunditur et absque residuo avolat; in alcohole prorsus solvitur, in aqua vero parva in quantitate.

V. Stimulans; antispasmodica; diaphoretica.

U. In variis morbis spasmodicis, uti hysteria et colica flatulenta, ubi excitante remedio opus est, apte datur; non minus convenit in paralysi, rheumatismo chronico et hydrope. Hujus olei binæ guttæ cum cerevisia vel vino propinatæ sudores excitant vehementes, cui fini apta medicamenta India exhibet perpauca (Rumphius). Extrinsecus oleo olivarum commistum infricatur temporibus in visus hebetudine; gutta alterave, denti carie affecto immissa, dolorem tollit.

D. Guttæ duæ, ad sex, exhibentur in frustulo sacchari, vel in quovis blando vehiculo.

MELILOTUS OFFICINALIS.

Трилистникъ донный; Донникъ бѣлый и желтый; Буркунъ.

Planta ubique spontanea. Cl. Diadelph. O. Decandr. O. N. Leguminosæ. *Usuales sunt:*

Flores, penduli, racemosi, flavi, rarius albi, vexillo emarginato recedente a carina, alis convolutis, divergentibus, capsulis subdispermis, acutis, rugosis. Herba. Flores vi præferuntur foliis.

Q. Odor fragrans; sapor mucilaginosus, subamarus, herbaceus. Efficacitas ab oleo volatili et materia resinosa dependet. Braconnot ibidem supermalatem potassæ et calcariæ invenit; e floribus autem Meliloti, in Germania crescentis, acidum benzoicum purum Vogel extricavit.

V. Emolliens; resolvens.

U. Vix unquam interne usurpatur. Extrinsecus auxilium spondet per modum epithematum siccorum; cataplasmata etiam intrat. Adhibetur vero in rheumaticis tumoribus, vel inflammationibus, vel in abscessibus, ad maturitatem perducendis. Veteribus planta hæc Lotus mellitus dicta fuit, apes etenim ex nulla herba plus mellis, nec suavioris capiunt, quam ex Meliloto (Boërhaave).

MELISSA OFFICINALIS.

» » CITRATA.

Бальзаминка; Мелисса аптечная.

Planta Europæ meridionalis, in Helvetia, Italia, Gallia et Austria sponte crescens, in hortis nostris culta. Cl. Didynamia. O. Gymnospermia. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba vel Folia, longe petiolata, cordato-ovata, obtuse et inæqualiter serrata, utrinque pilosa, supra læte viridia, infra pallidiora. Herba Melissæ Turcicæ seu Dracocephali Moldavicæ, quam Melissæ officinali hinc inde substituunt, distinguitur foliis oblongis, ovatis, angustioribus, lanceolato-acuminatis, saturate viridibus.

Q. Ab oleo volatili dependet. Odoris est fortis gratissimi, citrini; saporis nonnihil pungentis, balsamici, calefacientis.

V. Stimulans; unde circulationem sanguinis et transpirationem cutis adaugens; tonica; stomachica; diuretica.

U. Multis laudibus celebratur efficacia ejus in nausea, vomitu, diarrhœa, amenorrhœa et flatulentia; ita etiam in rheumaticis et catarrhalibus adfectionibus curandis. Externe forma fomenti adplicatur tumoribus, quos discutere e re est; præterea cum aliis aromaticis idonea est ad sacculos herbaceos.

D. Adhibetur in infuso tepido.

MENTHA CRISPA.

» » VIRIDIS.

Мята обыкновенная, или кудрявая.

Planta Siberiæ, cor. subæquali quadrifida; lacinia latiore, emarginata; stam. erectis, distantibus; colitur etiam in hortis. Mentha viridis pedicellis semper est glaberrimis (Smith, Fl. Brit.). Cl. Didynam. O. Gymnosp. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, cordata, inciso-dentata, undulata, sessilia; staminibus corollam æquantibus. Folia Menthæ sativæ quandoque substituuntur, quæ sunt ovata, acutiuscula, serrata; stamina corollæ longiora, quo perfacile distinguuntur.

Q. Ab oleo volatili pendens et pauxillo camphoræ. Odor fragrans fortis, non admodum gratus; sapor aromaticus cum amaritie levi.

V. Stimulans; stomachica; resolvens; menagoga; lactis secretionem minuens.

U. Inflationem levat, hinc hypochondriacis, hystericisque, ructus excitando, utilis, nec proinde immerito a Martiali, ructatrix dicta. Enterodyniam quoque et nauseam ex eadem causa ortam mitigat. Extrinsecus admota, dolores artuum a spasmo provenientes dissipat; vino cocta lacteas in mammis stases, ecchymoses, tumoresque frigidos discutit.

D. Pro infuso uncia ad libram aquæ.

MENTHA PIPERITA.

Мята перечная или Англійская.

Pl. in locis humidis Angliæ et Pyrenæis spontanea; apud Ruthenos in hortis colitur. Cl. Didynam. O. Gymnosperm. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba, fol. subovatis, acuminatis, serratis, petiolatis, glabriusculis, saturate viridibus; spicis obtusis, inferne interruptis. Stamin. corolla brevioribus, calyce basi glaberrimo. Colligenda est ante anthesin pro usu communi, et in pleno flore, quando ex illa oleum æthereum extricari necesse est. Ab incautis facile confunditur cum Mentha viridi, cujus folia sunt lanceolata, sessilia, spica longior et exilior, sapor debilior. Haud raro etiam commutatur cum M. silvestri, aquatica, vel gentili; sed harum prima foliis sessilibus, crassioribus, supra rugosis, infra tomentosis, ex albo-viridibus; secunda foliis ovatis, mollibus, pilosis; tertia foliis ovatis, utrinque acuminatis, sessilibus, oppositis, subpilosis, distinguitur.

Q. Præstans, ab oleo volatili, cujus magnam copiam continet, et camphora derivanda. Saporem piperis instar, unde nomen sortita, acrem habet, fauces fervore quodam replens, insequente dein haud ingrato frigoris sensu. Odor fragrans, camphoraceus; recentis et odor et sapor debilior.

V. Excitans; peptica; sudorifera; antispasmodica.

U. In variis morbis adynamicis, præcipue autem officinam digestionis obsidentibus, uti in dyspepsia, cardialgia, inflatione, pyrosi, vomitu, colica flatulenta, diarrhœa, lienteria, ita etiam in spasmis hypochondriacorum et hystericarum; nec minus in febribus cum debilitate nervosa et torpore functionis cutaneæ. Herba cum vino, vel aqua decocta, forma fomenti ad roborandum ventriculum in iisdem malis admovetur. In suppressis catameniis, chlorosi et leucorrhœa recte additur congruis remediorum adminiculis. Laudatur quoque in tussi convulsiva et asthmate. Convenit nutricibus ad imminuendam lactis secretionem. Extrinsecus suggillationibus, frigidis tumoribus, erysipelatosis inflammationibus, mammarum indurationibus apud puerperas, haud inepta. Inter omnes menthæ species, piperita fortissima, ideo ob excalcefacientem vim, haud sine circumspectione adhibenda.

D. Uncia ad libram aquæ in infuso. Aquæ Menthæ uncia, ad duas. In pulvere grana decem, ad duos scrupulos, sed rarius. Olei gutta (ad tres vel quinque) datur.

MENTHA PULEGIUM.

Мята сердечная; Полѣй; Блохогонка.

In locis humidis Europæ australis crescens. Cal. thymi; fol. punctata; bract. nullæ. Cl. et O. præcedentis. Perennis. *Usualis est:*

Herba, floribus verticillatis, incisis; cor. obtusis; foliis subovatis, dentatis, pilosis, parvis, breviter petiolatis; stam. corolla brevioribus. Permutatur cum Mentha arvensi, quæ tamen caule adscendente villoso, fol. majoribus, latioribus, ovatis, acutis, serratis; verticill. summis, congestis; stam. coroll. æquantibus, distinguitur.

Q. Ab oleo volatili pendens et pauxillo camphoræ. Odor fragrans fortis, non admodum gratus; sapor aromaticus cum amaritie levi.

V. Stimulans; stomacho apta; resolvens; menagoga; lactis secretionem minuens.

U. Spasmis durante menstruatione et in pertussi olim ab Anglis obponebatur, quem in finem succum ejus, ad unum cochlear commendavit Boyle. Infusum theæforme in asthmate laudatur (Chomel); infusum vero cum vino albo et ferro limato factum, pro certissimo emmenagogo habetur (Haller).

MENYANTHES TRIFOLIATA.

Trifolium fibrinum.

» » palustre.

Вахта трилистная; Трилистникъ водяной; Бобровникъ.

Pl. cor. hirsuta, stigmate bifido, caps. uniloculari, in locis paludosis et humidis pratis frequenter obvia. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Gentianeæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba seu folia, cuncta radicalia, petiolata, ternata, foliolis ovatis, obtusis, utrinque glabris, venosis, margine repandis, bipollicaribus, vel ultra, æqualibus, tenerioribus oblongis.

Q. Efficaciam principio extractivo amaro et tannino, quorum magnam tenet copiam, debet. Odoris nonnihil fatui; saporis amarulenti, adstringentis, nauseosi, maxime post anthesin. Extrahitur principium prævalens aqua, et imprimis alcohole.

V. Perseveranter stimulans; tonica; anthelminthica; diuretica; majori dosi emetica; alvum ciens.

U. In morbis, qui ab atonia ventriculi proveniunt, utile remedium, ita quidem, ut et remotioribus ex hujus labe pullulantibus vitiis medeatur; hinc hypochondriacis et hystericis, dyspepsia, inflatione, cardialgia, et id genus aliis laborantibus, adcommodum. Cum solventibus et aromaticis febri etiam intermittenti obponitur; ita et chlorosi, hydropisi, tussi humidæ, ictero, scorbuto et arthritidi. In Britannia succus ejusdem recens expressus, qui præter principium extractivum et tanninum albumen etiam continet, domesticum est apud ruricolas, in grassantibus fœdis primo vere exanthematibus scorbuticis. Buchanio teste, utilius is adhibetur ad stases abdominales reserandas, cum succis aliarum herbarum, qui ad unciam vel duas, cum vino vel tinctura quapiam stomachica, propinantur. Ulceribus scorbuticis purificandis etiam inservit. In morbis quoque cuticularibus curandis, puta: scabie etc. invaluit. Verminantibus puellis opem tulisse certiori fide pronunciatur. Britanni dum Zythum parant, persæpe amaritiei gratia, loco selibræ humuli lupuli, unciam foliorum Menyanthidis trifoliatæ dolio indunt. Extrinsecus per modum clysteris, Kæmpfii suasu, subterdatur, et laxis putridisque ulceribus adplicatur.

D. In substantia raro exhibetur a dimidio ad duos scrupulos, vel electuarii forma (contra vermes). Sæpius

paratur infusum ex uncia herbæ ad libram aquæ fervidæ, cujus duo cochlearia ter quaterve de die propinantur. Utrique formæ aromatica addi solent.

MOMORDICA ELATERIUM. Lin.

Cucumis asininus s. agrestis.

Дикой или ослиный огурецъ.

Tres notissimæ Momordicæ species dantur, haud multum qualitatibus discrepantes: Momordica Balsamica, M. Charantia et M. Elaterium. Ultima usui crebrius inservit; indigena enim est Europæ australis, virtuteque præstantiori gaudet; priores vero in Indiis Orientalibus crescunt. Cl. Monœcia. O. Monadelphia. O. N. Cucurbitaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Succus Elaterii spissatus v. *Extractum Elaterii* s. *Elaterium nigrum,* et Fæcula Elaterii s. *Elaterium album.* Fructus nempe, s. pepones Elaterii, ad duos pollices longi et unum crassi, cucumeri sativo non absimiles, setosi, maturi e flavo-virescentes, sponte, vel lenissime contrectati, rumpuntur, et succum referunt copiosum. Succus iste limpidus est et coloris expers, ast, quum per aliquod temporis spatium quieverit, fæculam s. sedimentum deponit, quod leni calore solis siccatum, colore griseo-flavescente tingitur, et massam sistit levem, friabilem, *Elaterium album* s. *verum* a Clutterbuck dictum, sed nunc rarius usitatum. Liquor autem supernatans, vel succus fructuum expressus, leni igne inspissatus, substantiam præbet siccam, saturate viridem, in fractura nitentem, saporis amari nauseosi, quæ *Elaterium nigrum* s. *venale* audit. Paris et Faraday, succum Elaterii spissatum chemice inquirendo, principium exinde novum extraxerunt, quod valide

in organismum agit. Principium hoc in succo reperitur, semina Mom. Elaterii circumdante. Tractatur nempe extractum s. succus spissatus cum alcohole purissimo; solutio evaporatur, et residuum aqua bulliente aliquoties abluitur; pars insolubilis remanens, *Elatinum*, vel *Elaterinum* s. *Elateria* vocatur, estque substantia resinosa, virescens, mollis, fragrans, odorem aromaticum spargens, aqua insolubilis, cum alcohole solutionem nauseosam constituens, aqua vero addita, denuo præcipitatur. In crystallos etiam abit, nullas tamen alcalium proprietates exerit; colorem nempe tincturæ heliotropii acidis rubefactæ non restituit, nec cum acidis salia format. Ex decem granis Elaterii venalis, aquæ 0,4; principii extractivi 2,6; fæculæ 2,8; glutinis 0,5; lignini 2,5; Elatini et principii amari 1,2, Paris et Faraday obtinuerunt. Ultima tamen analysi a Hennel et Morries instituta constat, Elatinum a Paris inventum non esse principium simplex, sed ex Elatino compositum et substantia viridi, resinosæ indolis, chlorophyllo, folia plantarum coloranti, haud absimili.

Q. Elaterium est coloris ex luteo-albi, in viridem tendentis, leve, in pulverem friabile, fere inodorum, amarum.

V. Elaterio drastico-cathartica inest, adhuc insignior, quam oleo crotonis. Effectus ejus cum hellebori nigri efficacia haud multum discrepant. Usum incautum hypercatharsis subsequitur, vomitus, stomachi et intestinorum tormina, et omnia signa inflammationem viscerum abdominalium comitantia. Orfilæ experimenta indicant, effectus ejus primitivos ab inflammatione et absorptionis negotio nimis adaucto provenire, atrocem influxum præsertim ad intestinum rectum terminari, et

tandem mortem sympathica nervorum adfectione induci. Elaterium insuper pollet virtute lotium copiosum movendi. Externe ad methodum endermicam adplicatum intensius agit, quam ori ingestum (Orfila).

U. Anglorum imprimis experientia, in hydropis variis speciebus inclaruit, quas, urinam et alvum abunde movendo, curat. Dr John Ferriar ex 20 hominibus, hydrothorace et ascite laborantibus, qui Elaterio utebantur, nullum perdidit; ideoque vix ullum remedium in hydropisi curanda Elaterio efficacius esse putat, id quod nobis etiam multoties experiri licuit. Asthmaticis, variisque resorptionis vitiatæ incommodis affectis, solatium præbere constat. Ad insultus febriles inhibendos, præmissa sanguinis detractione, nullum medicamen efficacius existimandum, quam Elaterium, idque ab $\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{4}$ partem grani bis terve nychthemeri spatio per aliquot dies repetendum (Clutterbuck), quo usu et vomitus et purgatio provocatur. Non est silentio prætereundum, a Dioscoride fructum, ut maxime efficacem, in insultibus maniæ et melancholiæ fuisse commendatum, et nostris temporibus eundem a Turcis contra icterum administrari. Si incaute et magna dosi adhibitum fuerit, camphora et coffea in parva dosi sæpius repetita, potus mucilaginosus, tinctura opii, sulphas magnesiæ in emulsione amygdalarum (ad delirium mitigandum), porro sanguinis detractio et hirudines conveniunt.

D. Elaterii albi octava pars grani ad quartam purgat violenter, imo vomituritione nonnunquam præcedente, quæ in universum in hydropis curatione actionem ejus incipientem indicat. Tincturæ vero Elatini spirituosæ tanta inest virtus drastica, ut guttula

ejus (tincturæ ex grano Elatini cum 96 guttis alcoholis purissimi) jam maximum effectum præstet. Hinc ejus usus, summam requirens cautelam, in praxi medica vix commendari potest. Ideoque Elaterium ad methodum Clutterbuck paratum, jure præferendum est, cujus octava quartave grani pars ab initio, et dein granum ad duo usque pro dosi dari possunt, variæ indicationis ratione habita. In hydrope cum aliis diureticis et præsertim cum chlorido hydrargyri copulatio fructum promittit. Notatu dignum est, recte observante Todd Thomson, drasticam Elaterii efficaciam minime obstare, quominus hydrargyrum, si in connubio illius porrigatur, systema glandulosum afficiat, æque ac dum solum per se exhibetur. Sprague remedium hoc, in pilularum formam cum sapone medicato redactum, sic exhibet, ut quævis pilula quartam grani partem Elaterii cum tantillo sulphatis potassæ et radicis zingiberis contineat, atque omni hora unam, donec alvus plene soluta sit, propinandam esse suadet. Ex saponis gr. octo cum Elaterii gr. duobus fit suppositorium, in apoplexia adhibendum.

MOSCHUS MOSCHIFERUS.

Кабарга.

Animal in montium Hymalayorum, Thibetum et Indiam dividentium, summo jugo multa nive perpetue tecto habitat. Regni quoque Tunquinensis (Asiæ orientalis), nec non utriusque Thibeti et montium Jablonoviensium incola. Timidum est, vitam solitariam agens, et omnem vicinitatem hominum summa cautione devitans. Surgit noctu atque huc et illuc vagatur, donec

in insidias venatorum incurrat. Cl. Mammalia. O. Ruminantia. *Usualis est:*

Moschus (*Мускусъ, Кабардинская струя*) substantia peculiaris, quæ secernitur in folliculo oblongo, duos circiter pollices longo et sesquipollicem lato, ad pubem maris, pone umbilicum ante præputium sito, binis exilibus orificiis prædito, et proprie glandulas præputiales constituente (Fischer). Substantia hæc animalis, grana simul concreta, aliquantulum unctuosa constituens, una cum folliculo siccata, sub Moschi nomine venalis prostat.

Q. Coloris est obscuri, quasi subrubicundi, in rubrum vergentis, odoris proprii, ambrosiaci, fragrantis. Latissime diffusibilis est odor Moschi, omnibus substantiis sese impertiens, quin hilum exinde patiatur detrimenti; in excretionibus hominum, qui Moscho usi sunt, cito evidens. Sapor amaricans, subacris. Aqua et æthere sulphurico plane dissolvitur, nec non alcoholi dotes suas concedit. Variis substantiis adulterari solet, et quidem: cruore coagulato, siccato et in frustula subacto; balsamo concreto styracis benzoës, oxydo plumbi, asphalto aliisque, quæ ob odorem penetrantem, illis a Moscho admisto communicatum, difficilia sunt detectu. Nonnunquam totus fere est artificialis. Moschus, qui e Sinensi Imperio, in folliculo unicæ suturæ, extrinsecus pilis albidis, distinctis munito, intus vero teneriori tunicula obducto, importatur, et super ferrum candens ustus, nullo fere cinere relicto, evanescit, optimus habetur. Tunquinensis eandem meretur laudem. Thiemann, instituta analysi, sequentia obtinuit: carbonatem ammoniæ, ceram, resinam, gluten, albumen, carbonatem potassæ, chloridum sodii et carbonatem calcariæ. Principium Moschi volatile e car-

bonate ammoniæ et oleo æthereo intime junctis componi videtur. Pfaff, analogia ductus, oleum æthereum suspicatus est; Gros autem extricavit ejus tantillum, quod Thiemannio, verosimile propter Moschi penuriam, quam sumpsit examinandam, obtinere non contigit. Ex infuso Moschi aquoso obtenta est substantia peculiaris, acidi debilis qualitates possidens ita, ut forsan acidum Moschi nuncupari mereatur (Schwartz). Præterea Guibourt et Blondeau ibidem elainum, steatinum, cholestrinum, gelatinam et fibrinam detexerunt.

V. Excitans; in cerebrum, medullam spinalem et nervos eximie agens, iisque languentibus calcar subdans; motus voluntarios, sensationem, imo cogitandi facultatem intendens, quin vasa hæmatophora nimis stimulet et excalefaciat; antispasmodica; diaphoretica; cardiaca.

U. Prima inter medicamina merito Moschus numeratur. In typho et plurimis morbis cum debilitatis charactere, ubi vis nervorum languet et universæ astheniæ signa certo periculo minantur, systema nervosum stimulando et erigendo, suppetias fert; hinc accedentibus tendinum subsultibus, singultu, convulsionibus, sub micatibus arteriarum parvis, celeribus, cute arescente pallescenteque, antispasmodica et leniter stimulante vi opitulatur. In pneumonitide asthenica, ubi cætera remedia incassum adhibita fuerint, Moschus debito tempore et congrua dosi datus, juvat. In asthmate spasmodico, aliquando in connubio assæ fœtidæ, ammoniaci vel valerianæ, maxime prodest. In pertussi, ubi nulla adsint inflammationis symptomata, adcommode datur cum narcoticis sedantibus, ut opio, belladonna, etc. In febribus exanthematicis, exanthemate ob virium defectum retrogrado, vel vehementibus spasmis, aut

mania, ex eadem causa conspicuis, præsentaneum habetur remedium in Moscho, cui haud raro parvas camphoræ doses addere licet. In convulsionibus variis sine febre valde utilis est; sic in epilepsia Moschum multum proficere, THOMSON testatur, præsertim si chlorido hydrargyri nuptus, atque larga dosi, sæpius repetita, propinatus fuerit. Risui sardonico, trismo infantum, tetano, catalepsi, hysteriæ, nec non cardiopalmo mere nervoso, et apoplexiæ ejusdem indolis Moschum mederi, multorum experientia constat. SACHSE et WIGAND testes sunt, anginæ membranaceæ (croup) discrimen commode auferri posse Moscho cum chlorido hydrargyri administrato. Idem choleræ Indicæ vomitum compescit et tormina. Podagræ retrocedenti remedium est, et gangrænæ senilis progressui obicem ponit, externo ac interno usu, vel per se, vel prout necessitas inciderit, ammonia, opio, aut aliis nuptus. Forma enematis auxilium fert infantibus, dentitionis tempore, convulsionibus correptis. Grassantibus Upsaliæ variolis admodum funestis, LINNÆUS Moschum collo liberorum suorum appendit, quo impetravit, ut a pestifero hoc malo, quod omnes e vicinia puellos abripuit, soboles ejus intacta permanserit. Hanc beneficam ejus vim etiam D. OPITZ et WICHMANN experiundo confirmavere.

D. In febribus nervosis et putridis, in vehementibus spasmis et convulsionibus, gangræna etc. quavis semihora 3—6—8—10 grana in substantia cum vino, vel in infuso aromatico dantur. HORN tincturam corticis cinnamomi, ut vehiculum maxime idoneum, commendat. GREGORY in nervosis adfectionibus refractariolis ad semidrachmam propinavit. Pueris in typho cum variolis, morbillis, scarlatina etc., secunda quaque, vel quavis hora, pro mali ratione, 1—2—3 grana. In

substantia plerumque exhibetur Moschus per se cum saccharo, vel in quolibet vehiculo idoneo; vel alia cum eo conjunguntur stimulantia, ut assa fœtida, camphora, serpentaria, valeriana, opium.

MYRISTICA MOSCHATA.

Мушкатное дерево.

Arbor procera Indiæ Orientalis, in insulis Moluccensibus et Antillanis, uti etiam in Sumatra, Banda, Bencoolen, Cochin China et Australia copiose crescens. Cl. Diœc. O. Monadelph. O. N. Myristaceæ. *Usualia sunt:*

Fructus (vulgo *Nuces moschatæ, Мушкатные орѣхи*) globosi, elliptici, dimidium circiter pollicem longi, extrinsecus sulcis et venulis reticularibus distincti, coloris fusci dilutioris, hinc inde albescentis; intus vero coloris rubri dilutioris cum fusco-rubro, marmoris ad instar variegati; ponderosi, unguinosi; odoris peculiaris, grati, valde aromatici; saporis parimodo aromatici. Arilli (vulgo *Macis, Мушкатный цвѣтъ*) seu cuticula nucem investiens, sesqui pollicem longa, ad extremitatem fimbriata; dum recens coloris est læte purpurei, siccata autem, qualis in commercio prostat, coloris cinnamomei, plus minusve flavescentis, odoris et saporis valde aromatici, fragrantis. Oleum expressum *(Oleum Nucistæ moschatæ)* paratur in India Orientali, estque unguinosum, compactum, e fusco et albo variegatum, fragrans; in æthere sulphurico solubile, et pellucidam referens solutionem, quo a sebo, dolose substituto, dignoscitur.

Q. Partes constitutivæ Nucis moschatæ sunt: oleum æthereum, oleum pingue fluidum, substantia adiposa, extractum gummosum, resina unctuosa, et parenchyma.

V. Fructus et Arillorum excitans; carminativa. Olei expressi demulcens.

U. In debilitate organorum concoctionis, absente febri, aliis remediis jungitur. Usui præterea culinari inservit.

D. Nux moschata et Macis exhibentur adulto a granis quinque ad scrupulum pro dosi. Oleum æthereum porrigitur a guttis duabus ad quatuor. Oleum expressum ceratis vel linimentis rarissime additur.

MYROXYLON PERUIFERUM.

Перуанникъ; Перувіанское бальзамное дерево.

Arbor pulcherrima, calidissimarum Americæ australis provinciarum incola, in montibus Panatalmas, silvis Puzuzu, Muna, Cuchero, Paxaten, et multis aliis locis prope Maranon, seu Amazons, seu Orellana, fluviorum maximum, crescens, et mense Augusto, Septembri et Octobri sese floribus induens. Ab Indis *Quinquino*, *Hoitziloxitl* vel *Cabureiba* vocatur. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Leguminosæ. *Usuale est:*

Balsamum Myroxyli (vulgo: *Balsamum Peruvianum*, *Перувіанскій бальзамъ)*, consistentiæ syrupi, fuscum seu subnigrum, guttis diaphanis; aquæ bullienti instillatum, una parte fundum petit, altera supernatat. Verum exsiccari nequit modo aliorum balsamorum, sed retinet oleosam indolem. *Nigrum*, de quo hic agitur, ex foliis ramisque arboris excoquitur; *album* vero, sponte e cortice trunci ac ramorum exsudans, vix unquam sincerum ad nos adfertur, et a balsamo tolutano, toluiferæ balsami producto, difficili negotio discernitur. Non raro adulteratur balsamo copaivæ, terebinthina,

oleis pinguibus, cera et balsamo artificiali. Balsamus copaivæ proditur, si addito acido sulphurico concentrato, calor et effervescentia vaporumque male olentium exhalatio procreatur. Terebinthina cum acido sulphurico eandem effervescentiam manifestat, præterea supra ferrum candens odorem terebinthinaceum spargit. Cum oleis expressis vel cera commixtum, si calefiat, oleum expressum vel cera supernatant, balsamum vero fundum petit.

Q. Odoris est suaveolentis, vanillæ aromaticæ similis, aut grate benzoini; saporis calefacientis, acriculi, amaricantis. Secundum analysin, a Stoltze institutam, partes constitutivæ sunt; olei peculiaris 69,0; resinæ fuscæ parum solubilis 2,4; resinæ fuscæ facile solubilis 20,7; acidi benzoici 6,4; materiæ extractivæ 0,6; jacturæ 0,9. Lichtenberg, cum acido nitrico balsamum hoc destillando, acidi hydrocyanici tantillum obtinuit.

V. Excitans volatilis; excalefaciens, in vasa agens et nervos; diaphoretica; lotium movens.

U. Emulsionis forma obponitur profluviis variis mucosis, præsertim blennorrhœæ secundariæ. Antiqui laudabant illud etiam in dysenteria et phthisi pulmonali, ubi multa muci secretio est; in enterodynia vero plumbea, a 20 ad 30 guttas ter de die cum saccharo Sydenham id exhibuit. Promittit utilitatem, læsis tendinibus, vel nervis, dum leniter calefactum vulneri instillatur; ulcera sordida depurat. Abusus ejus facile provocat inflammationes, congestiones, carnem fungosam, aliaque incommoda.

D. Guttæ sex ad triginta, sæpius de die, cum vitello ovi, vel saccharo.

MYRTUS PIMENTA.

Миртъ пряный Индъйскій.

Arbor in America australi, Indiis Occidentalibus, præcipue in parte septentrionali insulæ Jamaicæ proveniens. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Myrtaceæ. *Usuales sunt:*

Baccae, di-seu tri-spermæ, globosæ, magnitudine pisi sativi, fuscæ, rugosæ (vulgo *Piper Jamaicense, Ямайскій перецъ).* Permistæ fuerunt cum fructu Menispermi Cocculi (vulgo seminibus cocculi), quod nos circumspectos esse oportere docet.

Q. Odor fragrans, gratus; sapor aromaticus. Baccæ, secundum analysin, quam Braconnot fecit, constant ex amylo, oleo valde acri, substantia cerea cum principio tingente rubro, materia peculiari gummosa, substantia animali, citrate potassæ, chlorido potassii ac phosphate potassæ, nec non residuo insolubili.

V. Stimulans; stomachica; excalefaciens.

U. Condimentum blandum ciborum. Aliis aromaticis, carioris pretii, ut nuci myristicæ moschatæ, cortici l. cinnamomi, gemmis floriferis eugeniæ caryophyllatæ, recte subrogatur in praxi militari.

D. Grana quinque ad scrupulum.

NICOTIANA TABACUM.

Табакъ; Тютюнъ.

Planta perennis in America; annua vero apud nos, cultuque frequens; in Fennia usque ad 63° hinc inde seritur. Anno 1650 e Virginia Americæ in Europam adlata. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ. *Usualia sunt:*

Folia, lanceolato-ovata, sessilia, decurrentia. Permiscentur cum foliis Nicotianæ macrophyllæ, — fruti-

cosæ, — rusticæ, — panniculatæ, — glutinosæ, et aliis, virtute ei analogis, speciebus.

Q. A peculiari principio narcotico-acri derivanda. Odore gravi, peculiari, ingrato; sapore vero acri, nauseoso conspicua. Optima est Nicotiana Marylandica; ad hanc proxime accedit Virginiana et Kentuckyensis; Hungarica parimodo magni æstimatur. Secundum analysin, a VAUQUELIN institutam, folia Nicotianæ Tabaci continent albumen vel gluten, malatem calcariæ, acidum aceticum, nitratem potassæ, chloridum potassii, hydrochloratem ammoniæ, materiem rubram in alcohole et aqua solubilem, fæculam viridem et substantiam peculiarem, cui planta omnes debet virtutes, *Nicotinum* appellatam. Nicotinum coloris expers est, acre, tabacum olens et sternutationem provocans violentam, volatile, venenatum, in aqua solutum addita tinctura gallarum fundum petens. Duo principia venenata in Nicotiana BRODIE observavit: 1) Nicotinum in cor agens, et 2) oleum, quo cerebrum vehementer adficitur. Principium Tabaci volatile, a HERMBSTÄDT *Nicotianinum* nuncupatum, valde est diversum a Nicotino. Nuperrime POSSELT et REIMANN exactis inquisitionibus comprobarunt, Nicotinum et Nicotianinum reapse existere, et Nicotinum alcalinæ esse indolis, virtutem vero plantæ ab hoc et Nicotianino esse derivandam.

V. Pro ratione dosis narcotica; errhina; sialagoga; emetica; drastico-cathartica; diuretica; azotica. Utrumque principium narcoticum Tabaci acerrimum est venenum; folia etenim ori ingesta, vel externe applicata, vel sub forma fumi hausta, nauseam, cephalæam, vomitum, faciei pallorem, debilitatem, tremores, nonnunquam convulsiones aliaque hujus notæ symptomata

excitant in hominibus non assuetis. Oleum meatui auditorio instillatum vitam tollit.

U. Folia forma infusi in adfectionibus spasmodicis, pertussi, hydrope, dysuria, nec non aliquando in asphyxia, auxilio fuisse perhibentur, idque vel injecto clystere, vel fumo. Gravis autem est error, quem hucusque multi committunt, vitam submersorum tabaci fumo revocare cupientes; hac enim methodo, plane reprehendenda, ultima, quæ restat adhuc, cordis actio pessundatur. In tetano utile est remedium, quin etiam hydrophobicæ convulsiones, quæ per viginti circiter horarum spatium durabant, sopire mihi contigit clysmate tabacino cum oleo terebinthinæ ingesto. Retentioni urinæ tinctura subvenit, imo in spasmodica intestinorum adstrictione, alvo pertinaciter compressa, ileo, aliis incassum adhibitis remediis, hoc commendari meretur. Externe in psora, herpete, tinea, cum aqua saponacea et carbone pulverato infusum Nicotianæ Tabaci recte conjungitur. Caute adhibitum phthiriasin propulsat. Eclampsiam infantum sub dentitione, cæteris frustra tentatis, clystere subterdato curatam fuisse perhibetur. Quam sit adcommoda strumis Nicotiana, Everarti aliorumque experimentis constat. Pulvis ejusdem, ubi sternutamenta provocare expedit, efficax; assuefactis tamen idem irritus. Masticata folia odontalgiam sedant, in ore vero retenta classiariis adversus stomacacen præsidio sunt.

D. Drachma foliorum ad octo uncias aquæ pro infuso, cujus cochlear mensuale ter aut quater in die exhibetur. Vinum Nicotianæ ex uncia foliorum siccatorum et libra vini Hispanici albi paratur, cujus guttæ 10—30 ex quovis idoneo vehiculo ter quaterve in die

dantur. Infusum ex uncia foliorum cum libra aquæ, additis spiritus vini unciis duabus, Fowler laudat in hydrope, et suadet, ut 40 ad 100 guttæ adscendendo propinentur. Notandum tamen, remedium hocce heroicum, ob atrocem ejus efficaciam, nonnisi rarissime intus esse exhibendum; extrinsecus etiam adplicatum summam requirit cautelam.

OLEA EUROPÆA.

Масличина Европейская; Оливковое дерево.

Arbor Europæ australis (in Chersoneso Taurica), Asiæ et Africæ borealis; racemis axillaribus coarctatis, foliis lanceolatis integerrimis; semper virens. Cl. Diandria. O. Monog. O. N. Oleaceæ. *Usualia sunt:*

Fructus *(Oliva)*; Oleum *(Oleum Olivarum) Оливковое масло,* expressione e drupis recentibus fere maturis, et sollicite olivitatis tempore decerptis, paratum, estque blandum, subflavum, pellucidum, non nimis unguinosum. Optimum, quod in oliviferis arvis meridionalis Galliæ ac ditione Genuensi colligitur, et ex Italia præprimis illud, quod a Lucca et Florentia denominatur, pro usu interno præferendum. Ætate rancescens, acre fit, eoque citius, quo calidiore loco (aëri expositum) reponitur. Ut illi aliisque expressis oleis albedinem concilient, rancoremque corrigant, olivitores et negociatores, nefario ausu in vasis plumbeis planis per aliquod tempus illa digerunt, quo soluta parte plumbi inquinata, usui interno damnosa fiunt. Fraus detegitur eo, quod vitiatum magis decolor sit, dulcius et unguinosius naturali. Si æqua aceti destillati portio eidem addatur, atque conjunctim agitetur, separato

autem aceto aqua hydrosulphurata adjiciatur, nigrum sedimentum præcipitabitur. Commiscetur præterea cum aliis oleis expressis, ut oleo papaveris (quod intensiore frigore congelatur, flammaque ardet minus læta), o. lini, quod sapore dignoscitur. Bonum ad 0° R. congelascit.

Q. Oleosa; saporis grati; odoris vix ullius.

V. Involvens; emolliens; alvum liquans; largiori copia, emetica; anthelminthica.

U. Olei olivarum in dysenteria, tenesmo (in connubio opii et gummi acaciæ veræ), in nephritide, enterodynia saturnina, obstructionibus alvi pertinacibus, et id genus aliis, sæpius respondet. Acrium stomacho vel intestinis incaute insertorum, vim noxiam (involvendo) frangit. Vermibus quoque officit. Extrinsecus calidum corpori frictione admotum, donec sudor motus fuerit, siccitati, duritiei telæ cellulosæ obponitur. Hydropisi profligandæ, herniarum incarceratarum, et articulorum luxatorum repositioni, partui difficili sublevando, corporibus heterogeneis in gula hærentibus extrahendis, catheteri applicando, imo operationibus chirurgicis cultri ope peragendis, favet. Pestilentiam et febrem americanam flavam præpedit, scilicet: inunctiones cum eo sub levi (in tota corporis superficie) fricatu institutæ, efficaces inventæ (Baldwin). Morsiunculas apum, vesparum, aliorumque insectorum, imo ictum ipsius viperæ oleo hoc mitigari, quidam Medici perhibent. Adustis, vulneribus valde dolentibus, loco aliorum unguentorum adplicatur.

D. Vel ipsum oleum per se unciatim datur, vel forma emulsionis ad demulcendum cum aqua, ope mucilaginis gummi acaciæ veræ.

OLIBANUM.

Thus.

Ладонъ.

Resina vegetabilis, mucilaginosis partibus intermista, arboris cujusdam orientalis, hucusque nondum determinatæ, productum. Nonnulli ex Junipero Lycia, alii ex Junipero thurifera, Roxburgh vero ex Boswellia serrata, quæ Colebrookio est B. thurifera, eam desumi adseverant.

Olibanum ex India Orientali, Arabia, Æthiopia, Ægypto in Europam advehitur in frustis ovato-oblongis, utrinque obtusis, magnitudine nucis juglandis, vel ovi columbini, solitariis, vel aggregatis, subdiaphanis, pallide lutescentibus, extrinsecus farinosis, lævibus, fragilibus. Variis aliis resinis pretii minoris permiscetur.

Q. Gummeo-resinosa; prunis injectum, odorem spargit fragrantem, aromaticum. Saporis est balsamici, subamari; in alcohole majori ex parte solvitur. Braconnot ex Olibano obtinuit: olei fragrantis volatilis 8,4; resinæ 56; gummi 30,4 et materiæ peculiaris, aqua et alcohole insolubilis 5,2.

V. Stimulans; extrinsecus discutiens.

U. Obsoletum est remedium. Extrinsecus forma suffitus adhibetur ad discutiendos tumores; ob gratiam odoris pulveribus suffitum constituentibus additur.

ORCHIS MORIO.

O. Mascula; — Militaris; — Latifolia; — Bifolia.

Ятрышникъ; Кукушкины слёзы.

Plantæ in Ruthenia et in variis Europæ partibus, in silvis pratisque frequentes, corolla peculiari subtus longe calcarata a cæteris distinctæ. Cl. Gynandr. O. Diandria. O. N. Orchideæ. Perennes. *Usuales sunt:*

Radices, (vulgo *Radix Salab* vel *Salep)* bulbi variæ magnitudinis, ut plurimum subrotundi seu ovales, rarius palmati. Qui pro bonis habentur, sunt semipellucidi, colore gaudent stramineo, superficie sublacunosa et aspera, figura seminum theobrom. cacao. In India Orientali in solo macriori, postquam caulis marcescere cœpit, collecti et in primis ex Malabria adlati, longa serie filo albo transacti, veneuntes, majores sunt et usitatiores. Pulli, cariosi, levesque rejiciendi sunt. Bunii Bulbocastani radices interdum illis substituuntur, et pondere leviori et substantia minus compacta ac dura, discernendæ. Meminisse hic juvabit, Salep Gallicum nil aliud esse, ac pulverem ex farina Solani tuberosi obtentum.

Q. Eximia mucilaginosa. Præter mucilaginem radices continent fibram ligneam et oleum æthereum paucum, siccatione avolans.

V. Nutriens; obvolvens.

U. In phthisi et febri hectica, pulvis Orchidis aqua vel lacte calido subactus, ut pulmentum, cochleatim sumitur; forma decocti prodest in diarrhœa, dysenteria, stranguria et dysuria. Infantibus, sine lacte nutriendis, mucilago quoque ex eadem fit.

D. Scrupuli duo radicis Salep (vel si opus est decocto spissiori, drachma) cum sufficienti aqua ad colaturam libræ unius coquuntur; decoctum unciatim exhibetur.

ORIGANUM VULGARE.

Душица обыкновенная; Материнка.

In locis montanis, nemorosis, siccis, et ad margines dumetorum creberrima. Cl. Didynam. O. Gymnosperm. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis obpositis, ovatis, spicis obrotundis, panniculatis, conglomeratis, bracteis cal. brevioribus, ovatis, coloratis.

Q. Odor proprius fragrans; sapor acriculus, subamarus, aromaticus. Secundum Dörffurt ex herba erogatur $\frac{1}{64}$ pars olei ætherei, quod vetustum crystallos demittit camphoræ similes.

V. Nervina; stimulans; emmenagoga.

U. In asthmate tussique, sine febre, virtus ejusdem explorata; in phthisi quoque pituitosa a quibusdam cum successu exhibebatur; nec minorem feminis, quibus sanguis per menstrua non respondet, præstitisse utilitatem fertur. Frequenter ad epithemata discutientia et balnea roborantia recipi solet in œdematibus aliisque malis similibus.

D. Pro infuso drachma ad colaturam libræ.

ORYZA SATIVA.

Сарацинское пшено.

Primitus in Æthiopia, tandem in Italia, Hispania, Hungaria et Turcomannia (non supra 47°) sat frequens. Cl. Hexandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina oblonga, farinosa, compresso-convexa, utrinque obtusa, alba, semipellucida, subsulcata.

Q. Mucilaginosa, farinacea, insipida. Amylo semina scatent.

V. Nutritoria; involvens; leniter adstringens.

U. Præter cibarium, in diarrhœa, dysenteria et atonia ventriculi forma decocti laudatur. Tartariæ incolæ spiritum Arak dictum, Japones potum vinosum

Sacki, Siamenses potum Lau, Chinenses Show-choo et Cha ex Oryza parant; in Indiis Orientalibus ex seminibus Cange fit.

OVIS ARIES.

Aries domesticus.

Баранъ; Овенъ; Овца.

Ubivis in Rossia, præcipue vero in temperatioribus ejusdem oris, frequentissimum animal. Cl. Mammalia. O. Bisulca. Pecora. *Usualis est:*

Adeps ovilla *(Sevum ovillum)*, pinguedo scilicet solida, ex omento nec non ex adiposis capsulis, præsertim renalibus atque lumbalibus animalium horum eliquata. Adeps recens est inodora, albi coloris, blandi saporis, firma, eaque usui medico aptissima. Venalis, nisi hujusmodi foret (dummodo recens sit) purificanda, quamobrem, membranis, venulis, fibrisque omnibus demtis, tamdiu abluatur aqua, donec nil amplius cruenti effluat; demum, concisa in frustula, liquefiat atque per linteum coletur. Rancida, coloris flavescentis, vel a vasis cupreis virescens, rei medicæ inepta.

V. Emolliens; relaxans atque lubricans.

U. Inservit ad paranda unguenta, emplastra, linimenta etc.

PAPAVER SOMNIFERUM.

Макъ усыпительный, или обыкновенный.

Planta, 2—4 pedes alta, foliis amplexicaulibus, incisis, glaucis, in Persia, Arabia, Turcia, Ægypto, et apud nos in provinciis Derbent ac Erivan copiose crescens. Europæ hortensis, quoad adspectum simillima est illi, quæ in regionibus orientalibus sponte pullulat, sed vir-

tute medica minus potens, quod in natura soli et cœli tepore positum esse videtur. Cl. Polyandr. O. Monogyn. O. N. Papaveraceæ. Annua. *Usuale est:*

Opium, succus lacteus, e capsulis seminalibus, antequam plenam assequantur maturitatem, incisis stillans, aëris tepore durescens, et absorpto oxygenio ex fusco-rubescentem induens colorem. Tali ratione obtentum, Lacryma Opii dictum, purissimum habetur, sed non semper merum nobis importatur. Quod vero in Europam ex India Orientali, Arabia, Persia, Ægypto, aliisque adfertur regionibus, capsulas seminales exprimendo et decoquendo paratur. Obtinetur Opium tertia adhuc ratione, totam decoquendo plantam, qua expressa, liquor moderato calore densatur, donec duram referat massam. Extractum hoc, Meconium veteribus dictum, nunc vix aut ne vix quidem in usum medicum ducitur. Opium, quod venale prostat, ex omnibus quadam proportione mixtis compositum esse, vero videtur simillimum. Advehitur in placentis subrotundis, plerumque planis, unciarum quatuor vel libræ pondus raro excedentibus, quæ, ne sibi invicem adhæreant, Papaveris vel Rumicis Orientalis foliis obducuntur et seminibus Rumicis consperguntur. Usuales sunt etiam Capsulæ seminales immaturæ, vulgo *Capita Papaveris.*

Q. Massam exhibet duram, quæ digitis contrectata mollescit; coloris est fusco-rubescentis; odoris penetrantis, nauseabilis, obstupefacientis; saporis initio amariusculi ingrati, dein nauseosi, acris, pungentis, urentis. Bonæ notæ est Opium, quod sub cultro non stridet, sed in fragmenta dilabitur; flammam facile concipit, eaque alba consumitur; in fractura nil alieni, nisi salis volatilis vestigia, manifestat; manducatum salivam colore virescente tingit, eamque spumosam reddit. Re-

jiciendum est, ut usui medico ineptum, quod coloris est fusco-nigricantis, saporis et odoris debilis, vel quod arena, extracto lactucæ vir., glycyrrhizæ aut chelidonii permistum est. Tale interdum adfertur ex Indiis Orientalibus, et quoad aspectum cum genuino vel maxime convenit, ab eo tamen partium constituentium mixtione ac virtute longe distat.

Eximia Opii virtus tantam Chemicorum commeruit attentionem, ut analysi ejus, efficaciæ causam investigando, summam dederint operam; huic studio, per viginti et quod excurrit annorum spatium, intenti, permulta principia ad hoc usque tempus incognita compererunt; nec desperandum, fore aliquando, ut his notionibus aliæ accedant, naturam Opii clarius extricaturæ. Novissimis temporibus accuratiorem ejus disquisitionem Bucholz, Derosne, Sertuerner, John, Robiquet, Pelletier, Couerbe, Buchner aliique susceperunt, quæ, etsi plene ex voto non cesserit, virtutem tamen Opii, majoribus nostris ænigma, multum dilucidavit. Partes illud constituentes præcipuæ, secundum Thomson, sunt: materies oleosa, gummi, bassorinum, resina, extractivum amarum; quinque salia crystallisationis capacia, nempe: morphia, narcotina, codeia, meconina, narceia; duo acida: meconicum et aliud adhuc innominatum; sulphas calcariæ et potassæ, alumina et ferrum. Opium Turcicum continet præterea glutinis speciem et substantiam materiæ cautschuc similem.

V. Heroica; pro ætate, sexu, habitu corporis ægroti, et dosi medicamenti, varia. Vis Opii narcotica a virtute aliorum remediorum sedantium eo potissimum differt, quod hæc musculorum et totius nervorum systematis vigorem mox deprimant et vitam ictus electrici ad instar extinguant; Opium vero primitus excitet, dein

jam universum virium languorem et somnum inducat. Systemati hæmatophoro stimulum addit, micatus arteriarum reddit pleniores, cutis perspirationem promovet, et secretiones in glandulis muciparis membranisque mucosis minuit. Hinc, minori dosi ingestum, hilaritatem, veneris desiderium, et ad obeunda munia vigorem gignit; si vero dosis major fuerit, fugax oboritur mentis alienatio; ast hæc Opii virtus, interjectis quatuor vel octo horis, serius vel citius, pro ratione assumptæ quantitatis, defervescit; tunc subsequitur languor, animi ægritudo, tristitia, morositas, pulsus fit debilis, apparet vomendi conatus, somnolentia, aliaque symptomata, vires organismi exhaustas indicantia, quæ diutius persistunt quam irritationis phænomena, e quibus pedetentim emergunt. Usus largior et protractus adfert maciem, vires frangit, stuporem et apathiam tantam inducit, ut liguritores Opii, nonnisi viribus nova dosi restauratis, vix in publicum prodire audeant. Qui nimiam dosin assumunt, apoplexia vel asphyxia supremum obeunt fatum. Ex his, quæ modo dicta sunt, patet, a prudenti Medico, pro vario scopo eliciri posse effectum vel excitantem, volatilem (qui diutius sustineri potest, exigua dosi tunc repetita, cum prioris actio desinere inceperit), vel pacantem, antispasmodicum, somniferum.

Variis partibus Opii constitutivis auctores diversam conati sunt adscribere virtutem; sic narcotinæ narcoticam, morphiæ somniferam, codeiæ pacantem, aliisque aliam: id tamen extra dubitationis aleam positum est, nullam ex illis virtute ipsi Opio, a natura condito, esse æquiparandam; illudque singulis merito præfertur. Tinctura omnes activas partes solutas continens, eidem proxime accedit. Extractum

aquosum minus excitans et magis sedans a nonnullis habetur.

U. Priusquam singuli casus, Opii usum exposcentes, memorentur, generatim notandum, illud congruum esse remedium, dum systema nervorum excitatum, hæmatophorum vero depressum est. Alienus autem est illius usus: plethoræ et diathesi inflammatoriæ, hinc primo febrium stadio; sordibus in tubo intestinali latentibus; statui morborum putrido.

In pleuritide et pneumonitide, præmissa larga sanguinis missione, tussi et agrypnia remanentibus, auxilium in Opio, chlorido hydrargyri ac tartrati stibii et potassæ juncto, esse quærendum, multorum experientia constat. Simili in connubio porrectum, sublata jam inflammationis vehementia, curandis ophthalmis confert. In adfectionibus rheumaticis, tum acutis quam chronicis, salutarem Opii virtutem experiundo didicimus. Sic etiam mitigandæ podagræ, quin imo, majori dosi datum, retrogradæ interdum revocandæ, par est. Febris intermittentis paroxysmum, majorem Opii dosin hora prævia exhibendo, vel breviorem reddi, vel plane præcaveri posse, Sydenhamus, omnium primus, expertus est; dum vero chlorido hydrargyri jungitur, ad profligandas febres tertianas, cinchonæ, disulphati chiniæ et arsenico reluctantes, optime convenit. Actionem cordis arteriarumque incitando, passivas ad caput congestiones impediendo, et æquilibrium in toto sanguinis circuitu restituendo, Opium fieri remedium febrifugum, est quidam explicationis modus, rationi maxime consentaneus. In febribus continuis usus ejusdem ab omnibus non est receptus: debita tamen dosi, hypnotico scopo idoneum est; hac enim ratione, quin ullus pa-

canti effectui prægrediatur stimulus, somnus conciliatur ægroto. Pervigilium, diarrhœa, subsultus tendinum et debilitas, quæ in febribus typhodibus observantur, Opii usum exposcunt; invadente vero delirio furibundo, vel prævalente diathesi inflammatoria, leniendo morbo alienum est: convenit tamen dum delirium mite est, et in connubio cum ammonia, vino præfertur. Commendatur in variis exanthematibus, præcipue vero in variolis confluentibus, nec non in rubeola maligna, symptomatibus typhodibus stipata. In hæmorrhagiis a debilitate, absente febri, tonicis nubitur et adstringentibus. Pulvis e grano, vel duobus Opii, cum sex, vel octo, chloridi hydrargyri, omni octava hora porrectus, prodest in blennorrhœa virulenta. Multifaria comprobatum est experientia, bichloridum hydrargyri, Opio junctum, multo efficaciorem in debellanda syphilide virtutem exerere, quam si solum per se exhibeatur; tali enim additamento narcotico sensibilitas ventriculi et intestinorum multum imminuitur, et varia incommoda hydrargyri usum concomitantia avertuntur, quo fit, ut præparatum hoc tutius administrari queat. Eximia est vis ejus, in connubio cum sulphure, ad tollendas adfectiones ex abusu hydrargyri, arsenici vel plumbi remanentes, evacuatis ante hoc evacuandis; hinc summa ejusdem utilitas in sistenda sialorrhœa mercuriali elucet. Polypi vaginæ, narium, et meatus auditorii, diutius tinctura Opii illiti, fatiscunt et exsiccantur. Magna ei vis est in cohibendis variis profluviis: ita, subductis prius cruditatibus, in diarrhœa, dysenteria, vomitu et cholera; prodest quoque in diabete mellito, ubi largiores interdum fas est porrigere doses. Effrænum ischiatici mali dolorem pacavit Boerhavius, virtutem Opii ipse expertus. Insignis porro ejus po-

tentia est in sopiendis convulsivis spasticisque morbis, puta: epilepsia, chorea, delirio tremente, trismo, tetano et catalepsi; scire tamen licet in hisce et aliis ejusdem naturæ morbis, non raro præmittendas esse sanguinis missiones et alvi evacuationes, atque parvis curam inchoando dosibus, ad largiores ascendendum; sic, sensim augendo dosin, in delirio tremente grana sex vel octo (quin imo scrupulus), spatio nychthemeri cum successu consumuntur. Præstans est remedium ad pacandas nervorum turbas, quæ in hystericis et hypochondriacis occurrunt, dum flatus urgent, unde cardiopalmus, anxietas, asthma, suffocationis sensus, et dolores vagi oboriuntur. In morbis spasmodicis, instante spasmo, aut brevissimo ante ejus accessum intervallo, sumendum esse, magni nominis viri suadent. Dum dolores ex idiopathica nervorum affectione ortum ducunt, vel cum suppressa cutis functione conjuncti sunt, tum Opium iisdem convenit: ast ubi sympathica adfectione consistunt, inducias duntaxat pacisci licet, quo doloris causa congruis remediis tolli queat; nam defervescente remedii potentia, malum itidem recrudescit: nihilominus pretiosissimum est medicinæ fulcrum ad conciliandum solamen ægrotis, qui morbis vexantur desperatis, inter quos cancer, phthisis et vomitus chronicus numerantur.

Indicia Opii, clandestino ausu dati, vel ex tædio vitæ magna copia adsumpti, non adeo sunt ambigua, ut causa, cui originem debent, in dubium unquam vocari possit. Produntur hæc potissimum temulentia cum delirio, sopore vel et convulsionibus, pruritu cutis, sudore Opium spirante, facie tumente rubenteque, pulsu veloci et dyspnœa; quo in casu, nisi toxicum ejiciatur, aut congrua antidoto omni festinatione conflictanti suc-

curratur, ille mox somno gravatur, in horrendas convulsiones ac lethalem soporem desituro.

Opio potionatis, ob veneni vehementiam et promptam actionem, quam citissime succurrendum; quamobrem antidota ex iis, quæ in penu domestico habentur, sine mora exhibenda sunt. Vegetabilia tanninum continentia huc spectant; hinc infusum theæ boheæ, vel gallarum quercus saturatius, copiose porrigendum, unaque simul faucium titillatione, pluma oleo madefacta, vomitus excitandus. Carbonas vel magnesiæ vel sodæ, si præsto est, pari ratione convenit. Congestiones sanguinis ad caput ablutionibus frigidis, ex aqua per se, vel cum aceto, hirudinibus pone aures applicitis, vel vena in collo aut brachio incisa minuantur. His interim factis, si vomitus necdum insequutus est, tandem exhibeatur emeticum, vel ex sulphate zinci (scrupulus ad drachmam in tribus aquæ destillatæ unciis solvitur, et singulis 10 minutis cochleatim datur), vel e sulphatis cupri granis decem, vel e radice ipecacuanhæ cum tartrate stibii et potassæ. Si vero emeticum eliminando toxico, magna in quantitate deglutito, impar esset, ad syringem bivalvatam, Anglis stomach pump dictam, confugiendum, ejusque adminiculo ventriculus eluendus. Tandem infusum coffeæ tostæ, et, ad refocillandas vires, guttæ 10 ad 15 ammoniæ liquidæ, aqua saccharata exceptæ, propinantur.

D. Quantitas pro dosi exhibenda, ratione climatis, ætatis, sexus, idiosyncrasiæ et habitus ægroti differt. Infantibus præscribitur dimidium guttæ tincturæ Opii simplicis, vel ad maximum gutta integra pro dosi. Adultis sub initium datur $\frac{1}{4}$ grani, usque ad granum integrum Opii puri, vel guttæ 20 tincturæ ejusdem, quæ grano æquantur. In morbis chronicis ægroti facile adsuefiunt

Opio, hinc doses pedetentim augendæ sunt. In morbis, qui vitæ lethali minantur discrimine, ut tetano, trismo, catalepsi, ad scrupulum usque exhibitum fuisse constat. Interdum granum vel plura singula semihora vel hora repetuntur, atque per vices cum variis stimulantibus, uti camphora, moscho, et oleis æthereis propinantur; sed hæc augmenta nonnisi per gradus cautissime facienda sunt. Quum datur in pulvere, ut accuratius partiatur, cum saccharo, pulvere glycyrrhizæ aut aliis substantiis idem conjungi oportet; quum vero in pilularum massa præscribitur, aut in aliquo electuario, tum antea solvendum est vino, aut quolibet syrupo vel alio fluido, quod præparato congruum est, ut ejus partitio accurata in massis fiat.

PARMELIA PARIETINA.

Lichen parietinus.

Лишайникъ стѣнной.

Planta in muris, saxis, tectis, et tegulis ædium, ubique crescens. Cl. Cryptog. O. Algæ. O. N. Lichenes.

Lichen foliolis crispis, aureis, et peltis ejusdem coloris. Cavendum est, ne cum Lichene Candelari, Parmelia murorum et Lecidea geographica, commutetur, quæ simili colore flavo distinguuntur, sed virtute carent.

Q. Odoris mucidi, haud prorsus ingrati; saporis amaricantis, subadstringentis.

V. Roborans; stimulans.

U. In febribus intermittentibus (Sander, Sprengel), præcipue autumnalibus, et aliis morbis atonicis, puta: hydrope, phthisi pituitosa, scrofulis et gangræna commendatur.

D. Uncia cum sesquilibra aquæ ad colaturam libræ decoquitur.

PHASIANUS GALLUS.

Gallina domestica.

Курица.

Ubivis in Rossia. Cl. Aves. O. Gallinæ. *Usualia sunt:* Ovum; Albumen ejus et Vitellus, hujusque oleum; Putamina.

Q. Albuminis et vitelli: oleosa, muculenta, gelatinosa. Albumen est liquidum, limpidum, tenax, inodorum, saporis blandi, glutinosum, in aqua frigida solubile. Solutio ejus ad communem aëris teporem, vel calore infra + 48° R., evaporata, refert albumen denuo in aqua frigida et tepida solubile; si vero Albumen, in decem aquæ partibus solutum, calori + 50° R. excedenti subjiciatur, sistit coagulum, in aqua non amplius solvendum; coagulatur parimodo alcohole, acidis et salibus metallicis. Vitellus ovi, albumine densior, massam flavam et opacam refert; saporis est blandi; cum aqua tritus dat emulsionem, quæ tamen sponte cito decomponitur. Condensatur coctione, atque e concreto oleum erogatur *(Oleum Ovorum).* Vitello plane combusto, paululum phosphatis calcariæ et sodæ expromitur. Putamina ovorum carbonatem calcariæ referunt, cum pauxillo gelatinæ remixtum, quæ tamen sub eorum calcinatione destruitur.

V. Ovorum sorbilium nutriens; alvum laxans; humores acres involvens. Putaminum antacida.

U. Ova recentia debilibus et macilentis, nec non phthisi laborantibus conveniunt; minime vero ubi sordes et pituita primarum viarum premunt, vel flatulentia urget, aut sub æstu febrili. Sorbentur vel cruda per se, vel sorbilia cocta; densata autem, seu mediocriter dura, in quibus mollis vitellus duriusculo circumdatur albumine, hominibus duntaxat robustis, solidioris

alimenti indigis, apta. In aqua solutum filtratumque antidotum est bichloridi hydrargyri. Vitellus plus quam albumen nutrit, ob oleum tamen, quod illi inest, officinæ digestionis infestus. A quibusdam cum saccharo, oleo, vel syrupo contritus, in tussi et raucedine domestica inter remedia habetur. In diarrhœis colliquativis, cum duabus mucilaginosi fluidi unciis clystere injecto, magnæ utilitatis; jure autem carnis dilutus tormina a purgantibus drasticis compescit. Interdum unguentis quoque et linimentis admiscetur. Oleum ovorum externe in rhagadibus labrorum et papillarum mammalium, adustis, excoriationibus etc., laudatur. Putamina ovorum, ad instar fabarum torrefacta, empyreumate helminthiasi idonea feruntur.

PHELLANDRIUM AQUATICUM.

Œnanthe Phelland. Lamb. et De Cand.

Омежникъ; Укропникъ водяной.

Caulis foliorumque ramificationibus divaricatis, in fossis et ad paludes non infrequens. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Umbelliferæ. Biennis. *Usualia sunt:*

Semina, subaromatica, oblonga, striata, luteo-viridia, calyce inæquali stylisque reflexis coronata; a seminibus Sii latifolii et angustifolii, uti etiam Cicutæ virosæ, in iisdem locis nascentium, cum quibus interdum permutantur, indicatis notis, et odore peculiari mucido, constanter differentia, rite distinguenda. Semina Sii latifolii sunt incurva, sub-ovata, sulcato-striata; Cicutæ vero subrotunda, sulcata.

Q. Odoris est Ligusticum levisticum et Archangelicam æmulantis; saporis leviter aromatici, penetrantis, aliquantum adstrictorio-acris. Secundum Berthold se-

19 *

mina continent: oleum æthereum ex aureo-flavum, inde ab initio mite, tandem urens, dulcescens, semina redolens; oleum pingue, cerinum, resinam, materiam extractivam, gummi et fatuum residuum.

V. Leviter narcotica; diuretica.

U. In febribus intermittentibus (scrupulum cum cortice cinchonæ vel radice gei urbani dando), phthisi pituitosa, scrofulosa, vel dum hæc ex cutaneis eruptionibus retrogradis, ut psora, variolis etc., orta est, addito sulphure sublimato; sic etiam in hæmoptysi et asthmate convulsivo semina profuisse, auctores fide digni docuere. Neque adversus ulcera varii generis pertinacia, scorbutica, scrofulosa (addita infuso seminum aqua calcariæ) illaudata extitere.

D. Seminum scrupulus, cum saccharo lactis, tertia quavis hora datur; pro infuso semuncia cum libra aquæ vel lactis. Nimia dosi narcoseos symptomata excitare dicuntur.

PIMPINELLA ANISUM.

Anisum vulgare.

Анисъ; Ганусъ.

Planta caule glabro, sesquipedali, foliis radicalibus cordato-subrotundis, lobatis, caulinis pinnato-lobatis, fructibus puberulis, in Hispania, Melita, Ægypto, Syria aliisque regionibus orientalibus spontanea; apud nos culta. Cl. Pentandr. O. Digynia. O. N. Umbelliferæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina, parvula, subglobosa, striata, fusco-virescentia, pilisque brevissimis obsita. Hispanica, quæ et minora, et duriora, atque gratiora sunt, præferri merentur. Sæpius cum glebulis terreis, colore et figura

iis similibus (quod ope aquæ facile detegitur) commista inveniuntur.

Q. Sapor aromatico-dulcis, grate calefaciens; odor peculiaris, aromaticus. Semina macerata et dein expressa, multum largiuntur olei pinguis, ex viridi flavescentis, inodori, quod, dum purum est, pauxillum oleiætherei in se continet. Partes eorum efficaces parum aqua solvuntur, alcohole vero prorsus extrahuntur. Oleum æthereum, quod destillatione obtinetur, temperatura + 5° ad + 7° R. in massam crystallinam coit.

V. Ab oleo æthereo imprimis dependet; leniter nervos stimulans; galactopœa; expectorans; carminativa. Columbis præsentaneum venenum (Vogel).

U. Semina pulverata in dyspepsia, colica flatulenta, et diarrhœa infantum, torminibus stipata, optimum præstant remedium. Prosunt quoque in adfectionibus organorum respirationis atonicis, catarrho chronico, asthmate et phthisi pituitosa. Adduntur etiam evacuantibus drasticis, ad avertenda eorum incommoda.

D. Semina porriguntur forma pulveris a granis decem ad drachmam; infusum fit e drachmis duabus cum unciis decem aquæ fervidæ. Oleiætherei datur gutta ad sex cum saccharo.

PINUS ABIES.

Сосна еловая; Ель.

Arbor in borealibus Europæ et Asiæ regionibus usque ad 71° lat. boreal. crescens, foliis solitariis tetragonis, subulatis, mucronatis, lævibus, bifariam versis. Cl. Monœcia. O. Monadelphia. O. N. Coniferæ. *Usuales sunt:*

Turiones (seu *Cymæ Abietis*), cylindrici, squamis rhomboidalibus, complanatis, margine repandis, erosis.

Resina Abiegna est succus resinosus, vel sponte vel inciso trunco exsudans, tenax, limpidissimus, brevi in lacrymas, supra vulnus fixas, coiens; siccatus colorem aurantiacum vel rubicundum referens; digitis contrectatus mollescens, cæterum fragilis. Pix Abiegna (vulgo *Pix Burgundica* vel *alba* dicta) est resina abiegna decoctione, leni igne, in aqua rite fusa, et dein per sacculos ex densiori linteo cum expressione colata, ut a sordibus purgetur. Resina abiegna refert quoque colophonium, dum eadem ratione ac terebinthina cocta tractatur (Videsis Pinum Laricem).

Q. Turiones abiegni ejusdem sunt qualitatis ac pini silvestris. Resinæ abiegnæ sapor gratus, amaricans; odor fragrans; carbonibus inspersa odorem reddit ingratum, et flamma flagrat vivida, fuliginosa.

V. Turionum eadem ac turionum pini silvestris. Resinæ abiegnæ: leniter stimulans.

U. Turionum idem ac turionum pini silvestris. Resina abiegna cum sevo fusa, extrinsecus lepræ et ichthyosi cum successu obponitur (Cullen). Resina et Pix abiegna compositionem unguentorum et emplastrorum subintrant; postremis præsertim, ob facultatem adglutinandi, convenit. Pix abiegna in pulmonum adfectionibus recte admovetur forma emplastri vel inter humeros, vel pectori.

PINUS LARIX.

Larix Europæa.

Лиственница.

Arbor foliis fasciculatis, autumno deciduis; strobilis ovatis, squamarum marginibus reflexis, laceris; bracteolis panduriformibus; in montibus vel alpibus Franco-Galliæ, Helvetiæ, Bohemiæ, Hungariæ (Carpaticis),

apud nos vero in montibus Ural, inde a Biela flumine usque in septentrionem, itemque per universam Siberiam oceano tenus, et ad Kamtschatcam usque obvia. Cl. et O. præcedentis. *Usualia sunt:*

Terebinthina laricina *(Balsamum pineo-laricinum)*, succus resinoso-oleosus, vel sponte e trunco exsudans, vel copiosius ex arbore perterebrata, binos pedes supra terram, per canales ligneos, vulneribus inditos, in suppositos urceos fluens. Spissitudine est syrupi tenacioris, coloris albidi, vel pallide lutei; clarus, pellucidus, male *Terebinthina Veneta*, *Венеціанскій Терпентинъ*, dictus, quum Terebinthina, quæ tali sub nomine prostat, nec ex Pistacia Terebintho, apud nos etiam in Tauria meridionali et Caucaso calidiori crescente obtineatur, neque etiam per solos Venetas translata fuerit. Terebinthinam largiuntur quoque: Pinus silvestris, Pinus Picea, et Pistacia Terebinthus, sed e P. Larice deprompta reliquis præstantior habetur. Quisquiliis aliisque heterogeneis inquinata, cribro transmittitur; vetusta vero, nimis spissa, vel avolante plane oleo æthereo, siccescens, improbatur. Dum in connubio cum duplici aquæ quantitate distillationi subjicitur, quartam fere ponderis partem olei ætherei largitur, quod Oleum Terebinthinæ *(Oleum pineo-laricinum)* audit. Massa post destillationem in retorta remanens est Terebinthina cocta *(Resina Pini flava)*, quæ super ignem fusa, donec aquosæ partes avolarint, in Colophonium *(Resinam Balsami Pini)* mutatur. E ligno leniter ardente, nec non e radicibus harum Pini specierum, præsertim vero Pini silvestris, destillatione per descensum obtinetur Pix liquida, *Дёготь (Oleum Pini empyreumaticum*, oleum pissinum Plinii, vulgo *Oleum picis)*. Pix liquida, ad siccitatem evaporata, dat

Picem solidam, navalem vel sutoriam dictam, *Bapѣ (Resinam Pini empyreumaticam).* Pix liquida continet portionem acidi empyreumatici, unde et in aqua ex parte solubilis est.

Q. Terebinthina laricina odoris est peculiaris, admodum penetrantis, qui, ore inspiratus, elapsis jam 20 minutis in excreto lotio sese exserit; saporis stimulantis, calefacientis, pungentis, amaricantis. Terebinthina admodum inflammabilis est, ardetque flamma alba, fuliginosa. Cum alcohole leviter agitata, prompte solvitur, addita vero aqua, solutio hæc lactis instar albescit, et guttulæ olei ætherei, resina plane expertis, ad superficiem prodeunt. Partes ejus constitutivæ sunt: resina, acidi vegetabilis liberi vestigia, calcaria et potassa, acido vegetabili junctæ, extractum balsamicum, aqua solubile, et insignis olei ætherei quantitas. Oleum Terebinthinæ exhibet liquidum incolor, pond. spec. = 0,891, graveolens, varias substantias resinosas, nec non sulphur solvens.

V. Terebinthinæ stimulans; diuretica; cathartica; anthelminthica; extrinsecus rubefaciens. Olei Terebinthinæ eadem, sed magis penetrans.

U. Terebinthina, organa uropoëtica incitando, in lotii retentione ex atonia laudatur. In mucosis urethræ fluxibus, qui chronico decursu invaluere et vesicæ urinariæ catarrho, ubi balsamus copaiferæ præsto non erit, ad eam confugiendum; caute tamen semper vis illius tentanda, ne inflammatio organorum adfectorum, remedio majoribus dosibus dato, exoriatur, unaque epididymidem in consensum trahat. Hydropem anasarcam, nec non hydropem ovarii incipientem, hoc remedio curari posse, quidam experti sunt. Friata simul cum disacetate plumbi liquido, linimentum præbet, quod non

medetur quidem aperto carcinomati, sed impedit, quominus ulterius serpat, odoremque tollit cadaverosum (Gesner). Tumoribus frigidis superdata, virtute pollet discutiente. Si eruptio cutanea, balsamo hoc diutius porrecto, forma eczematis adparet, usu ejus supersedendum est.

Oleum Terebinthinæ cum alcohole mixtum, Percival aliique cum successu dederunt in ictero a calculis biliariis, in ductibus choledochis spasmo retentis; Durande vero, solutionem calculorum biliariorum moliens, connubium e tribus Olei Terebinthinæ et duabus ætheris sulphurici partibus laudat, propinata drachma quovis die, jejuno adhuc stomacho; hancce copulationem Starck et Soemmering probant. Boerhaave oleum hocce urolithiasi obponere solitus erat. Dudum commendatum est contra hydropem, quo scopo infricatur, dein vero parvis dosibus intus datur, interdum aloë, quin imo et opio jungitur. In myodynia rheumatica, absente febri, præsertim si æger non est excitato nervorum systemate præditus, uti etiam in arthrodynia, ischiade, podagra et melæna Cheyne suadet: Olei Terebinthinæ partem, mellis depurati partes duas, cujus remedii parvum cochlear mane et vesperi porrigitur; inter doses has serum lactis vinosum exhibetur, urgente autem dolore, opium. Home, Thilenius, Herz, efficaciam hujus remedii confirmarunt. Cullen memorat, oleum hocce, spinæ dorsi ante paroxysmum febris intermittentis infricatum, virtutem febrifugam exeruisse, quæ methodus Ægyptiis crebro in usu fuisse fertur. Præsentanea oleo huic vis est adversus intestinorum vermes, imprimis vero adversus tæniam, quem in finem majori dosi propinatur. Fenwick a semuncia ad uncias duas unica dosi illud exhibitum esse vult.

Si dosis hæc tæniam non reddit extorrem, effectus tamen ejusdem molestos pro certo tollit. Recentissimis temporibus insigni virtute celebratum fuit *Oleum anthelminthicum* Chaberti, cujus formula sequens est: ℞. Olei pyro-animalis depurati partem, Olei Terebinthinæ partes tres; digere per triduum, abstrahe ad dodrantem, et vase bene clauso serva; datur cochleari theano bis terve in die. In peritonitide puerperali epidemica, præeunte Brenan, Oleum Terebinthinæ cum successu exhibitum fuisse perhibetur. In discutiendis gangliis, et restaurandis partibus paralysi adfectis, extrinsecus adhibitum, justis de causis pro efficaci habetur incitamento. Partibus gangrænosis et sphacelosis, prius scarificatis, vel solum per se, vel una cum pulvere carbonum adplicatum, plurimum valet; nec minus in carie ossium exfoliationem promovet. Membranarum, nervorum, tendinumque læsionibus, si calefactum admoveatur, dolorem levat, spasmosque illas comitantes tollit.

Colophonium in pulverem tenuatum, stupæ lini inspersum, atque alcohole irroratum, tumoribus albis articulorum superdatur, et simulac siccescit denuo, fascia non soluta, alcohole madefit.

Pix liquida (*Дёготь*), per modum potionis cum aqua, commendatur in tussi chronica, asthmate pituitoso, scorbuto, helminthiasi etc. Extrinsecus ulceribus atonicis, cacoëthibus, putescentibus convenit, imo non tantum mammarum scirrhos ad carcinomata jam proclives, sed etiam aliarum quoque glandularum tumores, cerato cum pice admoto, institutis una simul balneis tepidis, dissipatos fuisse legimus. Ulcera carcinomatosa unguento picis cerato deligata, fiunt munda, fœtor eorum disparet, doloresque mitigantur. Pix liquida cum

sulphure et cera exhibet unguentum scabiei, porrigini scutellatæ aliisque cutaneis vitiis adcommodum.

D. Terebinthina datur dosi granorum quinque ad decem, ut ægrotus spatio nychthemeri scrupulum usque ad drachmam consumat; porrigitur forma emulsionis aut pilularum. Oleum Terebinthinæ datur scopo diuretico: a guttis decem ad drachmam; scopo stimulante: a drachma ad duas; scopo anthelminthico: a semuncia, quin imo ad uncias duas pro dosi a nobis multoties fuit porrectum, melli, mucilagineis et aromaticis nuptum. Ad corrigendum ingratum ejusdem saporem Copeland suadet, ut tantillum tincturæ capsici a., vel olei cujuslibet aromatici, addatur.

PINUS SILVESTRIS.

Сосна обыкновенная.

In Rossia ubique frequens, excepta arctica plaga et maximo angulo Siberiæ borealis, in sodalitio pini abietis plerumque crescens, proceritate ramorumque densitate venerabilis. Foliis geminis, acerosis, solitariis glabris. Cl. et O. præcedentis. *Usualia sunt:*

Turiones *(Turiones Pini Silvestris; Сосновыя шишки)* male strobili vel coni dicti, ovato-conici, subgemini, basi rotundati. Terebinthina communis *(Balsamum Pini Silvestris)*. Largitur præterea et reliquas substantias, quæ e cæteris Pini speciebus obtinentur (V. Pinum Laricem). Interdum, loco Turionum Pini Silvestris, vel Abietis propagines foliosæ, vel ejusdem turiones, obveniunt; loco autem terebinthinæ Pini Silvestris illa, quæ e Pino picea elicitur et *Terebinthina Argentoratensis* dicitur, colore intensiore et amaritudine distinguenda.

Q. Turionum resinosa; sapor balsamicus; odor fragrans. Balsamum ejus cum balsamo laricino ferme convenit.

V. Turionum stimulans; diuretica; diaphoretica; antiscorbutica.

U. Decoctum Turionum Pini in scorbuto, cutisque fœditatibus utile est, vasa etenim intestinorum capillaria irritando, in cutem simul et urinam agit. Fake ex iis, citra humuli lupuli additionem, cerevisiam paravit, velificantibus per æquora Oceani adversus scorbutum commendandam. Laudantur Turiones in psora (Vogel); ab aliis autem in arthrodynia et myodynia rheumatica (Waldschmidt, Baglivi). Terebinthina Pini silvestris, prout est impura, non convenit usui interno: extrinsecus vero adhibetur per modum unguenti ad pus movendum, vel idem sub atonico statu corrigendum.

PIPER CUBEBA. L.

Piper caudatum.

Перецъ Кубеба.

Frutex Javæ, Malabariæ, insularum Philippinarum, Mauritiæ, Bataviæ, regni Nepaul et Guineæ indigenus. Cl. Diandr. O. Trigyn. O. N. Piperaceæ. Urticeæ. *Usuales sunt:*

Baccæ *(Cubebœ)*, recentes fuscæ, siccatæ vero griseæ, pedunculo longo, tenui instructæ, nucleum habentes rotundum, glabrum, solidum, extrinsecus ex rubrobruneum, intus albidum. Baccæ ponderosæ, minus rugosæ, aromaticæ, præferendæ sunt minoribus, nucleum aridum includentibus. Non raro adulterantur pipere nigro, baccis myrthi pimentæ et rhamni cathartici. Si in pulverem pro usu medico redigantur, in lagenis

probe obturatis conservandæ sunt, ne oleum æthereum avolet, et virtus earum deperdatur.

Q. Nucleus sapore distinguitur aromatico, amaricante, acri, pungente, sensum frigoris in ore, ad instar menthæ piperitæ, relinquente. Partes constitutivæ secundum MOHNHEIM sunt: Cubebinum (resina peculiaris ex flavo virescens, in alcohole, æthere, oleo amygdalarum et acido acetico solubilis); resina ceræ similis; oleum æthereum virescens; cera mollis et salia quædam.

V. Stimulans; carminativa; diuretica; secretionem membranarum mucosarum minuens; leniter purgans.

U. Jam dudum Cubebæ a Medicis Orientalibus, Indis Arabisque, in blennorrhœa usurpatæ fuerunt, quarum usus in Europa nostro tandem seculo inclaruit. Primitus atonico blennorrhœæ stadio opponebantur; haud diu abhinc vero STEVENS aliique, omni periodo eas adcommodas esse, permultis probarunt experimentis. Conveniunt omnino subinflammatorio statui, minime tamen suaderemus, ut mox apparente blennorrhœa virulenta, tumore membri virilis, stranguria et orchitide stipata, remedium hoc exhibeatur; præstabit adminicula antiphlogistica initio morbi opponere, et debellata jam prima inflammationis vehementia, Cubebas in usum vocare. Memorantur etiam casus leucorrhœæ, in quibus remedium hoc optatum fructum præstitit. Infusum earundem commendatum fuit in leucorrhœa, forma injectionis. Non est silentio prætereundum, pristinis temporibus Cubebas nonnisi in dyspepsia, præcipue ubi vertigo ei associata erat, et in hystericis adfectionibus fuisse usitatas.

D. Cubebæ exhibentur pulveratæ a scrupulo ad drachmam, quin imo ad drachmas duas pro dosi, bis

aut ter in die, cum aqua vel syrupo. Tinctura (ex unciis duabus Cubebarum contusarum et libra spiritus vini rectificati parata) datur dosi drachmæ unius, ter in singulos dies cum aqua.

PIPER LONGUM.

Перецъ длинный, Индѣйскій.

Planta frutescens, sarmentosa, fol. cordatis, petiolatis, sessilibusque; in Amboyna, Java, Malabaria, Bengalia, aliisque Indiæ Orientalis regionibus gignitur. Cl. Diandr. O. Trigyn. O. N. Piperaceæ. Urticeæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Fructus, seu spicæ cum baccis immaturis siccatæ, oblongæ, cylindraceæ, amenta repræsentantes. Situ communiter debilitantur, et tum usui medico ineptæ sunt.

Q. Acris; aromatica; in principio resinoso, excitante, residens.

V. Incitans; stomachica; excalefaciens; pituitam salivamque movens.

U. Indiæ incolis, præcipue Gangaridibus, non modo ad instar condimenti ciborum usu venit, sed etiam in colica flatulenta, et id genus aliis incommodis, adhibetur. Adjicitur quoque ab iisdem unguentis, paralysi superandæ opportunis. Virens fructus aceto congruisque conditus, fercula eorum acceptiora reddit. A nostratibus quibusdam podagræ retrogradæ paralysique obponitur; extrinsecus vero relaxationi uvulæ adcommodum est; sinapismis etiam quandoque, intendendæ eorum vis ergo, additur.

D. Perraro in pulvere ab octo ad decem grana propinatur.

PIPER NIGRUM.

Перецъ черный зернистый.

Frutex scandens, in Indiis Orientalibus spontaneus, in Sumatra, Malacca, Borneo, nec non in Americæ australis insula Cayenne, et provincia Gallorum Guiana, copiose cultus. Cl. Diandr. O. Trigyn. O. N. Piperaceæ. Urticeæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Fructus (seu baccæ), qui *Piperis nigri* nomine veniunt *(Перецъ черный)*, immaturi extrinsecus rugosi, nigrescentes, intus albidi; qui vero penitus maturuerunt, et maceratione externo tegmine privati, *Piper album* constituunt.

Q. Odoris est peculiaris, aliquantulum aromatici; saporis acerrimi, masticatione os et fauces ustionis sensu afficientis. Dotes aquæ partim concedit, omnes vero ætheri et alcoholi. Œrstedt primus in baccis Piperis nigri substantiam observavit, quam alcalinam esse arbitrabatur, eique *Piperini* nomen indidit; quæ tamen, serius a Pelletier indagata, nullas alcaloidis proprietates exseruit, sed resinam peculiarem obtulit. Meli sequentem methodum Piperini obtinendi proponit: digere libram baccarum Piperis nigri cum triginta unciis alcoholis purissimi leni calore, quem ad ebullitionem sensim adauge; liquidum refrigeratum caute effunde, et residuo novam alcoholis quantitatem superfunde; denuo digere et tincturas tali ratione obtentas commisce; his jam affunde aquæ destillatæ viginti uncias et acidi hydrochlorici sescunciam, ut exoriatur præcipitatum, filtratione separandum; crystalli filtro adhærentes Piperinum purum sistunt, quod repetita solutione in alcohole depuratur. Secundum Pelletier partes constitutivæ baccarum Piperis nigri sunt: Piperinum, oleum concretum (intense acre), oleum volatile,

materies tincta gummosa, extractivum, acidum malicum, acidum tartaricum, amylum, salia quædam, bassorinum et fibra lignea.

V. Stimulans; carminativa; stomachica; extrinsecus irritans.

U. In languore ventriculi, ex colluvie pituitosa, et alvo consueto modo adstricta, non spernendum remedium. Alii ob æstum, quem ventriculo imprimit, usum ejus restringendum esse existimant. Laudatur etiam in podagra, quæ sine febri pravæ digestioni supervenit. A ruricolis contra febres intermittentes adhibetur. Masticando prodest in glossoplegia; sic etiam cataplasmatibus sinapinis, intendendæ efficaciæ causa, additur haud inepte. Condimentum ciborum usitatissimum. Meminisse heic juvat, Piper nigrum misturam pastæ ingredi (vulgo *Ward's past)*, in hæmorrhoidibus mucosis in Anglia celebris, quæ componitur e Piperis nigri et inulæ helenii, utriusque libra, seminum fœniculi sesquilibra, ac tandem mellis et sacchari, utriusque libra; simul in mortario tritis. Pastæ hujus rotula, nucem moschatam æquans, ter de die sumitur. Itali, Franco-Galli et Germani piperinum in febribus intermittentibus commendant.

D. Pulveris Piperis nigri grana quindecim (imo ad scrupulos duos) deglutiri possunt mane ac vesperi. Piperini exhibentur grana duo pro dosi, sæpius spatio nychthemeri.

POLYGALA AMARA.

Истодъ горькій; Многомлечникъ.

Planta flor. cristatis, racemosis, caul. erectiusculis, in locis montosis, nemorosis, crescens. Cl. Diadelph. O. Octandr. O. N. Polygalaceæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Radix fibrosa, fibrillis tenuibus, subluteis, ineunte vere cum foliis colligenda. Folia, obtusa radicalia, obovata majora. Permutatur cum Polygala vulgari, caulibus procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis acutiusculis, tum et sapore non amaro distinguibili. Adulteratur etiam Polygono aviculari, primo intuitu jam diverso.

Q. Radix subdulcis, subamara. Folia saporis amarulentis. Partes constitutivæ præcipuæ sunt: extractivum et acidum peculiare.

V. Leniter stimulans; expectorans; in fibram muscularem imprimis agens. Mitius excitat et magis roborat quam P. Senega.

U. In morbis pulmonum asthenicis, tussi pituitosa, asthmate, catarrho chronico, ultima periodo pneumonitidis typhodis, in connubio cetrariæ Islandicæ invaluit. Decoctum paratur ex radicis uncia et sesquilibra aquæ, ter quaterve in die unciatim sumendum. Doses justo majores facile febriculam excitant.

POLYGALA SENEGA. Lin.

Сенега.

Planta in Virginia, Pensylvania, Ohio, Marilandia, Kentucky et Tennessee, provinciis Statuum Americæ septentrionalis fœderatorum, copiose crescens. Cl. Diadelph. O. Octandr. O. N. Polygalaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix pennam anserinam crassa, superiore èxtremitate nodosa, in ramos divaricata, in fibras tenues abituros. E duabus quasi substantiis composita esse videtur, exteriore corticali, flaviuscula, et interiore fibroso-lignosa, pallida.

Q. Exterior radicis pars, cui tota plantæ efficacia inhæret, saporis est aliquantulum dulcis, aciduli, tan-

dem valde ingrati, acris, quasi radentis; interioris vero sapor illum radicis liquiritiæ æmulatur. Odor totius radicis, sub contusione et coctione ingratus est, oleo olivarum rancido similis. Partes constitutivæ secundum QUEVENUE sunt: acidum polygalicum (principium radens, cui præcipua plantæ virtus inest), principium tingens fusco-flavum, oleum pingue (odoris aromatici, ingrati), acidum pecticum, tanninum, cerinum, albumen, gummi, varia salia alcalina et ferrum.

V. Excitans; minori dosi resolvens, expectorans, sudorifica; largiori menagoga, subinde diuretica; magna dosi emetica, cathartica, haud raro sialagoga. Pulvis radicis sternutamenta excitat.

U. In morbis organorum pectoris efficacia illius præ cæteris eminet, scilicet in asthmate humido et spasmodico, in catarrho chronico, nec non in ultima pneumoniæ periodo, præmissis evacuantibus et sanguinis detractione. In angina membranacea (croup) a Medicis transatlanticis (BARTON, CHAPMANN, BIGELOW, ARCHER) laudibus extollitur medicamen hoc; num autem revera malo huic utile sit, dubito. Hydropi atonico jure obponitur, præsertim cum aromaticis, scilla, camphora, ammoniaco, aliisque. Inter emmenagoga non ultimum sibi vindicat locum. Lethargo opitulari fertur (BRANDREATH), quem otiosi homines, lautam agentes vitam, morbis chronicis, venere ac ætate exhausti, haud raro patiuntur. Ultimo ophthalmiæ rheumaticæ et scrofulosæ stadio adcommoda esse censetur Polygala Senega. Usui illius obstant: plethora, diathesis inflammatoria et hæmoptysis.

D. Raro forma pulveris a granis quinque ad decem et amplius, cum saccharo vel gummi acaciarum. Decocti forma aptior, quod paratur ex uncia radicis

et duabus aquæ libris, ut exinde colatura libræ prodeat, unciatim ter quaterve in die sumenda.

PRUNUS DOMESTICA.
Слива обыкновенная.

Arbor in hortis culta; præstantior in australibus Rutheniæ Europææ et Asiaticæ regionibus. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Rosaceæ. *Usualis est:*

Fructus *(Чернославъ)*, seu drupa oblonga, carnosa, rugosa; ejusque pulpa. Fructus immaturi, vel vermibus repleti, uti inepti, rejiciendi; haud secus ac pulpa cupro infecta, quod ferro polito detegitur.

Q. A principiis mucilaginoso et saccharino, præprimis vero ab acido malico, derivanda; sapor dulcacidulus. Fructus siccati Burdigalenses eminent dulcedine cum grato acore juncta.

V. Nutriens; refrigerans; alvum subducens.

U. Decoctum e fructibus siccatis paratum, febribus, alvo adstricta, idoneum; non raro illi infusum sennæ admiscetur. Addito pulpæ acido tartarico, obtinetur massa pulpæ fructus amlicæ Indicæ (tamarindorum) analoga, quæ, utpote commode et ubique parabilis, merito præfertur illi, parcimoniæ gratia, præsertim ubi præscribi eandem oportuerit militaribus præfectis. Pro succedanea quoque pulpæ fructuum cassiæ fistulæ habetur, ut proinde unius indigeni remedii usu, dispendium duorum exoticorum, tuto vitari queat.

D. Pro decocto unciæ tres, ad selibram, fructuum, cum foliis sennæ, bitartrate potassæ vel radice rhei, addito quolibet aromate. Pulpa a duabus unciis ad tres commode præscribitur in electuariis, additis præsertim aliis, si vires remedii intendere placet.

PRUNUS LAURO-CERASUS.

Лавровишневое деревцо.

Frutex semper virens, in Europa australi, præsertim ad littora maris Nigri in regione Trapesuntis, sponte crescens, et exinde ad omnes fere Europæ regiones transplantatus. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Rosaceæ. *Usualia sunt:*

Folia recentia, coriacea, ovato-lanceolata, remote serrata, obscure viridia, subtus glandulis duabus instructa.

Q. Vix ullum spargunt odorem, concisa vero, vel digitis nonnihil tractata, graviter olent amygdalas amaras contusas; saporem habent amarum, subadstringentem. Siccatione utraque proprietate spoliantur, quo etiam efficacia eorum prorsus hebetatur. Continent acidum hydrocyanicum, quod Schrader Berolinensis detexit. Oleum insuper æthereum densum foliis inest, aqua ponderosius, amygdalas amaras redolens.

V. Foliorum recentium narcotica.

U. Folia recentia contusa, et cum mica panis in cataplasmatis formam redacta, ulceribus cancerosis superdantur, et vi qua pollent sedante, utilia sunt. Alii præferunt infusum, ex quatuor unciis foliorum et duabus aquæ fervidæ libris paratum, cui quatuor mellis despumati unciæ adduntur; lintea tali infuso madida ulceribus ejusdem indolis applicata prosunt. In usum internum nonnisi Aqua Lauro-Cerasi adhibetur.

PRUNUS PADUS.

Черемуха.

Arbor Europæ, per Rutheniam septentrionalem vulgatissima, in collibus et ad sepes crescens; foliis de-

ciduis, ovato-lanceolatis, tenuibus, basi subtus biglandulosis; floribus racemosis, racemis elongatis; fructibus rotundis, amaris. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Rosaceæ. *Usualis est:*

Cortex recens. Stratum ejus externum præfertur interno; minus enim lignosum est.

Q. Saporis aromatici, amari, nucleos amygdali amaræ æmulantis, similisque odoris. Secundum John partes constitutivæ sunt: acidum hydrocyanicum, oleum æthereum ponderosum, substantia volatilis, resina, principium extractivum et scytodepsicum.

V. Narcotica; tonica; adstringens; diaphoretica et diuretica.

U. Febribus intermittentibus subigendis parem esse, quidam affirmant. Fenni decocto ejus saturatissimo curationem syphilidis quondam moliebantur. In adfectionibus syphilidis lenioribus, decoctum videtur sanationem absolvisse; graviores vero mitigasse; subjuncto autem hydrargyro curationis tempus abreviatum fuisse. Balneis etiam e decocto Pruni Padi institutis contigit, ut syphilidis symptomata mitiora fierent, donec subsequa præparatorum hydrargyri administratione, ægri perfecte convalescerent (Lundmarck). Brehmerus aliique asserunt, cum fructu exhiberi hoc remedium posse adversus arthrodyniam et myodyniam rheumaticam. Aqua e cortice destillata, nucleorum amygdali amarorum odore saporeque pollens, agit eadem ratione ac aqua laurocerasi; Brehmerus illam in cardialgia utilissimam invenit; Sprengelius autem suadet eandem ad sistendos spasmos doloresque. Larga dosi cephalalgiam, animi deliquia, vomitum et diarrhœam, imo ex auctiori, apoplexiam et subitam mortem fuisse ortam, meminisse juvat.

D. Decoctum paratur ex unciis duabus corticis et aquæ quatuor libris, ut colatura librarum duarum prodeat, quæ unciatim sæpius in die propinatur.

PUNICA GRANATUM.

Гранатникъ.

Arbuscula, primitus ex Mauritania oriunda, nunc vero in multis Europæ australioris regionibus, nec non apud nos in Chersoneso Taurica aliisque in locis copiose crescens. Trunco nodoso, aliquando 20 pedum altitudinem æquans; foliis lanceolatis; floribus polypetalis, rosaceis, coloris sub evolutione plena phœnicei, quibus succedit fructus globosus (Malum Punicum Cels.), magnitudine pomi aurantii, calyce coronatus, pulpam continens rubram succo scatentem, novem loculis instructus, semina plurima subrotunda, succulenta, continentibus, receptaculo membranaceo singulum loculamentum pericarpii bifariam dividente. Cl. Icosandr. O. Monogyn. O. N. Granateæ De Cand. *Usualis est:*

Cortex radicis Granati, in frustulis parvis, extrinsecus griseo-flavescentibus, intus flavidis. Olim usitati etiam erant: *Cortex fructus G.* (Malicorium Plin.), fragmenta sistens sicca, dura, coriacea, extrinsecus rubicunda, intus lutea, et *Flores non evoluti* (Balaustia Plin.), siccati coloris rubri.

Q. Omnes hujus fruticis partes, odore privatæ, saporis sunt adstringentis absque amaritie. Secundum Wackenroder cortex radicis siccatus continet: principium tanninum flavum, materiam adiposam cum pauco oleo rancido, amylum cum mucilagine et calcaria, nec non partes ligneas cum tantillo albuminis.

V. Omnium Granati partium tonica, adstringens; corticis radicis insuper eximia anthelminthica.

U. Remedium antiquitus notum, dein per diuturnum temporis spatium despicatui habitum, nostro tandem ævo a Buchanan et Flemming oblivioni ereptum est. Cortex radicis a plurimis (Burt, Breton, Gomez, Merat) scopo anthelminthico adhibitus, eximias sibi vindicavit laudes, et præprimis in tænia necanda et expellenda reliquis ejusdem indolis remediis, vix non omnibus, præstare dicitur, ea duntaxat conditione, si quædam vermis fragmenta jam apparuerint. Aliis quoque entozois, uti strongylo et ascaridibus certissime officere, Merat asserit; idem remedio virtutem diureticam impertit, quam ipsemet expertus est.

D. Scopo anthelminthico recens tantummodo radicis cortex idoneus existimatur, siccatus vero minus fausto adhibitus fuit successu. Decoctum paratur ex duabus unciis cum aquæ sesquilibra, ad colaturam libræ, quod tribus dosibus, trium horarum spatio, sumitur. Forma pilularum vel boli exhibentur grana duodecim, ad scrupulum, sic, ut spatio sesquihoræ drachma, vel ad summum sesquidrachma consumetur. Extractum ejusdem spirituosum minori dosi adhibetur. Non absque cautione tamen remedium administrandum: dosi enim nimia vomitum excitavit, ventriculi et intestinorum dolores, quin imo vertigini, temulentiæ, ipsique sopori ansam dedit.

PYRUS MALUS.

Яблонь.

In Rossia præsertim meridionali frequentissima arbor, in silvis et dumetis spontanea. Cl. Icosandr. O. Pentagyn. O. N. Rosaceæ. *Usualis est*:

Fructus, seu Pomum.

Q. Saporis aciduli. Pro varietate specierum varians.

V. Eccoprotica; refrigerans.

U. Forma cataplasmatis adhibetur in ophthalmiis et ulceribus putridis. Succus e pomis communibus immaturis, Britannis Crabs dictis, expressus, in Anglia sub nomine Verjus venumdatur. E succo paratur fermentatione vinum pomaceum, Cider dictum.

QUASSIA EXCELSA.

Simaruba excelsa.

Квассія высокая; — горькая.

Arbor procera Indiæ Orientalis, Surinami et Americæ australis, præsertim Jamaicæ ac insularum Caribbeanarum, externa facie ad fraxinum excelsiorem accedens. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Simarubeæ. Perennis. *Usuale est:*

Lignum, durum, leve, ex albo flavescens, interne striis tenuibus notatum, cortice ex albo cinereo, fragili, tectum; summe amarum. Frustula crassiora cortice tecta tenuioribus sunt præferenda. Lignum Rhois Metopii distinguendum cortice glabro, hinc inde maculis nigris obsesso, cujus infusum a solutione sulphatis ferri nigrescit.

Q. Lignum fere inodorum est; saporis pure amari, in cortice intensioris. Analysis a Thomson et Braconnot instituta, ligno Quassiæ inesse docuit principium amarum, gummi, oxalatem, tartratem, et sulphatem calcariæ, nec non chloridum calcii. Severi olei ætherei vestigia ibidem observavit; Witting et Borcharp præterea ammoniam et phosphatem sodæ in ligno Quassiæ contineri asseverant. Principium peculia-

re, a Morin *Quassinum* dictum, ex opinione Thomsoni resinæ intime junctum est.

V. Tonica, quin irritet, adstringat, nauseam moveat alvumque ducat; stomachica; anthelminthica.

U. In dyspepsia et diarrhœa, meræ debilitati organorum concoctionis ansam debentibus, aptum remedium. Hypochondriacis et hystericis, vel ex abusu spirituosorum ægrotantibus, adfert levamen. In febribus intermittentibus et remittentibus (in stadio convalescentiæ), arthrodynia, et sudoribus phthisicorum fœtulentis, nec non in helminthiasi, forma infusi, cum aqua vel vino parabilis, vel extracti instar, adhibetur. Memoratu dignum, muscas infuso ejus cum saccharo necari, illudque tutius, quam cobaltum aut arsenicum, in conclavibus ad eas delendas distribui.

D. Infusum, ex semuncia ligni concisi et aquæ libra parandum, sæpius in die cochleatim propinatur. Extractum datur a granis quindecim ad scrupulum, vino solutum, vel pilularum forma.

QUERCUS INFECTORIA.
» » Cerris.
Дубъ чернильноорѣшковый.

Frutex arborescens, præsertim in Asia Minori frequens; in Rossia copiose crescit in montibus Chersonesi Tauricæ, inter Baktschisaray et Inkerman, nec non in maritimis Bosphori Cimmeriensis et Anatolia, ita quoque in Caucaso, præsertim ad fluvium Ksani circa Achalgori. Cl. Monœc. O. Polyandr. O. N. Amentaceæ. Cupuliferæ. *Usuales sunt:*

Gallæ Quernæ (*Gallæ turcicæ, Чернильные орѣхи*) sunt tumores morbosi foliorum petiolorumque punctura Cynipis (insecti hymenopteri) in Quercuum variis spe-

ciebus, præcipue vero in Quercu infectoria (foliis ovato-oblongis, sinuato-dentatis, glaberrimis, deciduis, fructibus longissimis, sessilibus), ut Olivier, itinerator fide dignus, adseverat, nec non in Quercu Ægilope et Esculo excitati. Quæ a Mosula ad Tigrim proveniunt, sunt coloris nigricantis, verrucosæ, nucleo fusco refertæ et imperforatæ, atque pro optimis habentur; haud minoris æstimandæ sunt, quæ adferuntur ex Aleppo, Smyrna, Magnesia, Karahisser, Diarbekir ac interiori Anatolia; viliores vero existimantur Europææ, in Quercu Cerri aut Robore repertitiæ, rubicundæ, vel albidæ, perforatæ, intus spongiosæ. In usum medicum seligendæ sunt exiguæ, ponderosæ, compactæ, aculeatæ; leves vero, porosæ, coloris flavescentis, rejiciendæ.

Q. Styptica, ab acido tannico (aliis scytodepsico) copioso, et principio extractivo derivanda; acidum vero gallicum, monente Pelouze, potius qua productum ex acido tannico oxydato considerandum est. Sapor valde acerbus; odor nullus; masticatæ friabiles, linguam faucesque vehementius constringentes.

V. Adstringens; antiseptica.

U. In hæmorrhoide cœca, unguentum e gallis in pulverem subtilem tenuatis, cum tantillo opii et pari adipis suillæ, aut butyri portione illinitur; vel si sedes alta in intestino recto est, infusum gallarum quernarum saturatum injicitur, quod fomenti instar juvat in prolapsu uteri et ani. Alcock suadet decoctum gallarum Quercus saturatius ad destruendas genitalium verrucas. Gargarisma quoque, pro re nata, non alienum. Conficiendo atramento peridoneæ sunt.

D. Semuncia gallarum decoquitur in aquæ bilibra ad sesquilibram. Intus a granis decem ad scrupulum cum aromaticis et amaris exhibitæ fuisse dicuntur.

QUERCUS ROBUR.

» » PEDUNCULATA.

Дубъ обыкновенный.

Per omnem Rossiam temperatam et australiorem passim nemora efficit, et arbustim fere ubique provenit; in borealibus vero oris naturaliter deficit. Cl. Monœc. O. Polyandr. O. N. Amentaceæ. Cupuliferæ. *Usualia sunt:*

Cortex ramorum (*Дубовая корка*) planiusculus, subligneus, undique cinereus, extrinsecus longitudinaliter subfissus, sæpe conspurcatus lichenibus. Tenellorum ramorum præfertur. Nuces, seu Glandes; Folia (*Дубовые желуди, листы*).

Q. Styptica, ab acido tannico imprimis pendens. Odor fere nullus; sapor admodum stypticus, acerbitate permistus, cum a junioribus decerpitur ramulis.

V. Adstringens topica; antiseptica.

U. In cynanche atonica, relaxatione uvulæ, tumoribus œdematosis, prolapsu uteri et ani, profluviis sanguinis passivis, leucorrhœa muliebri, forma gargarismatis, fomenti, aut injectionis prodest. In ulceribus putescentibus et carie, nec non in gangræna a cubitu cum acetate plumbi, addito pro re nata tantillo spiritus frumenti, decoctum saturatius, extrinsecus admotum, utile est. Cortex pulveratus, sacculis lineis inditus et vino immersus, in hernia, præcipue infantum, salutaris aliquando extitit. Glandes tostæ, instar potus coffeæ, in atrophia utiles perhibentur. Decoctum foliorum laudatur in pernionibus, necdum exulceratis, fomenti vel balnei instar.

D. Decoctum corticis paratur ex uncia, vel duabus, cum libra aquæ, ad dimidium consumpta, et ex-

trinsecus adhibetur. Glandium tostarum semunciæ adfunditur aquæ selibra, et infusum partitis vicibus exhibetur.

RHEUM.

R. PALMATUM; — COMPACTUM.

Ревень.

Planta in montibus excelsis Tartariæ Mongolicæ et septentrionalibus Sinensis Imperii provinciis crescens. Cl. Enneandr. O. Trigyn. O. N. Polygoneæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, magna, carnosa, solidæ texturæ, cortice dilute fusco obtecta; extrinsecus, resecto eodem, ex luteo aut croceo rubet, intus iisdem coloribus, et interdum etiam albido, variegata. Tres ejus numerantur varietates: a) R. Ruthenicum seu Sibericum, a Bucharis e Kiachta Mosquam delatum, unde in totam Europam exportatur; b) R. Chinense seu Tartaricum, quod ex urbe Canton ab Anglis in Europam adfertur; crescit in declivitatibus montium Tartariæ, qui a Chinensi urbe Si-ning ad lacum Koko-Nor usque prope Thibetum extenduntur, unde flumen Chou-cho originem ducit; in provincia Chinæ Shen-see colitur, ubi appellatur Haihoung; c) R. Gallicum seu Europæum. Ruthenicum, cæteris præferendum. Varia prostat forma, nunc rotunda vel plana, nunc longiuscula, rubicundi coloris aut albidi, interdum flavi; saporis peculiaris ingrati, amaricantis, parum adstringentis; masticatum stridet inter dentes, et salivam mox colore croceo tingit; in fractura refert superficiem venis quasi flavis, rubicundis, interdum fuscis, marmoris ad instar, distinctam. Rheum Chinense Ruthenico proxime accedit, per mare tamen vectum depravari dicitur. Turcicum, a quibusdam me-

moratum, Tartaricum est, per Anatoliam veniens. Radix Rhei rhapontici, genuino interdum supposititia, ramosa est, extrinsecus fusca, intus ex albido et subluteo variegata, non tam ingrati saporis, neque amaricantis, sed subdulcis et viscidi. Radices, segmenta levia et pallidiora referentes, ac teredine corrosæ improbantur.

Q. Analysi chemica, a Henry facta, in radice Rhei inventa sunt: ***Rhabarbarinum***, prius a Trommsdorff detectum et sic nominatum, principium saporis amari et adstringentis, qui in Rheo est; in aqua fervida, alcohole et æthere solubile, non vero in aqua frigida; igni expositum partim flavo avolans vapore, olfactui grato; cum potassa et ammonia læte rubram solutionem præbens, acido autem quovis addito proprio colore præcipitatur; a nonnullis pro alcaloide habitum est; novissimis tamen experimentis (Peretti) constat, illud resinam esse peculiarem cum materia flava junctam; si autem Cl^mo^ Hornemann fidem habeas, Rhabarbarinum e substantia peculiari pingui vel oleosa, ***Rheumine*** dicta, resina et principio scytodepsico compositum est. Præter Rhabarbarinum est in Rheo: oleum concretum mite; oxalas calcariæ; malas ejusdem; gummi paucum; materies amylacea; parva quantitas aluminis; silicea et ligninum.

V. Tutissime purgans; antacida; subadstringens; anthelminthica; roborans; parvis dosibus peptica.

U. In colluvie pituitosa scopo purgandi prodest cum chlorido hydrargyri, aut tartrate vel bitartrate potassæ; interveniente autem enterodynia flatulenta, ut in hystericis et hypochondriacis, remedia aromatico-amara, ut r. zingiberis, cortex fructus c. aurantii etc., eidem recte adjiciuntur; si vero acor in ventriculo prævaleat, additamentum carbonatis magnesiæ, sodæ, aliorumque absor-

bentium, aptum est. In alvi fluxibus pituitosis, et in ipso cœliaco morbo, commendatur radix Rhei cum gummi acaciæ veræ, extracto hyoscyami, radice cocculi palmati et elæosaccharo cinnamomi. Infantibus, viridi alvifluxu, acore ventriculi et dentitione difficili laborantibus, apte datur cum magnesia, et elæosaccharo fœniculi; quin in ipsa rachitide et atrophia non male inchoatur medela radice Rhei, forma syrupi, vel cum radice rubiæ tinctorum, bile taurina, extractis quoque amaris etc. In dysenteria sub finem, subductis videlicet cruditatibus, ubi infirmitas sola restat, utilitatem promittit; hunc in scopum infunditur sufficienti quantitate aquæ sesquidrachma radicis, cum semidrachma radicis ipecacuanhæ, addito gummi acaciæ veræ et syrupo althææ. Hæmorrhoidariis etiam, diu conflictatis, pituitæ cursum ex ano habentibus, haud parum levaminis præstat radix parvis dosibus cum colomba et ligno quassiæ conjunctim propinata. Probe tamen memorandum est, in hæmorrhoidibus siccis, ob qualitatem irritantem, potius noxam illaturam esse radicem Rhei, et vel maxime cum roborantibus, ut colomba etc. Commendatur Rheum contra aphthas, uti etiam adversus lumbricos. Qui e febribus convalescunt, infirmitate interdum cum alvi obstructione laborant, et tum idonea est radix cum cinchonæ cortice. Plethoricis, febrientibus, et dysuriæ obnoxiis, aliena est.

D. Scopo alvum ducendi a scrupulo ad duos; minori vero in dosi, aliis catharticis recte adjungitur, uti etiam chlorido hydrargyri etc. Scopo peptico: a tribus ad sex grana cum aromaticis et amaris, bis aut ter in die, datur.

RHODODENDRON CHRYSANTHUM.

Пьяничникъ; Роза Сибирская подснѣжная; Коряцкая Шабина; Кашкара; Келарскъ; Черногривъ; ab incolis vero Kamtschatkæ *Катакалечъ* vocitatur.

Planta fruticosa pulchra, corollis rotatis, irregularibus, aureis, in alpibus jugi Sajanensis ad Jeniseum fluvium in montibus elatioribus inter Siberiam et Dauriam, ad lacum Baical, in Kamtschatka, nec non in insula Beringia, tam in elevatis rupestribus, quam depressis muscosis, ad radices montium et stagna ubertim crescens. In alpinis pedali minor, in depressioribus sesquipedalis. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Ericeæ. *Usualia sunt:*

Folia, oblonga, scabra, subtus discoloria, glabra, venoso-reticulata; umbellarum terminalium gemma florifera, ferrugineo-tomentosa. Loco ejus Rhododendron ferrugineum (quod est foliis glabris subtus leprosis, corollis infundibuliformibus) et R. maximum (foliis subcuneato oblongis, coriaceis, glabris, cal. laciniis ovatis, obtusis, corolla subcampanulata) substituta fuisse quidam narrant.

Q. Odor foliorum ingratus, ad odorem rhei accedens; sapor amarus, acris, adstringens. Secundum Stolze folia siccata continent: extractivum amarum, extractivum oxydatum, ceram viridem, extractivum per potassam obtentum, tanninum et materiam fibrosam.

V. Stimulans; narcotica; sudorifera; adstringens. Baicalense magis narcoticum; quod vero ad Lenam provenit, cathartica magis vi pollet; in locis montosis crescens, imprimis in insula Beringia, semper efficacius est in declivibus exorto.

U. Ab accolis Lenæ fluvii, venatoribus et glaciei marinæ fossoribus, adhibentur folia in infuso adversus

arthriticos adfectus ex frigore ortos; quorum exemplum Medici secuti, optato cum successu myodyniæ rheumaticæ, arthrodyniæ, imo ostealgiæ syphiliticæ eadem opposuerunt. Silvicolis Tartaris, Sajanensis jugi accolis, ad instar foliorum theæ boheæ quotidiano venit usu, ut sibi persuadent, salutari. Innotuit jam diu genti, regionem Baicalensem inhabitanti, a Rhododendro somnum, ebrietatis sensum et delirii quandam speciem provocari, serius vero sudores prolici, et alvum liquari; quo facto, non tantum melius se habere, sed sanitati pristinæ restitui ægri soleant. Utilitatis ex applicatione externa adsunt nonnulla documenta in crurum ulceribus, in tumoribus scirrhosis et canceraticis mammarum, contractura, paralysi etc. Pulvis in Siberia sternutamentorum evocandorum ergo, quum catarrho vel cephalalgia laborant, naribus attrahitur a ruricolis.

D. Metternich pulveris grana quinque ad semiscrupulum, et integrum, administrare suadet. Infusum, quod aptius est, paratur e drachmis quatuor foliorum, quæ, sufficienti aqua bulliente in vase clauso superfusa, per 12 horas macerantur, ut colatura unciarum decem prodeat, cujus uncia vel duæ bis in die porriguntur, gradatim ascendendo.

RHUS TOXICODENDRON.

Желтникъ ядовитый.

Frutex in Americæ septentrionalis regionibus, scilicet in Virginia, Carolina et Canada spontaneus, in Europa autem cultura crescens. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Anacardiaceæ. *Usualia sunt:*

Folia, tres circiter pollices longa, duos lata, petiolis longioribus instructa, ovato-acuminata, coloris ex

viridi flavescentis, venulis purpureis distincta. Folia recentia tam acria sunt, ut jam exhalatio eorum, quin attingantur, tumorem et vesiculas in cute extollat; succo enim lacteo acerrimo, in aëre mox nigrescente, uberrime scatent.

Q. Folia siccata odoris sunt expertia, saporis adstringentis. Partes constitutivæ præcipuæ sunt: principium veneniferum acerrimum et volatile (necdum disquisitum) nec non tanninum; præterea gummi, amylum, chloridum potassii.

V. Stimulans; narcotica; in medullam spinalem et nervos motui voluntario dicatos imprimis vim exserens; hoc respectu cum nuce vomica quandam similitudinem habet.

U. In morbis paralyticis, uti: hemiplegia, paresi extremitatum, incontinentia urinæ et fæcum, imprimis dum hujusmodi mala ex cutis functione vel sudore locali suppressis originem ducunt. Utile inventum est in amblyopia et amaurotica visus hebetudine; nuperrime etiam optimo cum successu datum fuisse fertur in ophthalmia scrofulosa, quam insignis photophobia concomitabatur; nec non in fœditatibus herpeticis.

D. Pulvis foliorum exhibetur a granis duobus ad quinque mane ac vesperi, sensim augendo dosin ad scrupulum, forma boli; paratur etiam tinctura (ad instar tincturæ digitalis p.) bis in die a 20 — 25 guttas danda. Extracti dosis est grani dimidium.

RICINUS COMMUNIS.

Клещевина.

Planta utriusque Indiæ, Africæ, Americæ australis et Græciæ, quæ aliquando ad 16 pedum altitudinem brevi excrescit; provenit etiam in rupibus ad fretum

Gaditanum, nec non apud nos trans Caucasum in provincia Erivan aliisque in locis. Cl. Monœc. O. Monadelph. O. N. Euphorbiaceæ. *Usuale est:*

Oleum Ricini *(Клещевинное или Касторовое масло)*, ab Anglis *Oleum Castoreum* sæpe nuncupatum, quod coctione vel expressione seminum obtinetur. Expressum præfertur illi, quod per coctionem paratur; hoc enim brevi rancidum fit. Non raro oleo olivarum, vel lini, aut papaveris albi adulteratur. Sed impostura facili modo detegitur, dum oleo suspecto æqualis quantitas alcoholis purissimi additur: si purum, solutio plene insequitur, minime vero si adulteratum.

Q. Oleum recens, haud rancidum, est spissum et viscidum, coloris expers vel aliquantulum flavescentis, inodorum, saporis blandi. Pondus ejus specificum = 0,96. Ad — 14° R. rigidum fit, et colorem fusco-flavum assumit, sed transparens manet; circa — 3° R. pristinam consistentiam et colorem recuperat. In alcohole ac æthere totum solvitur, quo mucilago ipsi admista in floccis separatur. Secundum analysin a Busy et Lecanu institutam Oleo Ricini insunt: acidum ricinicum, quod funditur ad + 18° R.; acidum elaiodicum, infra 0° R. fluidum et acidum margariticum, quod non infra 102° R. funditur, atque in crystallos solidescit.

V. Leniter et tutissime alvum ducens, quin irritet.

U. Ubi prompta tubi intestinalis exoneratione opus est, Oleum Ricini multis aliis remediis præstat. Dum acria quædam, ut arsenicum, vel plumbi salia, incaute intestinis ingesta sunt, exhibita prius antidoto, examussim convenit. Alvum, ex abusu drasticorum vel opii adstrictam, normalem reddit. Tenesmum, quo sæpius dysenteria vel hæmorrhoides stipari solent, levat, et irritationem intestinorum aufert, alvum ducendo. Hyste-

ricis et hypochondriacis convenit; non minus tetano, trismo et in universum convulsionibus multifariis adcommodum remedium. In colica, ileo et volvulo intestinorum maximam ejus utilitatem multi experti sunt. Forma emulsionis cum carbonate sodæ aut potassæ prodest ad mitiganda mala, in organis uropoëticis sedem figentia. Adversus intestinorum vermes infantibus etiam aptum. Feminis gravidis, nec non puerperio cubantibus, vel intus datur, vel forma clysteris injicitur. Post operationes chirurgicas majoris momenti, ubi evacuante remedio opus est, quam adcommodum.

D. Adultis cochlear mensale vel duo (uncia dimidia vel integra); infantibus cochlear theanum vel duo. Datur cum jusculo carnis, infuso coffeæ, vel aqua quapiam aromatica, ut tutius in ventriculo retineatur.

ROSA CENTIFOLIA et R. GALLICA.

Роза столепестная или алая, и Французская или красная.

Frutices in hortis hospitantes cum varietatibus numerosis. Prima species Persiæ septentrionalis est indigena; Rosa Gallica vero in Europa meridionali ubique provenit, et ab illa aculeis stipularibus, foliolis coriaceis rigidis, petalis passim intensius rubris, sed minus odoris, fructibus subglobosis valde coriaceis, aliisque notis differt. Cl. Icosandr. O. Polygyn. O. N. Rosaceæ. *Usualia sunt:*

Petala Rosæ centifoliæ *(Flores Rosarum pallidarum* seu *incarnatarum)*, pallide rubentia, odoris gratissimi; recentia vel sale condita, ad aquam Rosarum stillatitiam et mel rosatum parandum inservientia. Oleum Rosarum æthereum e Rosa centifolia et moschata, in India Orientali et Persia, ubi magis fragrant, obtinetur.

Petala Rosæ Gallicæ *(Flores Rosarum rubrarum)*, siccata saturate rubra, ni ab influxu lucis et aëris flavescant, vix odora, sed sapore magis adstringente insignia.

Q. Ab acido tannico et oleo æthereo præcipue derivanda; illo petala R. Gallicæ eminent, hoc vero petala R. centifoliæ ditiora sunt. Reliquæ partes constitutivæ petalorum Rosarum sunt: acidum gallicum, pigmentum, materia pinguis, albumen, gummi, oxydum ferri, silicea, varia salia ac fibrina.

V. Analeptica; petalorum R. Gallicæ insimul tonica et adstringens.

U. Aquæ et olei ætherei Rosarum præcipue cosmeticus; prima et collyriorum vehiculum passim constituit. Petala vero Rosæ Gallicæ siccata ad paranda collutoria seu gargarismata adhibentur. Infusum rosarum rubrarum elegans est vehiculum acidorum mineralium, ad sistendas hæmorrhagias et hæmoptysin a multis commendatum.

ROSMARINUS OFFICINALIS.

Розмаринъ аптечный или садовый.

Frutex in Rossia australi spontaneus, alibi in hortis cultus, floribus ringentibus, dilute cæruleis. Cl. Diandr. O. Monogyn. O. N. Labiatæ. *Usualia sunt:*

Folia lineari-lanceolata, semper virentia, marginibus revolutis, subtus canis.

Q. Ab oleo volatili camphoraceo derivanda. Odor fragrans; sapor aromaticus, amarus.

V. Stimulans; nervina; antispasmodica; menagoga; externe resolvens.

U. Folia vino decocta melleque mista asthmatis pituitosi exstiterunt medela (**Borell**). Nocturnas pollutio-

nes in potu theiformi cum tinctura aromatica acidulata, ad noctem sumpta, cohibere dicuntur. Externe cum aliis herbis aromaticis, forma sacculorum et fomentationum siccarum, ad varias humorum stagnationes discutiendas, cum laude adhibentur.

D. Folia porriguntur aliquando in pulvere a granis decem ad scrupulos duos; infusum paratur e sescuncia foliorum cum unciis decem aquæ aut vini. Olei guttæ duæ ad decem usque cum saccharo pro dosi exhibentur.

RUBUS CHAMÆMORUS.

Морошка.

Non solum per omnem Rutheniam septentrionalem, Siberiam, ad littora Maris Glacialis et in contiguis insulis maxime borealibus, Terra Nova *(Новая земля)*, circa oppidum Mezeny Gubernii Archangelopolitani et Kolam, in paludosis lichene abundantibus et æstate vix perviis locis *(Тундра)*, spontanea, ac copiosissima planta, ab arctois gentibus (Lapponibus et Samojedis) collecta; sed etiam per Ingriam aliasque septentrionales provincias in locis palustribus frequens. Cl. Icosandr. O. Polygyn. O. N. Rosaceæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Baccæ *(Морошка)* nondum satis maturæ, pallide rubræ et subacidæ, post maturationem vero flavæ, cerasi majoris magnitudine, molles, deciduæ, vix acidæ, sed aquosæ, acinis grandioribus, pisum fere referentibus. Differunt a Rubo Chamæmoro: Rubus Dalibarda, — Arcticus *(Мамура)*, — Saxatilis; primus (Dalibarda repens Pearson Synop. pl.) stolonibus reptantibus, fol. simplicibus cordatis; alter foliis ternatis; Saxatilis vero *(Костяника)* foliis ternatis nudis, flagellis rep-

tantibus herbaceis, panicula pauciflora. Herba fol. simplicibus lobatis, caule inermi unifloro.

Q. Inodora, aquosa, baccarum. Herbæ vires in resina, principio scytodepsico et extractivo sitæ; siccata est fere odoris expers, initio insipida, dein vero sapore aliquantulum acerbo cum amaritie levi.

V. Baccarum refrigerans; antiscorbutica. Herbæ diuretica, in urocystidem agens, atoniæ illius occurrens; nonnihil narcotica.

U. Baccæ maturæ, tam crudæ, quam conditæ, hominibus cibum præbent antiscorbuticum. Hunc in usum per omnem Rossiam durante hieme vel baccæ integræ sub nive alpium defodiuntur, vel immaturæ in doliis probe clausis superfusa aqua, vel perfecte maturæ coctione in formam roob redactæ, superadditis reliquis baccis integris, submaturis, vel denique acidæ fermentationis ope, variisque aliis modis condiuntur et conservantur; tum pro acetariis, quum etiam pro antiscorbutico classiariorum usu. Herba commendatur in ischuria senum ex atonia urocystidis, forsitan et in enuresi infantum, absente calculo et vitio spinæ prodesset. Infusum foliorum ulceribus viarum uriniferarum, cystorrhœæ et fistulis exinde haud raro ducentibus ortum auxilio esse, propria edoctus sum experientia; moneo igitur, ut in enumeratis casibus, loco uvæ ursi et forsan diosmæ crenatæ, Rubus Chamæmorus usurpetur. In hydropisi ruricolarum experientia commendari meretur; sed etiam radix Rubi Chamæmori a Boërhaavio hunc in finem impensius laudata erat, eaque cum melle cocta, vel cum vino rubro, veteribus pro summo remedio habebatur in hydrope.

D. Uncia dimidia herbæ decem unciis aquæ ferventis per horam infunditur, ac mane vesperique hæc

dosis sumitur. Et pulvis, et extractum tentari merentur. Scire licet usum herbæ, principiis validioribus dotatæ, cautelas etiam exposcere.

SACCHARUM OFFICINARUM.

Сахарникъ; Сахарный тростникъ.

In utraque India, Persia et Otaheite *), in locis udis sponte gignitur et copiose colitur; cal. lanugine longa involucrato, corolla bivalvi, flor. panniculatis, fol. planis. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. ***Usuale est:***

Saccharum album ***(Сахаръ)***, **substantia crystallina, dulcis, in aqua ex toto solubilis, quæ e succo culmorum graminis expresso et densato, atque in propriis Europæ officinis purificato, paratur.** ***Syrupus Melassus (Патока)*** **est pars liquida Sacchari in crystallos neutiquam coiens, sub purificationis processu obtenta.** ***Saccharum candum,*** **quod albas, flavas vel pullas crystallos refert, ex Saccharo, in aqua soluto, et lentæ vaporationi exposito, in crystallos sensim concrescit. Elicitur etiam Saccharum e variis vegetabilium partibus, succo dulci scatentibus, uti radice Betæ vulgaris, e succo Aceris saccharini, aliisque; cui fini officinæ propriæ saccharo purificando in australioribus Europæ et Americæ regionibus dicatæ sunt.**

Q. Saccharum album massam refert granoso-crystallinam, albam, odoris ferme expertem, saporis grati, dulcis. Aquæ frigidæ tertiam ponderis partem requirit, ut solvatur; calidæ autem multo minus. In alcohole absoluto frigido prorsus non solvitur, bullientis vero

---

***) Ex gramine, in Otaheite crescente, multo plus quam ex aliis ubicunque crescentibus, Sacchari obtinetur.**

80 partes exposcit; solvitur etiam in alcoholis purissimi bullientis 4 partibus. Calefactum colore fusco tingitur, funditur, et proprietate in crystallos coeundi orbatur, atque dein aëri expositum humescit et mucilaginosum fit; magis aucto calori expositum intumescit, vaporem aromaticum spargit, et exardescit flamma alba carbone residuo. Centenarius constat: ex 43 carbonei, 6 hydrogenii et 51 oxygenii, vel si mavis ex: 43 carbonei et 57 aquæ partibus. Cum acido nitrico oxydatum refert acidum oxalicum et acidum pseudomalicum. Ex acido sulphurico concentrato frigido nigrescit; cum calido autem dat acidum carbonicum, et gas acidum sulphurosum. Calcaria et alcalia fixa intimum cum saccharo ineunt connubium, in quo saporis dulcedo prorsus evanescit. Solutione sacchari aquosa varia oxyda metallica, etiamsi acidis nupta, decomponuntur; salia cupri cum syrupo cocta fuscum induunt colorem; bichloridum hydrargyri cum syrupo ad communem aëris teporem abit in chloridum hydr.; nitras oxydi hydrargyri partim decomponitur in hydr. metallicum; pari ratione reducendo agit in salia argenti et auri. Pulvis Sacchari multum gasis ammoniaci absorbet, et in massam tenacem, gas ammoniacum redolentem mutatur. Solutio Sacchari cum oxydo plumbi sistit duo composita, quorum unum, salis neutri qualitatibus præditum, solubile est, alterum vero cum exuberante oxydo insolubile.

V. Altrix; demulcens; antiseptica; parum irritans. Extrinsecus leniter stimulans; escharotica.

U. Vulgare est ciborum et potulentorum condimentum, nutrimentum etiam, nec temporis lapsu, nec aëris temperie, corrumpi subjectum. Tuetur vegetabilia con-

tra putorem, ideoque condituris et conservis optime inservit; haud secus ac suavissimum præbet additamentum, in componendis pluribus medicinis, quarum sæpe unionem promovet, imprimis vero efficit, ut olea et resinæ cum aqua misceantur. Ob facultatem nutritoriam laudatur in cachexiis et macie, ast in hunc finem præfertur saccharum lactis. Cum lacte asinino, ad uncias plures per diem, in phthisi pulmonali ulcerosa administratur. Valet adversus putredinem, et arcendam et superandam, quo etiam scorbuto officere videtur; scite enim notatum est, Indos, quibus copia ejusdem suppetit, a scorbuto immunes esse (Pringle); suasum est igitur sagaci consilio, ut velificantibus nautis quotidie aliquid Sacchari exhiberetur (Macbride). Seminium verminosum ab intestinis retinet (Rush); apte igitur pro puellis Saccharum, vel mel, commiscetur cum alio quovis congruo anthelminthico et palato infantili gratificaturum, et vermibus exitium paraturum. Pulvis Sacchari inspersus corrodit carnem ulcerum luxuriantem, et antiseptica vi eadem emendat; sic etiam aqua saccharata, syringa auribus injecta, fœtidum earum profluvium mucosum corrigit. Tentabatur etiam in cicatriculis, vel maculis corneæ delendis, cum successu Saccharum candum, per calamum scriptorium exiguis portiunculis inflatum. Corrigit odorem aëris corruptum, candentibus carbonibus inspersum; hinc et pulveres fumales ruditer contusum ingredi solet. Nocet hominibus, vel copia vel mala opportunitate; est imprimis infestum virginibus chloroticis, infantibus rachiticis et scrofulosis, hypochondriacis, hystericis, in quibus acor, jam antea productus, Saccharo novum adipiscitur incrementum. Cariosi etiam inde fiunt dentes nigrique, præcipue si tegmen vitreum calidis ingestis,

vel Saccharo duro inter dentes comminuto, rimas egit. Syrupus melassus aut mel sæpius in praxi militari eidem subrogantur.

SALIX.

Верба; Ветла; Ива.

Europæ incola, ubivis in locis humidis et ad fluvios crescens. Officinales sunt: Salix fragilis, S. caprea, S. alba, S. pentandra, S. fissa, S. helix, S. amygdalina, S. vitellina, S. incana et Russeliana (*Medic. Botan.*). Cl. Diœcia. O. Diandria. O. N. Salicineæ. *Usualis est:*

Cortex ramulorum *(Вербная корка)*, tenuis, lævis, nitens, externe fuscus, interne pallide flavens. Detrahitur cortex ramorum triennium cum libro, vel ante anthesin, vel dum florent, et in locis umbrosis, ne odore balsamico privetur, siccandus est. Crassus vero usui medico ineptus.

Q. Cortex saporis est austeri, amaro-styptici; odoris aromatici. Partes constitutivæ secundum Pelletier et Caventou sunt: principium scytodepsicum, materies resinosa fusco-rubra, resina viridis, cera, materies tingens flava, gummi, acidum peculiare et fibrina. Principium, a quo corticis efficacia pendet, *Salicinum* est, quod nec acidas, nec alcalinas exserit qualitates, crystallorum capax, in aqua et alcohole solvitur, minime vero in æthere.

V. Tonica; adstringens; antiseptica; antifebrilis.

U. Stone drachmam corticis subtilissime pulverati in tertianis et quartanis febribus cum successu exhibebat omni hora ante paroxysmum, interdum quinta parte corticis cinchonæ admista. Ut tonicum et adstringens, præcipue pauperibus, cinchonæ loco datur. Idoneum

est remedium in dyspepsia, hæmorrhagiis passivis, et febri hectica. Imprimis autem dicatur atoniæ systematis muscularis et profluviis quibusdam mucosis inde oriundis, quo pertinent: diarrhœa, blennorrhœa, vermes et id genus alia. Externe ulceribus obponitur atonicis malignis, furunculis ad gangrænam vergentibus, ligamentorum laxitati et aliis.

D. In substantia a scrupulo ad drachmam; pro decocto uncia dimidia vel integra sumitur, et cum libra aquæ ad dimidium decoquitur, porrecto cochleari omni altera hora. Extractum datur a scrupulo dimidio ad duos, forma pilularum. Salicinum porrigitur ad grana sex pro dosi, ter aut quater in die.

SALVIA OFFICINALIS.

Шалфей обыкновенный или садовый.

Suffrutex, cor. inæquali, filamentis transverse pedicello affixis, in Ruthenia australi spontaneus; in hortis vero sub dio hospitans commode. Cl. Diandr. O. Monogyn. O. N. Labiatæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, lanceolato-ovata, integra, crenulata. Ultra centum dantur Salviæ species, quæ omnes, vel simili gaudent virtute, vel validiori. Ante florescentiam colligenda.

Q. In oleo æthereo camphoraceo residet ac principio resinoso, amaro et adstringente. Odor fortis, fragrans; sapor subamarus, subadstringens.

V. Leniter incitans; adstringens; extrinsecus resolvens.

U. Commendatur infusum foliorum adversus nocturnos sudores profusos, post febres superatas remanentes, vel phthisin comitantes, quem in finem æther sulphuricus non inepte aliquando adjicitur. In infuso,

frigide propinato, contra metrorrhagias juvat; quod etiam tumori mammarum ex lacte post ablactationem adcommodum esse, Swieten testatur. Infusum aquosum, forma gargarismatis in angina serosa, tumore gingivarum et uvulæ, ulceribus oris, aphtis etc., utile se præstitit.

D. Grana quindecim (ad scrupulos duos) in pulvere dantur; pro infuso uncia, vel duæ, ad aquæ libram.

SAMBUCUS NIGRA.

Бузина черная; Самвикъ.

Frutex in Rossia australi spontaneus, et Petropoli subsistens, foliis pinnatis, foliolis subovatis, serratis, caule arboreo. Cl. Pentandria. O. Trigynia. O. N. Caprifoliaceæ. *Usuales sunt:*

Flores, calyce 5-partito, corolla 5-fida, cymis quinquepartitis; recentes albidi, siccati vero flavescentes. Baccæ, recentes ovales, nigræ, umbilico stellato, succosæ, trispermæ, succo rubicundo, acidulo-dulci. Flores in cribris atque super suspensum linteum siccandi sunt, ne, aut nigredine nauseosi fiant, aut mucore corrupti videantur. Substituuntur illis et admiscentur quandoque flores Sambuci ebuli (*Бузникъ, Селеникъ*), quæ est cymis tripartitis, stipulis foliaceis, ovatis, caule herbaceo, et Sambuci racemosæ, quæ racemis compositis, ovatis, et caule arboreo distinguitur. Cortex.

Q. Omnes Sambuci nigræ partes, præsertim florescentiæ tempore, narcoticum odorem spirant; saporis amaricantis. Partes constitutivæ florum, secundum Ellason, sunt: oleum peculiare, in crystallos coiens, valde penetrans; sulphur; gummi quædam species; albumen vegetabile; mucilago; resina; principium scytodepsicum; extractivum, cui nitrogenium inest; et varia salia.

V. Florum diaphoretica; extrinsecus resolvens. Viride caulis stratum, sub epidermide situm, intus sumptum violenter purgat, hinc a Boërhaave et Sydenham ut drasticum olim cum successu adhibitum fuit; dosi majori idem fit emeticum insimul Succi baccarum expressi purgans.

U. Flores aqua fervida infusi vulgatissimum laudeque dignissimum exhibent remedium, quo diaphoresis blande promovetur, noxæ a perfrictione perfacile concipiendæ avertuntur, morbilli, scarlatina, erysipelas, aliaque exanthemata, in eruptione torpescentia, vel retrograda, incitantur vel reducuntur. Externe adhibentur siccati ad tumores discutiendos. Cortex interior efficax est in hydrope, variis chronicis obstructionibus, in pulvere a granis decem ad scrupulum, ex vino, vel decoctus. Baccæ ad tingendas lanas et sericum a Törökiensibus adhibentur; charta vero earum succo imbuta, ad instar lacmi, detegendis alcalibus et acidis idonea est (Chevalier).

D. Florum semuncia ad libram aquæ pro infuso.

SAPONARIA OFFICINALIS.

Мыльнянка; Мыльная трава.

Planta per prata et dumeta Europæ mediæ crescens, in Rossia etiam perfrequens. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Caryophyllaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix, cylindrica, alte terram subiens, bi-vel tripedalis, crassitie calami cygnei, sæpe digiti minimi, geniculata, superne ramosa; ramusculis ad genicula brachiatim oppositis, fibris filiformibus prope ramos; externe rubens, flavescens intrinsecus. Tempestive colligenda est, et, ne vermiculetur, non ultra annum ser-

vanda. A radice Lychnidis dioicæ, ramosa, fibrata, alba, lignosa intus, inodora, saporis subamari, uti etiam a radicibus Cucubali Behen, quæ a rhyzotomis Saponariæ officinalis loco leguntur, atque interdum pro ea venumdantur, characteribus suis probe distinguenda.

Q. Odoris est expers, sapore autem protinus subdulci, farinaceo, dein amaricante, palatum vellicante, radicem polygalæ senegæ æmulante. Infusum radicis, vel decoctum saturatius cum aqua paratum, quassatione crebra agitatum, solutionis saponaceæ instar, in spumam abit. Secundum Bucholz partes constitutivæ sunt: aqua, extractivum, resina, gummi peculiare, extractivum induratum, ligninum, et materies tragacanthæ similis. Osborne, Professor Dublinensis, in Saponaria novum salem vegetabilem detexit, album, prismata formantem radiata, valde amarum, cui *principii saponacei, Saponini* secundum Braconnot, nomen insignitum est.

V. Plexus nerveos abdominis blande stimulans; in cutaneam quoque perspirationem agens.

U. In infirmitate organorum abdominalium laudatur; hinc in hepate obstructo et ictero, Boërhaavii olim præconia tulit, haud secus ac in incipiente hydropisi, quæ e jecinoris labe nascitur. Nec spernenda ejus vis in pneumonitide lenta, adhibito simul hydrargyro et opio (Sprengel); in hypochondriasi et atrophia ob vim blande resolventem datur cum successu. In pulmones agendo præstitit se efficacem, teste Tomm, adversus pituitosam et catarrhalem tussim. Utilis est seu sola, sive in consociatione aliorum, ut caricis arenariæ, ad præparandum decoctum, in syphilide inter usum hydrargyri hauriendum. In morbis articulorum, ex eodem inquinamento ortis, laudante impensius Bergio, innotuit. Proficit quoque in cutaneis syphiliticis ad-

fectionibus diaphoresin producendo. Ventriculum, si diutius in usum trahatur, debilitare Hornius adseverat.

D. Radicis unciæ duæ cum sufficienti aqua decoquuntur ad colaturam librarum duarum, quæ vasculatim aliquoties in die exhibetur. Sæpe conjungitur cum radice bardanæ, tritici repentis, aut polygalæ senegæ. Extractum datur a scrupulo dimidio ad duos.

SCILLA MARITIMA.

Сквилла; Морской лукъ.

Planta Rossiæ australis, Hispaniæ, Siciliæ, Syriæ, Barbariæ, et præsertim in insulis archipelagi Græci et Navarini copiose crescens. Cl. Hexandr. O. Monogyn. O. N. Asphodelcæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix (squamæ bulbi siccatæ), bulbus pyriformis, ponderosus, basi fibrillis distinctus, epidermide ex fusco rubescente tunicatus, squamis extrinsecus tenuioribus aridis, intus carnosis latis, consistens. Interiores, calore leni siccatæ, in officinis asservandæ, speciem cornu aliquantum pellucidi præ se ferunt; oblongæ sint, tenaces, duræ, ponderosæ, in pulverem difficulter redigendæ. Squamæ leves, exsuccæ, insipidæ, fuscæ, ut corruptæ, rejiciantur.

Q. Odor nullus; sapor amaricans, nauseosus, acris. Secundum analysin, a Vogel institutam, centum partes radicis siccatæ dederunt: principii scytodepsici 24; gummi 5; fibræ ligneæ cum exigua citratis calcariæ quantitate 31; jacturæ cum principio acri, volatili, non separando 5 et *Scillitini*, principii peculiaris acris, ab eodem detecti et nominati, cum pauca sacchari quantitate juncti 35. Scillitinum est durum, album, pellucidum, in fractura resinosum, facile in pulverem redi-

gitur, aqua, spiritu vini et aceto solubile, iisque saporem perquam amarum impertiens; in aëre humorem attrahendo diffluit.

V. Stimulans, inter persistentes numeranda; imprimis vero in systema lymphaticum et membranas serosas agens; actionem vasorum absorbentium sustentans; secretiones et excretiones pulmonum, cutis et renum augens. Majori dosi vomitum, minori alvum, minima vero lotium movens. Extrinsecus radix recens rubefaciens, vesicans.

U. Ut stimulans generatim: paralysibus, apoplexiæ serosæ (clystere cum aceto injecto); ut plexus nerveos abdominis excitans: ictero, chlorosi etc., obponitur. Secretionem membranæ pulmonum mucosæ intendendo, cum oxymelle tussi pituitosæ, catarrho asthenico, et asthmati spasmodico occurrit. Pulmonibus tamen æquo irritabilioribus, tuberculis pulmonalibus, inflammationi, aut vomicæ ob stimulum aliena est. In renes agendo nephritidi sabulosæ opem fert. Magni æstimatur in unoquoque hydrope apyreto, præsertim vero ascite, anasarca et hydrothorace (non vitio tamen glandularum membranulæ cujusdam, vel auctiori arteriarum actione procreato); sed neutiquam in saccato, quum inclusæ colluviei impar sit evacuandæ. Cum causas hydropiseos tollere nequeat, jungitur Scilla congruis remediorum adminiculis, vel causæ simul removendæ paribus, vel quæ singularis hydropicorum conditio exigit; hinc si spasmi culpandi sunt, datur cum ipecacuanha et valeriana, addito æthere, aut opii tinctura; si a nimia vasorum energia impetuque sanguinis quidlibet metuendum sit, propinatur cum bitartrate potassæ, chlorido hydrargyri, et interdum cum digitali purpurea; si ratio stasium abdominalium habenda, sapo stibiatus, am-

moniacum, extracta: tritici repentis, saponariæ officinalis, taraxaci, fumariæ off., et similium plantarum additamenta juvant. Cum vehementer agat, ratio doseos et incolumitatis viscerum habenda; si enim largius sumitur, ventriculum alvumque intemperate movet et subinde tormina, inflammationes intestinorum ac cruentum lotium parit.

D. Radicis siccatæ, pulveratæ, grana duo, sæpius de die, ad quinque, addito pro re nata elæosaccharo fœniculi, radice acori calami, opio, vel chlorido hydrargyri. Camphora nonnullis, ubi diaphoresis movenda, arridet; sed ne nimis exæstuet, mitigatur nitrate potassæ, aut bitartrate ejusdem. Forma pilularum aptissime datur in hydrope cum chlorido hydrargyri et interdum cum jalapa ad noctem. Pro infuso vinoso drachmæ duæ ad libram vini sumuntur.

SECALE CEREALE.

Рожь обыкновенная; Жито.

Gramen annuum, glumarum ciliis scabris, in Creta, teste Linnæo, spontaneum; in Europa temperata ejusdemque montibus australibus bene colitur. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. *Usualia sunt:*

Semina subcylindrica, uno extremo obtusa, altero, cui corculum oblique insidet, acuta, sulco uno longitudinali, cinerescentia, semipellucida. Rubiginem sentientia, aut secali cornuto intermista, damnantur.

Q. Farinacea, glutinosa et perfacile acescens; hinc robustioribus tantum panis secalinus convenit.

V. Nutriens panis; fermenti leniter irritans; antiseptica.

U. Puls e farina secalina, aqua et insulso butyro cocta, vel sola, vel cum lacte caprino comesta mane,

per plures septimanas vel menses, in phthiseos initio juvit, in inveterata vero malum mitigavit (Lange); non minus secalinum jusculum profuit, e farinæ secalis subtilioris semuncia cum libra aquæ cocta, omni mane bibitum; subinde conduxit, mane pulte ex cetraria Islandica uti, vesperique jusculo secalino (Bang). Farina sicca calefacta inflammationes, in superficie corporis obvias, resolvere, in cataplasmate emollire et maturare potest.

SECALE CORNUTUM.

Спорынья; Рожки; Бабій зубъ; Ужъ (у Вотяковъ).

In frumentis variis occurrit, frequentius in Secali Cereali, estque vitium spicas ejus adficiens, cujus genesi æstas humida frigidaque ansam præbet. A quibusdam pro insectorum producto habebatur, recentiores vero (Leveillé, Nees v. Esenbeck, Baudelocque) illud speciem fungi minimi esse credunt, qui a nonnullis Sphacelia segetum, a De Candolle autem Sclerotium Clavus denominatur.

Q. Secale cornutum *(Secale corniculatum, Clavus secalinus)* grana offert, secalis cerealis triplo fere majora, subcylindrico-trigona, obtusa, vel versus apicem tenuia, plus minus ad unguis avium similitudinem incurva, uno latere per longum sulcata, quædam irregulariter rimosa, colore nigrescente, in violaceum ducente. Recentia spongioso-mollia, fœtente viscidoque muco obducta, siccata densa, fragilia, inodora, trita vero nauseosa; saporis debilis, initio dulcescentis, serius in acrem, amariusculum, abeuntis. Geiger chemice Secale cornutum inquirendo, oleum pingue proprium, fungînum, ergotinum et osmazomum vegetabile ibi invenit.

V. Medici transatlantici (Stearns, Bidgelow, Olivier Prescot) præ aliis virtutis hujus remedii investigandæ studiosi, probe eam descripserunt. Ex effectibus, quos in solidum vivum Secale cornutum exercet, vim ei acrem, narcoticam, inesse patet. In systema gangliorum, medullam spinalem, præcipue vero agit in uterum, parenchymati ejus et fibræ musculari tonum impertiendo. Præpostere datum, vel diutius quam fas est porrectum, azoticum est venenum, suffocationem inducens, raphaniam causans, quæ haud raro morte terminatur.

U. Ubi gravidus uterus, fœto præter morem distentus (graviditate jam ad terminum perducta), flaccidus torpidusque, munere fungi nequeat, succurrit Secale cornutum, vehementes excitans contractiones; hinc partum promovens, placentam quoque cum membranis foras pellens, atque huic scopo commendabilis est mixtio drachmæ Secalis cornuti pulverati cum tribus unciis syrupi saccharini, et elæosacchari citri drachma, omni quadrante horæ cochleari theano sumenda. Cernendum tamen est, ne mechanica obstacula uteri resolutionem impediant; his enim præsentibus enecabitur fœtus. Post partum, cum metus subest, feminam urgente sanguinis jactura repente morituram, nisi mature succurratur, hæmorrhagiam citissime cohibet. Neljubin memor est feminæ, molam gerentis, atque superveniente metrorrhagia in certissimum discrimen adductæ, cui remedium hoc, extorri reddita mola, sanguinis profluvium stitit. Huic etiam sæpenumero in acceptis referunt salutem mulieres, ob nimium catameniorum fluxum, ex uteri atonia oriundum, graviter decumbentes. Rondak autem amenorrhœam ejusdem indolis curavit, hoc remedium administrando, quod etiam fluori

albo et hystericis adfectionibus opitulari fertur. In hæmoptysi, parenchymate pulmonum nec degenere, nec tuberculis referto, eximium præstitit effectum Secale cornutum (Rauch). Baker febri intermittenti idem feliciter obposuit. Laudatur etiam in urinæ incontinentia, ex atonia vesicæ proveniente. A nimis protracto usu hujus remedii cavendum, ne quid noxæ adferat. In morbis inflammatoriis et graviditate ab illo prorsus abstinendum.

D. Ad menstrua revocanda quinque pulveris grana aliquoties in die repetenda; hæmorrhagiis vero sistendis largiores doses conveniunt, et scrupulus aliquando dari potest pro dosi. Omnes hujus remedii qualitates aqua bulliente extrahuntur, ideoque forma decocti sæpius utantur Medici, Secale cornutum in usum vocaturi; Londinenses vero pulverem citius et validius agere asseverant, facilius tamen nauseam producere. Pro infuso drachma pulveris cum tribus unciis aquæ fervidæ stet per viginti minuta; ad decoctum vero parandum Prescot drachmam sumit, ut hæc cum sufficiente aqua ad remanentes quatuor uncias coquatur.

SENNA.

Cassia lanceolata (Forskal).
» » acutifolia (Delile).
» » obovata.
Кассія ланцетолистная.

Planta fruticosa, Africæ, Nubiæ et Arabiæ incola. Cl. Decandria. O. Monogyn. O. N. Leguminosæ. *Usualia sunt:*

Folia *(Александрійскій листъ)* pinnata, bijuga, foliolis subovatis, obtusis, longitudine pollicis, petiolis eglandulosis. E duabus plerumque plantæ speciebus

desumuntur, et quidem: e Cassia lanceolata, frutice Abyssiniæ, Ægypti, Nubiæ aliarumque calidiorum regionum incola, et e Cassia obovata, Ægypto superiori, Cairo et Nubiæ indigena. Multæ adhuc Sennæ diversitates extant, e quibus notari merentur: Senna Alexandrina, vulgo nota, foliis quadrijugis, ovato-lanceolatis acutis, glandula supra basin petiolorum prædita; Senna Italica; S. Tripolitana; S. Arabica; S. Americana seu Marylandica et tandem S. Porturegalis, nuper ex insula Porto-Rico Londinum adportata. Num Sennæ foliorum in locum, folia Coluteæ arborescentis et frutescentis, fraude aliquando substituta fuissent, dubium est, quum dissimili eorum forma facili modo distinguantur.

Q. Odor peculiaris, nonnihil ingratus; sapor amaricans, nauseosus, subacris, mucilaginosus. Secundum Lassaigne et Fenuelle partes foliorum Sennæ constitutivæ sunt: gummi, oleum pingue, oleum volatile, albumen, cathartinum, principium flavo tingens, mucilago, acidum malicum, malas et tartras calcariæ et acetas potassæ. Omnem verisimiliter efficaciam concedit Sennæ *Cathartinum,* a Bouillon Lagrange in foliis detectum, substantia nunquam coiens in crystallos, coloris ex flavo rubescentis, odoris peculiaris, saporis amaricantis, nauseabilis, vix æthere, lubenter vero spiritu vini et aqua solubilis.

V. Cathartica, actionem vasorum exhalantium, motumque intestinorum peristalticum intendens; parca autem dosi etiam membranæ pulmonum mucosæ secretionem movens. Inter purgantia drastica infimum tenet locum; vis ejus purgans intenditur camphora, amaris et decocto Guajaci.

U. Ægris parum irritabilibus (phlegmaticis) conducit, ubi nulla subsit inflammatio, nullaque activa congestio; et quidem majori dosi sub atonico intestinorum statu, ubi in primis viis copiosus accumulatur mucus et nervi languent; parca vero iis convenit, qui frequenter alvo laborant adstricta.

D. Pulvis foliorum datur a granis quinque ad quindecim, forma electuarii, cum aliis, alvum ducentibus. Infusum frigide paratum, additis carminativis et aromaticis, ut carvi seminibus, radice zingiberis etc., reliquis formis præstat, quippe quod nulla cieat tormina. Optima est forma infusi cum fabis coffeæ tostis, quod sequenti modo parandum est: drachma (ad duas) foliorum, tribus (ad quatuor) aquæ unciis vesperi infusa, stet per noctem in vase cooperto; mane cum hoc infuso colato, ad methodum ubivis notam, paretur coffea, cujus theanum vas, si cupis addito cremore lactis, alvum ducit; nec ab infantibus repudiatur.

SINAPIS NIGRA.

Горчица черная.

In australi Rossia sponte crescit, et copiose in hortis colitur; siliquis glabris, tetragonis, racemo adpressis. Cl. Tetradyn. O. Siliquosæ. O. N. Cruciferæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina *(Горчичное сѣмя)* parva, rotunda, subcompressa, striis concentricis notata, fusca vel nigricantia.

Q. Saporis acris amaricantis; semina pulverata sternutationes et lacrymas movent naribus admota. Continent: oleum æthereum acre, destillatione obtinendum, aqua ponderosius, in quo acrimonia seminum residet;

oleum pingue dulce, e seminibus contusis violenta expressione evocandum; albumen vegetabile; copiosam mucilaginem; sulphur et nitrogenium (Thibierge).

V. Stimulans, salivam proritans, peptica; majori dosi emetica, minori vero diuretica; extrinsecus rubefaciens, cutim phlogosi perfundens. Si vim seminum intendere lubet, in pulverem redacta, ante usum in aqua frigida per aliquod tempus macerentur.

U. Suetissimum est eduliorum, imprimis vero carnium pisciumque, intinctus instar condimentum, e farina oleo orbata præparatum, quod acredine sua nares, ori inditum, titillat, lacrymasque excit: hoc tamen embammate crebro uti alienum est. Debilibus nervis cum primis idoneum stimulans; sic scorbuto (semina trita et vino mista), hydropisi, asthmati pituitoso, febribus intermittentibus et paralysi profuisse, magnæ existimationis Clinici testantur. Larga præmissa venæsectione in angina membranacea (croup) a Sachse, Albers, Royer-Collard aliisque laudatur. Apoplecticis farinam, aquæ tantillo, majori in dosi propinatam, vomitiones (irritis aliis vomificis) provocando, auxilio fuisse, certum est. Extrinsecus: myodynia asthenica, paralysis, imprimis linguæ etc., epispastici cataplasmatis lotionisque forma, tuto curantur. Balnea et pediluvia, quibus farina seminum addita fuit, in cephalalgia, odontalgia, et aliis morbis, stimulo externo indigentibus, auxilium tulerunt.

D. Seminum integrorum drachmæ duæ ad semunciam porriguntur. Infusum paratur e drachmis duabus vel uncia dimidia seminum pulveratorum cum aqua vel vino, ut colatura unciarum sex prodeat, ter quaterve in die cochleatim propinanda. In adfectionibus coma-

tosis sedulo cavendum, ne sinapismata, diutius retenta, profundam cieant partium inflammationem, exulceratione ipsaque gangræna minantem.

SISYMBRIUM NASTURTIUM.

Гулявникъ; Жеруха водяная; Рыжуха.

Planta ad rivos et scaturigines spontanea, per hyemem totam virens. Cl. Tetradyn. O. Siliquos. O. N. Cruciferæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Herba recens siliquis dehiscentibus, valvulis rectiusculis, declinatis, calyce et corolla patentibus, foliis pinnatis, foliolis subcordatis. Succus expressus. Permiscetur cum Cardamine pratensi, cujus siliqua est valvulis revolutis, calyx subhians, glandula utrinque solitaria inter stamina breviora et calycem, foliorum pinnatorum foliolis radicalibus subrotundis, caulinis lineari-lanceolatis.

Q. Herba saporis est acris, subamari; digitis trita pungentem spargit odorem. Destillationi cum aqua subjecta, oleum largitur æthereum, quo erogato residuum manet fatuum. Partes constitutivæ sunt: aqua, ligninum, amylum viride, extractivum peculiare, materies nitrogenio dives, nitras potassæ atque substantia volatilis acris, a Tingry detecta, cui planta omnem debet virtutem. Dörffurt ammoniam ibidem esse asseverat.

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica.

U. Efficacia cochleariam æmulatur. Succus expressus, qui saccharo apte in conservam mutatur, ventriculum visceraque abdominis incitat, stases resolvit, quapropter in obstructionibus viscerum et scorbuto efficax.

D. Succi unciæ duæ dantur.

SMILAX SARSAPARILLA.

Сассапарель.

Planta in Peru, Mexico et Brasiliæ humilibus ac paludosis locis abunde crescens. Cl. Diœcia. O. Hexandria. O. N. Smilaceæ. *Usualis est:*

Radix aliquot pollices longa, crassitie caulem pennæ anserinæ æquans, flexilis, per longitudinem fissilis, nonnihil rugosa, extrinsecus fusca, intus alba. Humboldt adseverat, genuinam Sarsaparillæ radicem a Smilace syphilitica desumi, quæ planta ad fluviorum Orinoko et Rio-Negro ripas crescit. In mercatura quatuor prostant Sarsaparillæ diversitates: 1) Lusitanica, quæ ex Brasilia Ulyssiponam adfertur, cæteris est præstantior, et cortice rubescente, nec non lignini minori copia distinguitur; medullam includit albescentem, farinosam; 2) Jamaicensis, a Battley nuper introducta, quæ præcedentis forsan varietas est, ab ea tamen cortice fusco-rubro discernitur, et substantia medullari eodem colore tincta; 3) radix Sarsaparillæ insulæ Honduras, cortice sordide fusco, nonnunquam albido notata, medulla et lignino dives; supra memoratis postponenda et 4) radix Sarsaparillæ, quæ a Vera-Cruz in Europam importatur, omnium pessima vilissimaque, macilenta, lignosa, fusca.

Q. Vix ullo odore, sapore autem mucilaginoso, amaricante prædita. Canobbii analysi constat, partes Sarsaparillæ constitutivas esse: resinam acrem amaram, materiam extractivam gummosam, amylum et fibram ligneam. Palotta autem se principium peculiare alcalinum ibidem invenisse arbitratur, forma pulveris albi conspicuum, aqua ponderosius, in aëre immutabile, odore peculiari, sapore amaro, nonnihil adstringen-

te, nauseoso præditum, parum aqua tepida, lubentius alcohole fervido solubile, quod ab eodem *Pariglinum* nuncupatum est.. J. Pope docet corticali substantiæ omnem medicam inhærere virtutem, eo enim judice materies, cortice dempto superstes, medulla est iners cum fatuo lignino; Jamaicensem Sarsaparillam omnibus cæteris palmam præripere asserit.

V. Excitans; diaphoretica; diuretica; in membranas seroso-fibrosas, mucosas et systema lymphaticum agens. Syphilidis sequelis et vitiis ex abusu hydrargyri apta.

U. Magni æstimatur Sarsaparilla in syphilide, functionem cutis incitando, sudoremque movendo, quo eximium fit adjuvans hydrargyri præparatorum, noxios enim illorum effectus minuit; hinc recte datur in osteocopis, tophis, rheumatalgia, exanthemate, et cutis exulcerationibus syphiliticis, plerumque forma decocti cum stibiatis, guajaco, mezereo, dulcamara, cinchona, aut nucum juglandis putaminibus. Laudatur etiam in scrofula, tinea capitis, herpete, elephantiasi et aliis dyscrasiis.

D. Decoctum paratur ex unciis duabus radicis concisæ cum tribus aquæ libris, ut colatura librarum duarum prodeat, vasculatim sæpius in die sumenda. Infusum efficacius est, quod videsis in parte tertia. Datur etiam in pulvere a scrupulo ad drachmam. Pariglini gr. 4 ad 10 pro dosi porriguntur.

SOLANUM DULCAMARA.

Пасленъ сладкогорькій; Псинки.

Suffrutex scandens, in silvaticis et paludosis Rutheniæ obvius. Ubi deest, per stolones diffusos facili negotio propagatur. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Solanaceæ. Perennis. *Usuales sunt:*

Stipites, seu stolones repentes, ramuli biennes vel triennes, cortice tecti ex cinereo subfusco, primo vere ante productionem foliorum colligendi, siccandi atque servandi. A stipitibus Solani nigri, quos loco illorum Schaub substitutos vidit, probe distinguendi. Folia.

Q. Stipites recentes odoris sunt peculiaris, nauseosi, tetri, siccatione evanidi; saporis ex dulci amari. E siccatis sequentia obtenta sunt: extractivum peculiare valde amarum (Picroglycion), cui cum principio volatili narcotico Pfaff totam plantæ virtutem adscribit; materies vegeto-animalis; extractivum gummosum; gluten cum cera viridi; substantia balsameo-resinosa cum acidi benzoici vestigiis; extractivum gummosum vanillam olens, cum amylo et salibus quibusdam; oxalas et phosphas calcariæ cum extractivo et fibra lignea. Desfosses, Payen et Chevallier in tota Solanacearum familia principium alcalinum, *Solaninum* nempe, detexerunt, sub forma pulveris albi, inodori, saporis amaricantis, nauseosi, cujus amarities solutione in acidis, præsertim acetico, intenditur. Cum acidis Solaninum salia constituit, in crystallos non cogenda.

V. Narcotico-acris; in plexus nervorum pectoris et abdominis, nec non in cutem et systema lymphaticum agens. Nimia dosi movet nauseam, vomitum, pruritum, tormina, anxietatem, vertiginem; musculorum actionem deprimendo, artuum tremorem et paralysin inducit.

U. In morbis organorum pectoris, et quidem in ultimo pneumonitidis et pleuritidis stadio, tussi sicca et dolore levi remanentibus, apte datur cum polysulphureto stibii, hydrochlorate ammoniæ; nec minus prodest in catarrhis neglectis (Gœlis) et phthisi pituitosa (Sagar), aliquando cum digitali, acetate plumbi, vel lichene

Islandico. Vis ejus eminet in fœditatibus cutis, ut herpete, psora, tinea capitis. Laudatur etiam in rheumatalgia cum guajaco, arnica, aconito vel stibiatis. Commendatur in scrofula, præsertim si tumores glandularum ulcerari cœperint, cum rheo, cinchona vel acoro calamo; nec minus validum constituit adjuvans hydrargyri in syphilide, diaphoresin movendo.

D. Decoctum paratur ex uncia dimidia, vel integra, cum sufficienti aqua ad colaturam libræ, quæ spatio nychthemeri consumenda est. Aptior est infusi forma, ne principium volatile pessundetur. Raro dantur stipites pulveris forma a scrupulo ad drachmam, aliquoties in die. Extractum exhibetur a scrupulo dimidio ad duos.

SPONGIA OFFICINALIS.

Губка Грецкая или морская.

Zoophyton maris Mediterranei et Rubri, nec non Archipelagi. Cl. Zoophyta. O. Polypi. Cuvier.

Q. Vermium habitaculum ex Coralliorum genere, in variæ magnitudinis frustis, difformibus, communiter latere uno convexis, altero planis, flexilibus, tenacibus, tomentosis, bibulis, dense foraminosis, lapillis quandoque intermixtis, coloris flavicantis, odoris saporisque expertibus. Quo mollior est, quo minoribus poris, quo dilutiori gaudet colore, eo reputatur melior; majoribus pertusa foraminibus, minus sequax improbatur. Hornemann e Spongia probe lavata et acidorum debilium ope a salibus terrisque, forte inhærentibus, liberata, sequentia obtinuit: substantiam osmazomo similem; mucum animalem; oleum pingue; materiam aqua, alteram nonnisi potassa liquida solubilem; chloridum sodii; sulphur; phosphatem calcariæ; aluminæ et siliceæ vesti-

gia; nec non jodum a Fyfe ibi inventum. Jonas bromum in illa detexit. Post repetitam lavationem aqua frigida et calida, cum acidi hydrochlorici vel sulphurici tantillo, spongia alba evadens, usui cosmetico optima, medico autem, qua iners, aliena est.

V. Humidum absorbens; puris absorptionem impediens; hæmostatica.

U. Spongia, si humefit intumescens, obturando et dilatando agit; quamobrem vulnerum ulcerumque orificiis dilatandis, et aceto, vel aqua frigida, rite madefacta, sæpiusque adplicata, sistendis sanguinis profluviis apta, ipso plerumque boleto igniario efficacior; ad prolapsum vero uteri forma pessarii. Utiliter adhibetur ad vulnera post operationes chirurgicas lavanda, et ad ulcera impura, pureque abundantia, mundanda; admota enim eorum sordes attrahit, papillarumque carnearum progerminationi favet. Eodem consilio ad abscessus, profuse suppurantes, linteo carpto superposita, usurpatur. Valet etiam in paralysi urocystidis, vel sphincteris ani, ad lotium excipiendum vel effluxum fæcum impediendum. Adhibetur ad fomenta calida, vel frigida, aut collyria oculis adfectis admovenda. Quælibet denique immundities abstergi ea solet.

STALAGMITES CAMBOGIOIDES.

Hebradendron Cambogioides (Graham).

Гуммовое дерево.

Arbor Indiæ Orientalis incola, in regno Siamensi et Ceylonia crescens. Cl. Polygam. O. Monœc. O. N. Guttiferæ. *Usualis est:*

Gummiresina *(Gummi Guttæ* s. *Gutti, Cambogia)*, succus incisione ramulorum, vel e cortice trunci vulnerato exsudans, et in vasis terreis solis calore spis-

satus. Optima adfertur e Ceylonia et India transgangetica, ubi etiam e Garcinia Cambogia effluere dicitur.

Q. Cambogia externe opaca est, interne pallidula, in fractura splendens, ad margines diaphana; friabilis, vix odora, fere insipida, salivam colore flavo tingens. Centenarius ejus constat ex 89,90 resinæ flavæ; 10,50 gummi ex flavo fusci; 0,50 quisquiliarum et parva quantitate potassæ (John). In cinere vero ejus insuper carbonatis et phosphatis potassæ, chloridi potassii, nec non carbonatis et phosphatis calcariæ vestigia inventa sunt. Substituunt quandoque Cambogiæ frusta impuritatum et sabuli plena, uti etiam Cambogiam Americanam vulgo dictam, quæ ex Hyperico baccifero et Cayennensi L., tum etiam ex diversis Euphorbiæ speciebus colligi fertur, estque coloris multo pallidioris, et saporis minus acris.

V. Stimulans; drastico-cathartica; sub-emetica; diuretica. Ab Orfila acribus adnumeratur venenis.

U. Pro scita dosis administratione et opportunitatis dijudicatione, diversi sunt remedii hujus effectus. Parvis dosibus stimuli vices gerit in languore abdominalium functionum, viscida humorum indole et aquosa colluvie stipato; hinc etiam vis ejusdem in asthmate pituitoso, ictero, myodynia rheumatica chronica etc., elucet. In asthmate et ictero, ut resolvantur educanturque humores viscidi, expedit exhibere tria Cambogiæ grana cum oxymelle scillino, aut cum extracto gentianæ luteæ, vel menyanthidis trifoliatæ. Majoribus aliquantum dosibus porrecta, ut præter stimulum, alvum etiam liquet, atque diuresin moveat, vel etiam talibus, ut alvum copiosius purget, in hydropisi efficacem se præstitit, præcipue sub torpido viscerum statu, citra virium tamen notabilem fatiscentiam; quo in casu

apte jungitur chlorido hydrargyri, scillæ aut bitartrati potassæ. Magni æstimatur a quibusdam usus ejus contra tæniam. Werlhofius, magnæ auctoritatis vir, pauxillo sacchari remistam Cambogiam ad grana usque viginti, in aqua, utrique sexui præcipit, sumique citra ullum incommodum adseverat. Casu obstinatiore eandem subsequenti die dosin repeti jussit, imo tertiam aliquando, tertio die, donec exilius tæniæ extremum cum nodulo suo eliminaret. Hac ratione numerosis ægris, tænia lata vel solio L., vel, ut Pallas eandem vocari mavult — cucurbitina, conflictatis opem tulit. Herrenschwand ante curationem ipsam, quovis vesperi, cochlearia aliquot olei unguinosi vel ricini communis administravit, dein vero insequenti mane grana decem Cambogiæ; si vermis post hanc dosin non exiit, iterata est portio, tertiaque vice exhibita cum jusculo carnis; e lacte vero et radice allii sativi clyster injectus. Alii præmissis aliquot sulphatis ferri dosibus, dant semiscrupulum Cambogiæ cum quindecim granis carbonatis potassæ; aut radicem filicis maris ad semidrachmam cum duobus, vel tribus granis Cambogiæ miscent. Secundum Clossii et Wagleri methodum: vesperi chloridum hydrargyri cum carbonate magnesiæ præmittitur; paulo post oleum amygdalarum; sequenti mane semiscrupulus Cambogiæ cum herba centaureæ benedictæ et radice angelicæ archangelicæ; libere autem potui datur infusum centaureæ benedictæ.

D. Si stimulo citra alvi solutionem opus est, a $\frac{1}{4}$ gr. ad semigranum datur, et tum apte conjungitur cum potassa, agitque in uriniferas vias; si vero alvi ductio necessaria est, ut in hydrope, tum a duobus ad tria porrigitur grana aliquoties in die; scopo drastico, velut in tænia, exhibentur grana sex ad decem cum sac-

charo. Meo quidem arbitratu emulsio, cum mucilagine gummi acaciarum et aqua menthæ paranda, præferri meretur. Carbonas potassæ pro antidoto ejus habetur (Swediaur).

STRYCHNOS NUX VOMICA.

Чилибуха; Кучеляба.

Arbor mediocriter alta, ramosissima, in arenosis Indiæ Orientalis regionibus, nominatim Cochin-China, Malabaria, ora Coromandeli maritima, et insula Ceylonia crescens; foliis ovatis, caule inermi. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Strychneæ. *Usualis est:*

Nux vomica. Inepte sic nuncupantur semina fructus hujus arboris; sunt autem hæc compressa, duritiei corneæ, orbiculata, coloris cinerei, villis ex cinereo argenteis, splendentibus, obsita.

Q. Odoris est expers; saporis admodum amari, nauseosi, acris, diu permanentis. Secundum analysin nuperrime a Pelletier et Caventou institutam, partes ejus constitutivæ sunt: Strychnia (alcaloides, qui acido peculiari, igazurico, vel secundum aliorum experimenta acido lactico, junctus est); brucia (alcaloides, qui non tantum in Nuce vomica, sed etiam in faba S^{ti} Ignatii, in cortice angusturæ spuriæ, et in aliis quibusdam, inventus fuit); oleum concretum; cera; materia colorans flava; bassorinum; amylum et ligninum.

V. Ab alcaloidibus (strychnia et brucia) potissimum derivanda, estque stimulans; tonica; narcotica; venefica. In medullam spinalem agit, et præsertim nervos, qui regunt musculos motibus voluntariis dicatos, potenter incitat. Phænomena, quæ ex ingesta majori quantitate Nucis vomicæ observantur, sunt: vertigo, incessus titubans, musculorum imprimis colli rigor, con-

strictio pharyngis, et quædam spirandi difficultas, a tensione musculorum pectoris et abdominis derivanda. Mox insequuntur succussus, ictibus electricis simillimi, qui brevi intensitate et frequentia increscunt, atque haud raro in tetanum abeunt; ægrotus nonnisi per intervalla abrupta respirat, pulsus fit parvus et debilis, sequitur stupor, et denique tetra mors symptomatibus finem facit. Si vero quantitas minor fuerit, symptomata multo mitiora apparent, et sensim sensimque evanescunt. Quæ vero quantitas producendis hisce symptomatibus par sit, examussim definiri nequit; in aliis grana duodecim vel triginta gravissima excitavere symptomata, in aliis autem et major dosis nullas in conspectum produxit turbas graviores; semper autem remedium, quod tam facile ominosum fit, cautissime adhibendum. Canes, glires et alia quædam quadrupedantia, majori ingesta quantitate anhelant, subsequente sensuum defectu et stupore, tandem spasmo totius corporis correpta extinguuntur. Sues autem et capri Nucem vomicam impune comedunt.

U. Plurimis experimentis constat, Nucem vomicam, vel alcaloidem ejus Strychniam, in curanda paralysi omnium remediorum præstantissimum esse. Miratu omnino dignum est, parvas ejusdem doses proxime in partes paralysi affectas agere, ita quidem, ut elapsis nonnullis tantum horis in musculis paralyticis contractiones observentur, quæ aucta dosi, et vehementia et diuturnitate increscunt, imo in tetanum artificialem haud raro abeunt, qui tamen non impedit, quominus ægroti somno fruantur. Parva dosi diutius porrecta, partibus genitalibus in viris, potius roborando, quam stimulando, perditum vigorem restituit; sic etiam pollutionibus nocturnis, quæ a chronica medullæ spinalis

23

irritatione repetendæ sunt, cum successu opponitur; dantur quoque exempla de tabe dorsali ejus adminiculo radicitus sanata. Tonica virtute, quam in fibras musculares exerit, auxilium præstat in retentione lotii, ex inertia fibrarum muscularium vesicæ urinariæ (morbo ætati senili præ cæteris proprio), absente alioquin strictura urethræ; adhibetur parimodo ad curandam urinæ incontinentiam ex debilitate sphincteris exortam. Membranæ intestinorum musculari tonum impertiendo, iis, qui alvo laborant frequenter adstricta minimis dosibus, teste Hufeland, adcommoda est. Laudatur etiam in pyrosi, colica saturnina et dysenteria præmissis præmittendis; sic etiam in prolapsu ani et herniis, ex debilitate musculorum procidentibus. In variis adfectionibus spasmodicis et convulsivis, puta: epilepsia, chorea et tussi spasmodica, uti etiam in gastrodynia, et cardialgia a quibusdam commendatur. Alii contra helminthiasin remedium hocce tentarunt. In atrophia meseraica Autenrieth usus est extracto ejus ad sedandos spasmos, exiguis dosibus in connubio cum assa fœtida.

Strychnia ejusque salia iisdem casibus conveniunt, quibus et ipsa Nux vomica. Alcaloides hic præterea methodo endermicæ adcommodus est; sic Watson et Liston in amaurosi, dummodo illa ex compressione nervi optici non proveniat, parvis vesicantibus in regione supraorbitali applicitis, Strychniam admoverunt. Inhibetur usus Nucis vomicæ, vel cujuslibet ex illa præparati, statu febrili, plethora, et cruditate primarum viarum. Incauto modo ingestæ antidota habentur: tartras stibii et potassæ, infusum sambuci et coffeæ saturatum. Donné expertus est, tincturam jodi antidoti vices agere in canibus; urgente igitur necessitate in ho-

minibus tentari potest. Ubi nimia quantitate assumptam e ventriculo quam citissime eliminare opus erit, syringis bivalvatæ (Anglis Stomach-pump dictæ) usus non est negligendus. Consbruch adseverat, Strychniam ejusque salia omnibus substantiis, tanninum continentibus decomponi, quamobrem sub usu hujus remedii ab illis sedulo abstinendum.

D. Pulveris granum, duo, ad quinque, caute ascendendo, ad quindecim et imo triginta spatio nychthemeri. Extractum spirituosum a $\frac{1}{4}$ grani ascendendo ad integrum ter quaterve in die; extractum aquosum vero a grano dimidio ad grana duo exhibetur. Me tamen judice *Acetas Strychniæ* cuivis formæ præferendus est, et ita parandus, ut Strychniæ granum in aceti destillati drachma solvatur; hujus solutionis guttæ sex ad decem pro dosi sufficiunt, quæ gradatim augenda, donec gutturis vellicatio vel quarundam partium succussus insequantur. Habita ratione efficaciæ hæc circiter statui possunt: granum Strychniæ æquiparatur granis sex bruciæ, vel granis decem extracti Nucis vomicæ spirituosi, vel granis viginti pulveris Nucis vomicæ.

STYRAX BENZOË. D[ris] Dryanderi.
Росное ладонное дерево.

Arbor in Sumatra spontanea, ad insignem trunci crassitiem excrescens, cortice fusco, surculis et foliorum petiolis tomentosis; foliis intense viridibus, glabris, subtus tomentosis; fructibus globosis, ad utrumque extremum impressis, rugosis, coloris fusci intensioris, solidis, lignosis. Cl. Decandr. O. Monogyn. O. N. Styraceæ. *Usuale est:*

Balsamum *(Resina Benzoës, Росной ладонъ)* inciso cortice ac ligno sponte effluens, et in aëre dures-

cens. Occurrit venale in massis sat magnis, quæ e frustis coloris fusci dilutioris, nec non flavescentis compactæ sunt, quibus frustula minora albicantia, pellucida, speciem amygdalarum fractarum referentia, inhærescunt. Optima habetur, quæ ex albicantibus hujusmodi frustis tota constat, et *Benzoë amygdaloides* dicitur; hæc tamen, aëri diutius exposita, flavescit. Vilior species est, quæ *Benzoë in sortis* nuncupatur; hæc coloris est magis fusci, nec pellucida, nec splendens, partibus lignosis et corticalibus referta.

Q. Odoris est grati balsamici; saporis initio dulciculi, dein acris, balsamici, pungentis. Calore leni funditur odorem gratum spargendo et fumum album emittendo; in alcohole et æthere facile solvitur, nequaquam vero in oleis. Partes constitutivæ sunt: resinæ peculiaris 83; materiæ balsamicæ, balsamum peruvianum æmulantis 2; acidi benzoici 12; principii extractivi aromatici 1; et partium fibrosarum 2.

U. Inservit parando acido benzoico, et ingreditur varios pulveres fumales.

SUS SCROFA.

Porcus.

Свинья.

Ubivis reperitur. Cl. Mammalia. O. Belluæ. *Usualis est:*

Adeps suilla *(Axungia porcina)* ex omento cellulari ejus eliquata. Secundum Chevreul centenarius ejus constat ex: steatini 38 et elaini 62 partibus.

U. Pinguedo hæc consistentiam molliorem præ se ferens, et quoniam ubique recens perfacile haberi potest, unguentis et similibus aptissima est, meritoque omnium ab antiquis propositarum axungiarum, rance-

dine plerumque corruptarum, pretiique carioris, vices supplet, imo militari in praxi, commode per se multis ceratis unguentisque compositis subrogatur.

TANACETUM VULGARE.

Пижма обыкновенная; Рябинка дикая.

Planta per totam Europam vulgatissima, in Ruthenia quoque in muris, aggeribus, et ad fossas crescens. Cl. Syngenesia. O. Superflua. O. N. Synanthereæ. Corymbiferæ. Perennis. *Usualia sunt*:

Herba, foliis bipinnatis, incisis, serratis, quandoque crispis. Flores corymbosi, compositi, flavi. Semina parva, oblonga, nonnihil incurva, profunde sulcata. Tanacetum Anglicanum seu crispum, virtute, quibusdam testantibus, vulgari antecellit.

Q. Odor plantæ fortis, nidorosus; sapor amarus, aromaticus, adstringens et calefaciens. Secundum Frommherz partes constitutivæ præcipuæ sunt: oleum æthereum, principium amarum, scytodepsicum et resina; prioribus duabus tota efficacia plantæ debetur.

V. Constanter stimulans; stomachica; sudorem lotiumque movens. Seminum et olei anthelminthica; antispasmodica.

U. In Caledonia adversus arthrodyniam rheumaticam anomalam, præsertim si malum cum diuturna ventriculi debilitate et pituitosa abdominis colluvie jungitur, celebrata fuit herba recens, mane ingesta, vel infusum tenue cum lacte paratum, adjecto saccharo, mane et vesperi ad selibram potum. Alii herbam in infuso ad prævertendam podagram suadent (Duncan). In febribus etiam intermittentibus diuturnis atque pervicacibus succus recens expressus efficax fuit. Semina contra intestinorum vermes efficacia esse, Hoffmanni,

Rosensteinii aliorumque multorum testimonio constat; infuso autem herbæ florumque cum lacte facto et ano injecto ascarides expulsas fuisse, quidam referunt.

D. Seminum pulveratorum porrigitur scrupulus ad drachmam bis in die; infusum fit e drachmis duabus seminum et selibra aquæ vel lactis. Herbæ uncia ad libram aquæ vel vini pro infuso.

THYMUS SERPYLLUM.

Θиміанникъ ползучій; Богородская трава.

Fruticulus in collibus apricis et aridis Rutheniæ australis creberrimus. Cl. Didynamia. O. Gymnospermia. O. N. Labiatæ. *Usualis est:*

Herba, caule repente, foliis obovatis, planis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis, purpurescentibus. Horna tantum herba usui medico apta est; quotannis ideoque rejicienda, quæ a priori anno superest. A Thymo villoso discernitur, quod hujus folia setacea, pilosa sint, Serpylli autem ad basin solummodo ciliata.

Q. Odor fragrans, gratus, aromaticus; sapor subamarus, aromaticus, ad citrinum accedens. Præter oleum volatile, rubrum, fragrans (libræ quindecim herbæ dederunt olei volatilis, acris, scrupulos quatuor), inest ei quoque resina acris et camphora, cujus crystalli sub destillatione mox in excipulo apparent.

V. Stimulans; nervina; stomachica; resolvens.

U. Ope infusi ejus cephalæam a crapula ortam tolli, Linnæus contendit; a Salvatori autem adversus œnomaniam *(запой)* pro specifico habetur. Extrinsecus in fomentis ad discutiendos humores stagnantes, vel in balneis ad roborandas partes, adhibetur. Etsi præ cæteris verticillatis nulla se commendet virtute,

ut indigena tamen et ubique obvia, cum semper bona et minore pretio haberi possit, quotannis colligenda usuique servanda est.

D. Herbæ semuncia aquæ libra infunditur.

TORMENTILLA ERECTA.

Узикъ; Завязникъ стоячій.

Planta in silvis et pascuis sterilibus, imo etiam in locis arenosis obvia, caule erectiusculo, foliis sessilibus, foliolis ovato-lanceolatis, serratis. Cl. Icosandr. O. Polygam. O. N. Rosaceæ. Perennis. *Usualis est:*

Radix *(завязный корень)* conica, supra crassior, nodosa, fibrillis obsessa numerosis, crassitie digiti, 2 vel 3 pollices longa, externe ex rubro fusca, interne dilute rosea, supra squamata.

Q. Radix recens et siccata odoris fere expers; saporis styptici, subaromatici. Aquam et alcohol, quibus adstrictorias impertitur partes, colore rubro tingit. Principii scytodepsici abundantia liquet ex infusi aquosi rationibus, quo sulphas ferri præcipitatur colore purpureo, mox in nigrum abituro. Braconnot et Grischow, præter alias partes constitutivas, *acidum* peculiare *Ellagicum* *) dictum, in radice detexerunt.

V. Adstringens; tonica. Radix adeo styptica est, ut ad depsenda densandaque coria, in insulis Færoënsibus et Orcadibus, ubi quercus desideratur, usu venerit.

U. In fibrarum muscularium atonia, diarrhœa asthenica, hæmorrhœis ejusdem notæ, laudatur. Febres intermittentes in gentianæ luteæ connubio sæpe propulsat (Cullen); plerumque tamen, ab agyrtis circumforaneis præpostero consilio adhibita, easdem intempes-

---

*) Acidum gallicum sui generis.

tive supprimit, aut vasa subito constringendo, humores versus nobilia organa pellit; eadem admonitio de administratione in hæmorrhœis quoque valet. Extrinsecus gingivis et uvulæ flaccidis, dentibus vacillantibus, nec non ani et vaginæ prolapsui recte obponitur; imo etiam in ulceribus atonicis et laxis, mucum fundentibus, laudatur. In vicem kino aliquando usurpatur.

D. Raro forma pulveris a decem granis ad semidrachmam datur; plerumque uncia radicis in sesquilibra aquæ decoquitur.

TRITICUM ÆSTIVUM et HYBERNUM.

Пшеница яровая и озимая.

Gramen, quod ubivis in regionibus, cœlo temperato gaudentibus, uberrime colitur. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. Annua. *Usualia sunt:*

Semina, inclusa calyce quadrifolio, ventricoso, glabro, imbricato, aristato in Tritico æstivo; in hyberno autem fere mutico. Rubiginem, cariem (quæ granis griseis, pulvere nigro repletis, dignoscitur), vel ustilaginem (quæ loco granorum glebas fuliginosas, cum paucis glumarum albidis reliquiis in spicis, refert), sentientia, ut usui inepta, merito damnantur. Farina; Amylum; Furfures; Panis azymus.

Q. Seminum farinacea, mucilaginosa; gluten, amylum, albumen, dulcemque mucilaginem saccharinam continent. E farina fit pasta cum aqua, quæ inter manus probe malaxata, et eousque lota, donec aqua decolor fluxerit, tandem gluten, quod superest, præbet. Si aqua, quæ ad lavandam pastam adhibita fuit, certo tempore steterit, tum pulvis albus, qui amylum est, separatur. Cum albumen adhuc et mucilago dulcis in eadem aqua supersint, leni evaporatione albumen ad

instar flocculorum, separatur; mucilago autem dulcis facta, evaporatione ulteriori, eaque exacta, obtinetur.

U. Farinæ nutriens; emolliens; panis azymi alvum adstringens.

U. Farina inservit parandis cataplasmatibus emollientibus, in inflammatione partium externarum ad mitigandos dolores adhibendis, vel ad discutiendos bubones aut mariscas in hæmorrhoicis, vel ad suppurationem ciendam in tumoribus glandularum, quo in casu mel, radix allii cepæ etc. recte adduntur; nec minus in abscessibus, furunculis etc., utilitatem promittunt, imo etiam in spasmis abdominis. In diarrhœa et dysenteria decoctum cum aqua, additis aliis mucilaginosis, suetum est remedium. Denique farina et panis triticeus, pro cataplasmate sinapino simplici, cum aceto et farina seminum sinapis nigræ adhibentur. Furfures extrinsecus balneis pedum emolliendi scopo adduntur, vel in aqua pro clystere coquuntur.

TRITICUM REPENS.

Пырей.

Gramen ubique in agris, pratis et hortis ubertim progerminans, et haud raro alias plantas infestans. Cl. Triandr. O. Digyn. O. N. Gramineæ. Perenne. *Usualis est:*

Rldix *(Radix Graminis, Пырейный корень)* recens alba, siccata pallide flavescens, longa, tenuis, geniculata, fibrillis instructa. Non raro confunditur cum radice Lolii perennis; sed hæc brevior, minori albedine minorique copia fibrillarum prædita est. Vere collectæ radices seu stolones subterranei præferendi sunt æstate vel autumno collectis.

Q. Odoris nullius; saporis dulcis. Radices recentes contusæ largiuntur, expressione facta, dimidiam

circiter quantitatem succi, qui, ad consistentiam mellis modico calore densatus, ***Mellago Graminis*** seu ***Extractum Graminis liquidum*** vocatur, estque peculiaris saporis dulciculi. Quum autem ita obtentum extractum facile mucescat, præstat illud e radicibus parare, quæ siccatione nonam humoris partem amiserunt.

V. Leniter solvens; resorptionem et secretionem promovens; obvolvens; nutriens.

U. Vulgare est remedium cessantibus morbis inflammatoriis, ubi methodus debilitans non amplius locum habet, nec tamen transitus ad roborantia permitti potest, si scilicet metus ingruit, ne malum recrudescat; sic sub finem febrium, dum muci aut bilis secretio abnormis, cum fructu adhibetur. Laudatur etiam in morbis viscerum abdominalium, a stagnatione sanguinis vel obstructione oriundis; hinc recte opponitur stasibus in hepate et vena portarum, hæmorrhoidibus, ictero ac febribus intermittentibus. In morbis quoque juvat, ubi nutritio et assimilatio languet, uti scrofulis, hydrope etc. cum aliis pro re nata jungendis adminiculis. Nimis protractus usus debilitat vim organorum concoctionis.

D. Uncia radicis cum libra aquæ coquitur, et colatura vasculatim præbetur. Mellaginis Graminis uncia dimidia vel integra misturis additur, vel cum sero lactis aut aqua Selterana ægris exhibetur.

TUSSILAGO FARFARA.

Бѣлокопытникъ; Подбѣлъ; Мать и Мачиха.

Planta in solo argilloso, ad fossas et in campis humidis proveniens. Cl. Syngenesia. O. Superflua. O. N. Synanthereæ. Perennis. *Usualia sunt:*

Flores, calyce simplici, squamis æqualibus, discum æquantibus, submembranaceis; cor. femin. ligula-

tis; receptaculo nudo, pappo simplici, sessili. Folia cordata, angulata, dentata, subtus pubescentia. Radix.

Q. Totius plantæ recentis sapor mucilaginosus, subamarus, acris et aliquantum aromaticus; odor gravis. Verisimile est, extractivo - amaro et scytodepsico parvo, multaque mucilagine virtutem ejus niti. Infusum Tussilaginis Farfaræ sulphate ferri obscure fucatur.

V. Expectorans; demulcens.

U. Succi foliorum, et totius plantæ, verno tempore expressi, in scrofulosis glandularum stasibus efficacia celebratur, haud secus ac in ulceribus ejusdem indolis. Tussientibus ab omni ævo fuit commendata, potioremque inter pectorales locum tenuit; hinc phthisicis, lenta febre tabescentibus, pneumonicis, nec non raucis ex morbillorum causa. Permagni pendendum, arbitratu Fulleri, foliorum decoctum ad phthisin scrofulosam curandam, adeo, ut vel graviori illud sufficere contendat. Foliorum fumum, arundine vel infundibulo exceptum, tussi et orthopnϾ esse utilem, Dioscorides, Galenus, Plinius, asseverant; per fumisugam fistulam suctum odontalgiæ accommodum esse, alii referunt. Folia siccata, instar theæ hausta, Boyle contra tussim catarrhalem et asthmaticam suadet. Dioscorides in hisce morbis foliorum in aqua coctorum vaporem laudat.

D. Decoctum paratur ex uncia foliorum cum duabus aquæ libris; colatura sesquilibræ vasculatim sæpius in die propinatur.

ULMUS CAMPESTRIS.

Илинъ полевой; — длинночеремный; Вязъ.

Arbor procera, tam in australiori, quam frigidiori Europa crescens. Cl. Pentandr. O. Digyn. O. N. Ulmaceæ. *Usualis est:*

Cortex ramulorum interior et arboris junioris (fuscus, tenuis, tenax). Majo mense colligendus.

Q. Rami tenelli mucilagine abundant; sed coctus et in extractum densatus succus manifeste adstrictorius est, et sulphatem ferri e fusco nigrescenti colore præcipitat. Vauquelin in arboribus vetustis substantiam invenit peculiarem, *Ulminum* dictam, quam Braconnot ex aquarum mineralium mucilagine obtinuit. Sapor corticis subamarus, adstringens; odor nullus.

V. Adstringens; roborans; diuretica.

U. Nuperrime facta experimenta docuerunt Ulmum campestrem vices sarsaparillæ haud inepte gerere posse. Suasor igitur sum, ut decoctum ejus, ad modum inter formulas indicatum, in cutis fœditatibus, uti psora, tinea, herpetibus, lepra lubentius præcipiatur; per idem decoctum extrinsecus admotum eruptio est oppugnanda. Lettsom corticis efficaciam in illa etiam lepræ specie, quæ a Sauvagesio ichthyosis dicta est, laudibus effert. Ab aliis laudatur parimodo in ulceribus, arthrodynia, imprimis podagra, dysenteria, diarrhœa, hydrope et febribus intermittentibus.

VACCINIUM OXYCOCCOS.

Oxycoccus Europæus. Pers.

Брусничникъ журавлиный; Клюква; Журавлина.

Suffrutex in locis udis Rossiæ septentrionalis crescens; foliis semper virentibus, integerrimis, revolutis, ovatis; caulibus repentibus, filiformibus, nudis. Cl. Octandr. O. Monogyn. O. N. Ericeæ. *Usuales sunt:*

Baccæ recentes *(Клюква)*; frigore tactæ rubropurpureæ, magnitudine pisi majoris, globosæ, undique glabræ. Succus earundem.

Q. Sapor acido-stypticus; adustarum gelu baccarum acido-gratus; odor nullus.

V. Refrigerans; subadstringens; antiscorbutica; antiseptica.

U. Roob earum in febrientium usum, aqua dilutum, pro potu exhiberi potest, et imprimis in biliosis, putridis sic dictis febribus, nec non in scorbuto. Succus baccarum in vicem succi citri medicæ adhibetur, ubi potione ordinaria acidula opus est. Baccæ saccharo conditæ in Ruthenorum et Suecorum culinis notissimæ.

D. Succi unciæ duæ cum aquæ libra, addito sacchari tantillo, propinantur.

VALERIANA OFFICINALIS.

Булдырьянъ аптечный; Маунъ; Земляной ладонъ.

Planta calyce nullo, corolla monopetala, basi hinc gibba supera, semen unum, floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, in partis plerumque depressis ac humidis crescens; efficacior in montosis, siccis, foliis angustioribus, fere laciniatis, caule humiliori, odoris gravioris. Cultura mutatur. Cl. Triandr. O. Monogyn. O. N. Valerianeæ. *Usualis est:*

Radix fibrillata, fibrillis subfuscis, tenuibus, hirtis, tenacibus, rhyzomate cylindrico, extrinsecus fusca, intus alba, ante anthesin ineunte vere evellenda, et a squalore liberata atque siccata, in vase vitreo probe clauso, in loco sicco ac frigido servanda, quum efficax remedii principium volatile ac fugax sit. Pulvis diutius servatus iners fit. Hujus loco Rusci aculeati radicem usurpari monuit Sylvius, sciteque innuit, maleficium facillime detegi eo, quod hæc dura sit frangique contumax, et sine ulla odoris gratia. Eupatorii Cannabini radicem pro Valeriana venundari, aliorum

est monitum. Neque cum radice Valerianæ Phu, longiori, majori, fibrosiori, ingrati debiliorisque saporis, aut Dioicæ, inerti, fibris tenuioribus, albiori odorisque debilioris, confundenda. Valerianæ offic. radix crassior, minus fibrillata, magis lignea, fragilis, cinereo-castanei coloris, prorsus rejicienda. Ranunculorum quædam species, ut Ranunculus bulbosus, — repens, — polyanthemos, radicibus Valerianæ a rhizotomis, qui mercibus adulterandis intenti sunt, magna copia admiscentur, ægre distinguendæ, etiamsi acerrimæ, odorem tamen Valerianæ nequiter simulantes. Mittermayer fibras Veratri albi et Hellebori nigri Valerianæ radici intermistas vidit. Valerianam præterea felibus valde gratam notandum, hinc eorum lotio sæpius esse inquinatam, quæ odore peculiari probe est discernenda, ne planta corrupta in usum vocetur.

Q. Odor recentis gravis, hircum redolens, aliquantulum nauseosus; sapor amaricans, acriculus, ingratus; siccatæ radicis odor et sapor fere intensiores. Secundum analysin a Trommsdorff nuper (a. 1834) institutam, partes ejus constitutivæ sunt: extractivum peculiare (in aqua et spiritu vini solubile, minime vero in alcohole absoluto et æthere); extractivum flavo tingens; resina balsamica odoris ingrati; *acidum Valerianicum* (liquidum oleosum, odoris ingrati, saporis admodum acidi, acris, in aqua et alcohole solubile, basibus junctum salia constituens); oleum æthereum (e sex unciis radicis scrupulos quatuor obtinuit); præterea mucus; valerianas potassæ; sulphas et phosphas calcariæ; silicea et ligninum.

V. Excitans; nervina; antispasmodica; arteriarum pulsus et cutis functionem intendens; menagoga; anthelminthica. Majoribus dosibus, ægris debiliori ner-

vorum systemate præditis, anxietatem, vomitum et alvi profluvium causans.

U. In omnibus febrium adynamicarum formis, et præcipue in typho, seu mere nervosus sit, seu in humorum putredinem nitatur (additis acidis mineralibus), seu biliosa vel pituitosa complicatione stipetur, seu variolis, morbillis, petechiis etc. comitetur, seu tandem statum paralyticum vel spasticum prodat, pulsu parvo, spasmodico, inæquali, respiratione difficili, siccitate, algore et pallore cutis, ariditate ac tremore linguæ et delirio tacito comitatum, magnæ est efficaciæ. In febribus intermittentibus sub statu spastico laudatur. Verminantibus Cel. Störk omni cum successu Valerianam porrexit, in chronicis tamen hujus indolis morbis eadem, ut anthelminthicis additamentum, est aptior, vel etiam amaris, asthenia majoris gradus urgente. Celebritatem nacta est Valeriana in variis nervorum turbis, imprimis vero in epilepsia, catalepsi, trismo, enterodynia spasmodica, vel sola per se, vel conjunctim cum aliis excitantibus volatilibus aut tonicis remediis, uti camphora, moscho, assa fœtida, cinchona etc. In hypochondriasi et hysteria, nec minus in variis adfectionibus nervorum dolorificis, utilis extitit; sic in hemicrania, dosi largiori et repetita sumpta, a Fordyce habetur efficacissima, ipse enim a quadrienni malo eadem liberatus fuit. Radix masticata, et extrinsecus applicata, visum acuere dicitur (Boërhaave).

D. Forma pulveris a scrupulo ad drachmam, bis aut ter in die. Extractum datur a scrupulo dimidio ad duos. Tinctura simplex propinatur a guttis 30 ad 60; T. ætherea a 20 ad 30; T. ammoniata a 15 ad 20 guttas, ter quaterve in die. Infusum paratur e drachmis

duabus, vel uncia dimidia, et colatura unciarum sex cochleatim omni bichorio exhibetur.

VERATRUM ALBUM.

HELLEBORUS ALBUS.

Чемерица бѣлая.

Planta Græciæ, Italiæ, Austriæ, Helvetiæ, Rutheniæ australis ac Siberiæ incola. Cl. Polygamia. O. Monœcia. O. N. Melanthaceæ. Colchiaceæ. Perennis. *Usualis est:*

RADIX fibrosa, conico-cylindrica, extrinsecus fusca, intus coloris albidi. Radix Veratri Lobeliani non fraude, sed ignorantia eidem sæpe subrogatur.

Q. Odor præsertim sub trituratione nauseosus est, et sternutamenta movet; sapor acris, urens, intense amarus. Partes radicis constitutivæ sunt: elainum; steatinum; acidum peculiare (illi, quod in sabadilla repertum, plane simile); gummi; amylum; subgallas veratriæ; principium tingens flavum et ligninum. *Veratria,* substantia peculiaris alcalina, in Veratro albo, Sabadilla aliisque Colchiaceis a PELLETIER, CAVENTOU et MEISNER detecta, ab iisdem Veratrinum, Sabadillinum, Colchicinum nominata, pulverem sistit album, inodorum, saporis acris, urentis, haud amari; ore sumptum salivationem movet copiosam et acrimoniæ sensum excitat per horas, imo per dies durantem; parum in aqua frigida, lubentius in fervida (1000 partibus ejusdem acrimoniam impertitur insignem), facilius in æthere, facillime autem in alcohole solvitur; omnibus quoque acidis vegetabilibus excipitur, salia constituendo.

V. Venenata; irritans; sternutatoria; drastico-cathartica; anthelminthica; pediculos necans. Majori dosi ingesta, ardorem faucium, gastritidem, vomitus vehemen-

tes, cardialgiam, dolores intestinorum lancinantes, gangrænam, in mortem abituram adfert. Antidota habentur: infusum coffeæ aut gallarum, nec non alia tannino scatentia, uti etiam lac.

U. Adhibetur in morbis psychicis, nec non in epilepsia, rabie hydrophoba, asthmate, hydrope, podagra. Extrinsecus usurpatur in tinea capitis, psora, herpete exulcerato et crustaceo, phthiriasi. Ad pediculos necandos et curandum herpetem rebellem suadetur unguentum ex uncia radicis, adipis suillæ unciis quatuor et tincturæ citri semidrachma. *Veratria*, acerrimis vegetabilibus adnumeratur venenis, exigua quippe data dosi gravia ciet symptomata; hinc cautissime in usum vocanda. Commendatur vel pilularum forma $\frac{1}{16}$ ad $\frac{1}{12}$ grani partem pro dosi, vel tincturæ (ex Veratriæ granis quatuor et alcoholis purissimi uncia, 10—15—20 guttæ pro dosi), vel tandem solutionis (ex sulphatis veratriæ grano et aquæ destillatæ unciis duabus), quæ inclytæ illius *Aquæ medicatæ Hussonii* (ex tincturæ vinosæ Veratri albi partibus tribus et tincturæ opii crocatæ parte constantis) vices optime supplere, asseritur. Unguentum, ex Veratriæ gr. quatuor cum adipis uncia, rheumatismo chronico, ascitæ et arthritidi accomodum est.

D. Radix Veratri albi exhibetur forma pulveris aut pilularum a grano ad duos, caute dosin augendo, bis aut ter in die. Infusum paratur ex scrupulo cum sex unciis aquæ, cujus dimidia pars partitis dosibus per diem sumenda est. Pro sternutamento in amaurosi grana duo cum granis decem glycyrrhizæ ad noctem naribus attrahuntur. Veratriæ nonnisi duodecimam grani partem pro dosi exhibere licet.

VERATRUM SABADILLA.

Helonias Sabadilla.

Чемеричникъ вшеморный.

Planta Mexicana. Cl. et O. præcedentis. *Usualia sunt:*

Semina, capsulis oblongo-acutis, nigris, membranaceis tecta.

Q. Saporis amari, acris; odoris expertia. Secundum Pelletier et Caventou continent gallatem veratriæ; acidum peculiare, ab ipsis *Cevadicum* nominatum; elainum; steatinum; ceram; materiam flavo tingentem; gummi et ligninum.

V. Venenifera; drastico-cathartica; phthiroctona.

U. Ob nimis violentam remedii vim, usus internus vix est admittendus; præstat in iis casibus, ubi olim commendata fuere semina hæc, remedia pari virtute pollentia, sed non tam periculi plena adhibere. Extrinsecus forma unguenti (ex drachma seminum pulveratorum et uncia adipis), vel pulveris instar, necandis pediculis idonea sunt; cavendum tamen, ne partibus exulceratis admoveantur, quo gravia orta fuisse mala feruntur.

VERONICA BECCABUNGA.

Вероника ручейная.

In fossis, locis humidis et scaturiginosis, nec non ad fontium latera, et in rivulis, qui per hyemem raro congelant, copiosa. Cl. Diandr. O. Monogyn. O. N. Scrofulariaceæ. Veroniceæ. *Usualis est:*

Herba recens, glabra, succulenta, caule repente, tereti, simplici, vel subramoso; foliis ovatis, planis, subcarnosis, obtusis, serratis, dilute virentibus; floribus racemosis lateralibus, racemis obpositis, bracteis lateralibus.

Q. Odor contusorum foliorum debilis; sapor amaricans, stypticus, acriculus.

V. Antiscorbutica.

U. Succum e Veronica Beccabunga expressum, contra scorbutum valere Hoffmann adseverat, cujus uncias duas ad quatuor, in connubio seri lactis epotari, etiam Chomel suadet; nec inepte cum succo cochleariæ officinalis, vel alterius antiscorbutici efficacioris commiscetur. Extrinsecus ulceribus scorbuticis cum successu admovebatur.

VIOLA TRICOLOR.

Jacea.

Трехцвѣтная фiалка; Анютины глазки.

Planta caule flexibili, triquetro, diffuso, foliis inferioribus rotundato-ovatis, superioribus ovato-oblongis, obtuse dentatis, stipulis pinnatifidis, calyce pentaphyllo, corolla pentapetala, irregulari. Occurrit in pratis et hortis; floret ab Aprili ad Augustum. Cl. Pentandr. O. Monogyn. O. N. Violaceæ. *Usualis est:*

Herba.

Q. Tota planta odoris fere expers; flaccescens vero, vel paulum contrita, odorem nuclei mali persici spargit; sapore est ex dulci amariusculo, mucilaginoso, cum acrimoniæ vestigiis. Partes constitutivæ sunt: oleum æthereum paucum, acre; principium flavo tingens et multa gelatina vegetabilis. *Violinum,* a Boullay detectum, principium est peculiare, acerrimum, in alcohole et aqua ægre solubile, minime vero in æthere et oleis, quod teste Orfila dosi nonnullorum granorum lethiferum prodit effectum.

V. Stimulans; in membranas mucosas et systema lymphaticum agens; functionem cutis et renum pro-

movens. Largius porrecta nauseam, vomitum et diarrhœam provocat.

U. Experimentis plurimis constat, in variis morbis cutaneis chronicis, puta: tinea capitis, crusta lactea, scabie, herpete aliisque, herbam Violæ tricoloris utilissimam esse; sic etiam adversus scrofulas, indurationes glandularum, otorrhœam, lippitudinem, cum successu adhibita fuit, aliquando conjunctim cum bidente tripartita, tussilagine farfara aut dulcamara. Extrinsecus ulceribus scrofulosis, atonicis, apta esse dicitur.

D. Forma pulveris adulto grana 10 — 20 — 30 ter quaterve in die propinantur. Infusum paratur ex drachmis duabus aut tribus, cum libra aquæ vel lactis, cujus dimidium mane, reliquum vesperi sumitur. Succus recens expressus a drachma ad duas efficax esse fertur.

ZINGIBER OFFICINALE.

Ammomum Zingiber.

Имбирь бѣлый.

Planta perennis, olim tantum in India Orientali obvia, nunc vero in America et præcipue in insulis Antillanis copiosa; in Jamaica frequentissime colitur et spontanea est. Zingiber Indiæ Orientalis, ad littora Malabariæ crescens, aliis præfertur. Cl. Monandr. O. Monogyn. O. N. Scitamineæ. *Usuale est:*

Rhizoma *(Radix Zingiberis)*, ramosum, nodosum, compressum, rugosum, ponderosum, extrinsecus e flavo-cinereum, intus album, maculis lutescentibus, subresinosis, fracturæ subfibrillosæ. In usum medicum præ cæteris ducendum est Zingiber album, seu Jamaicense, quod decorticatum, in umbra leni calore siccatur. Zingiber commune, seu vulgare, rhizoma est cortice

obductum, quod recens adhuc aqua fervida abluitur, et calore vel naturali vel artificiali siccatur. Leve, vermibus exesum, fragile, intus nigrescens, aut vetustum, plane rejiciendum est.

Q. Odor aromaticus, non ingratus quidem, ast nares ita lacescens, ut pulvisculo, in superficie separabili, sternutamenta provocare queat. Sapor masticati peracer, os fervoris sensu adficiens, salivam movens. Partes quibus constat sunt: resina duplex, quarum una tantum in æthere solubilis; oleum volatile cœruleo-virescens; principium peculiare, materiæ animali (osmazomæ) affine; acidum aceticum; acetas potassæ; amylum; gummi; sulphur; quædam oxyda et ligninum (Morin et Rouen). Partes efficaces aqua, alcohole et æthere magna ex parte solvuntur.

V. Fortiter stimulans; canalis intestinalis peristalticum motum intendens; hinc peptica. Interdum lotium et transpirationem auget; dum vero masticatur, salivam movet; minus tamen, quam cætera aromata excalefacit, ejusque effectus sunt durabiliores.

U. In morbis debilitate et torpore stipatis optime convenit. Languenti ventriculo calcar addit; hinc dyspepsiæ, anorexiæ, enterodyniæ flatulentæ, arthrodyniæ, tympanitidi etc. opitulatur. Inter febrifuga quoque referri posse existimabatur; rectius tamen inter aromata, quæ cortici cinchonæ, ne ventriculum molestet, addi solent, locum occupat. Principio acri in organon respirationis agit, hinc vis ejus medicamentosa elucet in accumulatione pituitæ, pertussi, nec non in tussi stomachica. Uvulæ e pituita nimis prolongatæ justa sedes et magnitudo, pulvere radicis Zingiberis, per manubrium cochlearis, per se, vel cum supersulphate aluminæ et potassæ admoto, restituuntur. In adfectionibus

paralyticis et arthriticis commendatur. In odontalgia tinctura ejusdem, gossypio instillata et gingivis admota, salivam educendo, mollimentum præstitit (Niemann). Conditum Zingiberis exoticum, e radice recenti confectum, præstantius illo est, quod pistores dulciarii in Europa saccharo incoquunt.

D. In pulverem tenuatum a granis decem ad scrupulum exhibetur; ventriculo autem viscida colluvie onerato, salia neutra adduntur. Infusum paratur e drachma vel duabus cum sex unciis aquæ, sæpius in die cochleatim propinandum.

PARS II.

MEDICAMENTA

MINERALIA ET CHEMICA.

ACIDUM ACETICUM.

$C^4H^6O^3$; vel $\bar{\bar{A}}$.

Уксусная кислота.

Plurima vegetabilia Acido Acetico, tum libero, tum alcalibus juncto, abundant; nec desunt illius vestigia in humoribus animalium. Generatur autem processu fermentationis acidæ, scilicet dum alcohol sensim sensimque oxydatur, uti etiam dum partes vegetabilium destillationi siccæ subjiciuntur *(Acidum pyrolignosum)*. *Usualia sunt:* 1) Acetum commune; 2) Acetum destillatum; 3) Acidum Aceticum.

ACETUM COMMUNE.

Acetum crudum.

Уксусъ.

Paratur fermentatione acida ex liquidis alcohole plus minusve scatentibus, qualia sunt: vinum, cerevisia, spiritus dilutior etc.; dum liquida hujusmodi cum materiis organicis nitrogenio ditibus (fermento, glutine, vinaceis) ad temperaturam inter + 20° et + 30° R. libero aëris accessui exponuntur. Secundum Rüde bonæ notæ Acetum, fermentationis ope, paratur e sequentibus: bitartratis potassæ libra dimidia, mellis libris duabus, spiritus frumenti libris sex cum dimidia, et aquæ libris quinquaginta. Acetum servandum est in vasis probe clausis in loco frigido; dum aëri diutius

exponitur, infusoria in illo generantur, quæ tandem in massam mucoso-membranaceam concrescunt (Fæx Aceti), quo acor illius hebetatur. Præpeditur hujusmodi corruptio, si Acetum ebullitione effervescat, et illi interdum parva alcoholis quantitas addatur, quo acor illius etiam intenditur, non neglecta debita obturatione.

Optima Aceti communis species habetur *Acetum Vini, album et rubrum,* quod e vinis acescentibus, nec non e vinaceis, post vini fermentationem residuis, paratur. Acetum cerevisiæ præcedenti postponendum.

Q. Color flavescens Aceto Vini albo, rubescens A. V. rubro proprius; odor gratus. Acetum commune tantum acoris habeat, ut unciæ ejus duæ sufficiant saturandis: 60 granis carbonatis potassæ, vel 47 gr. carbonatis sodæ siccati, vel 127 gr. carbonatis sodæ crystallisati, et tunc centenarius (100 partes pondere) Aceti communis continebit circiter $4\frac{1}{2}$ partes Acidi Acetici anhydri.

Adulteratur sæpe acido sulphurico; si hujusmodi Aceto solutio acetatis barytæ instilletur, exoritur præcipitatum album (sulphas barytæ), in acido nitrico haud solvendum; levis in hoc casu Aceti turbulentia, a sulphate potassæ, in Aceto Vini naturali modo contento, non magni est pendenda. Acidum hydrochloricum manifestatur, instillando solutionem nitratis argenti; præcipitatum exinde ortum (chloridum argenti) parimodo in acido nitrico non solvitur, sed recens et humidum in ammonia liquida solubile est. Acidum nitricum, si admixtum foret, sequenti modo detegitur: in Aceto suspecto solvatur parva chloridi sodii quantitas, dein ad saturationem carbonas potassæ addatur, et totum ad siccitatem vaporetur: si sal, hoc modo obtentum, in

acido sulphurico, pari aquæ pondere diluto, solvatur, lamina auri puri tenuissima a liquore caloris auxilio corrodetur, si Acetum acido nitrico erat inquinatum. Vegetabilia acria, quibus acoris gratia adulteratur, sapore acri deteguntur, qui tum imprimis manifestus fit, si tale Acetum carbonate potassæ saturetur, et cum acetate potassæ liquido, quoad gustum, comparetur.

V. Tonica; refrigerans; diaphoretica; diuretica.

U. In febribus inflammatoriis potus Aceto leviter acidulatus, ad gustus gratiam, convenit. In typho abdominali, et quidem in stadio primo, evacuatis prius sordibus, acido hydrochlorico subpar habetur Acetum, et tunc sumitur uncia vel duæ ad aquæ libram, et sacchari semunciam, atque omni hora cochleatim exhibetur; simili modo datum juvat in febre putrida. In scorbuto præstat qua condimentum ciborum, si largiori copia et bonæ notæ Acetum consumetur. Veneno quolibet narcotico potionatis, evacuato prius ipso veneno per emeticum, Acetum cum successu administratur, dosi cochlearis mensalis, sæpius repetenda. Sub interno usu acetatis plumbi, internus quoque Aceti usus, teste Todd Thomson, necessarius est ad præcavendum, quominus sal hoc resolvatur in carbonatem plumbi, utpote unicum ex metalli hujus salibus venenatum. Forma clysmatis (unciæ duæ, tresve ad uncias octo infusi lini) adhibetur qua excitans in alvo adstricta, apoplexia, aliisque atonicis morbis. In pernione, dum membrum nimio pruritu tumet et rubet, maxime utile est fomentum ex Aceto cum spiritu frumenti, quod æque prodest in contusionibus, luxationibus, et ambusturis. Aceto aqua diluto eluitur oculus, dum micula calcariæ bulbo vel palpebris adhæret. Parum efficacia habenda sunt suffimenta ex Aceto, in laterem cale-

factum fuso; hac enim ratione cubiculum odore empyreumatico impletur; præstat pavimentum Aceto aromatico conspergere.

D. Pro usu interno a drachma ad unciam dimidiam ex quovis liquido mucilaginoso sæpius in die; pro clysmate uncia, duæ, tresve; pro collyrio drachmæ duæ vel tres Aceti communis, ad uncias quatuor.

ACETUM DESTILLATUM.

Уксусъ перегнанный.

℞. Aceti Vini libras quinque.
Infunde retortæ vitreæ, eique adde:
Carbonis lignei recens usti uncias tres.

Aptato excipulo, institue destillationem ex arenæ balneo, calore leni, et elice libras quatuor.

In vicem destillati adhiberi potest Acetum, quod ex alcohole, influxu aëris oxydato, conficitur. Apparatum, huic processui inservientem, componunt sequentia: dolium e ligno quercino constructum, quinque vel sex pedes altum (ad perpendiculum in loco + 15° R. circiter temperato positum), in circumferentia 8 foraminibus (pollicem in diametre metientibus, et 15 pollices a fundo distantibus) pertusum. In cavo dolii aptatur discus ligneus, 5 pollices a margine superiori distans, et stupæ auxilio internæ superficiei intime junctus, ne ullus liquido meatus pateat; in ipso disco sunt 4 foramina majora (sesquipollicis in diametro) et plus quam 300 foramina minora (sesquilineæ in diametro); cuivis foramini majori tubus vitreus, tres pollices altus, hermetice imponitur, quo influenti per inferiora octo foramina aëri permeatio conceditur; per foramina minora ducuntur fila linea crassiora, ad fundum usque descendentia, nodo superne retenta, ut per

illa liquidum insensibili modo defluat. Spatium inter fundum dolii et discum, in quo fila descendunt, fere totum impletur sarmentis minoribus uvarum, vel recisamentis ligneis tenuissimis, qualia ex runcina decidunt, vel sarmentis betulæ elixatis. In parte dolii inferiori, 10 vel 12 pollices a fundo, datur apertura tubum excipiens, et effluxui Aceti inserviens. His ita dispositis apparatus primo imbuitur Aceto concentratiori bonæ notæ, dein per illum rivo tenuissimo, vel guttatim, transmittitur spiritus frumenti dilutior, quatuor aquæ partibus dilutus, cui interdum additur pars succi, e dauco carota expressi, quo alcoholis oxydatio multum acceleratur. Nisi unica transfusione Acetum sat acoris nanciscatur, id secunda, et si opus, adhuc tertia vice erit repetendum.

Q. Odoris est debilioris et minus grati, quam acetum commune; saporis acidi, accepti; liquidum sistit limpidum, ponderis specifici inter 1,007 et 1,009. Aceti destillati unciæ tres sufficiant saturandis: 60 granis carbonatis potassæ, vel 47 gr. carbonatis sodæ siccati, vel 127 gr. carbonatis sodæ crystallisati, et tunc centenarius illius continebit 3 circiter partes acidi acetici. Solvit gummiresinas, et varias plantarum partes; cum alcalibus et oxydis metallicis salia constituit.

V. Eadem, ac præcedentis.

U. Ad conficienda quædam præparata pharmaceutica adhibetur.

ACIDUM ACETICUM.

Acetum radicale.

Уксусная кислота.

℞. Acetatis Potassæ sicci partes centum,
Acidi Sulphurici officinalis partes quinquaginta duas.

Acidum infunde retortæ tubulatæ, dein adde parvis portionibus acetatem potassæ, concesso sufficienti temporis intervallo, ut liquidum frigescat, priusquam novam portionem addideris; aptato excipulo continuo frigefaciendo, juncturisque clausis, calore leni, ex arenæ balneo destillationem institue, donec siccum maneat residuum. Productum rectificando purifica, addito binoxydi mangani tantillo.

Concentratissimum obtinetur Acidum Aceticum sequenti modo:

℞. Acetatis Plumbi (leni calore siccati) partes centum triginta sex,

Acidi Sulphurici officinalis partes quadraginta et unam.

Acetatem plumbi crystallisatum, calore 32° R. non excedente, exsicca, et sic aqua crystallisationis orbatum, immitte retortæ vitreæ tubulatæ, siccæ, cui excipulum parimodo siccum junge, et per retortæ tubum acidum sulphuricum infunde. Obturato retortæ tubo, calore quam lenissimo, ex arenæ balneo destillationem institue, excipulum linteis, aqua frigida madidis, cooperiendo. Acidum obtentum, ut a gase acido sulphuroso liberetur, cum pauxillo binoxydi mangani digere, et caute effusum, iterata destillatione purifica. Si acidi sulphurici vestigia innotescerent, parva quantitas acetatis potassæ sicci sub rectificatione esset addenda.

Q. Limpidum, coloris expers, admodum volatile, odoris grati, fragrantis, pungentis; saporis quam acidi, acris; cuti admotum, illam rubefacit, et in vesiculam extollit. In vase aperto calefactum flammam concipit, eaque ardet alba. Pondus specificum = 1,074. Solvit resinas, gummiresinas, camphoram et olea volati-

lia. Centenarius Acidi Acetici constat: ex 30 Acidi Acetici anhydri, et 70 aquæ partibus. Disquirenda est quantitas acidi carbonatum ope; sic: 51 pars Acidi Acetici anhydri exposcit ad saturationem 54 partes carbonatis sodæ siccati, vel 147 carbonatis sodæ crystallisati, vel 69 carbonatis potassæ, vel ferme æqualem sui ponderis partem carbonatis calcariæ. (Ex qualibet harum proportionum facili modo invenietur quantitas Acidi Acetici anhydri in uncia Aceti cujuslibet, si quantitas carbonatis, ad saturationem adhibiti, notetur.) Concentrationis gradus sit talis, ut 100 grana Acidi Acetici paria sint saturandis 86 granis carbonatis sodæ crystallisati.

Inquinamenta deteguntur eodem modo, ac in aceto communi. Insociabile est acidum hoc alcalibus, terris alcalinis, eorumque carbonatibus, nisi acetatem obtinere cupias.

V. Stimulans; rubefaciens.

U. Adhibetur imprimis forma spiritus odoriferi, stimulantis, in syncope, asphyxia, hysteria, aliisque nervorum turbis. Inter optima numeratur remedia ad destruendas verrucas et callos; sub applicatione autem sedulo cavendum, ne cutis callum circumdans illo madefiat et corrodatur. Vices vesicatorii supplet, ubi periculum in mora; hinc in angina membranacea aliisque morbis acutis in usum externum ducitur. Adhibetur etiam ad corrigendum aëris fœtorem in conclavibus, pavimentum conspergendo. Inservit parimodo ad conficienda nonnulla præparata pharmaceutica.

ACIDUM CARBONICUM.

CO^2.

Aer fixus; Gas Carbonicum.

Углекислота.

Ingenti copia tum liberum, tum basibus junctum occurrit; producitur combustione carbonum et corporum carboneo scatentium; uti etiam respiratione animalium et variis processibus chemicis.

Ad multifarios usus pharmaceuticos educitur e carbonate calcariæ puro; quem in finem fragmenta marmoris albi aut cretæ lagenæ bi-tubulatæ Woulfeanæ immittuntur, illisque acidum hydrochloricum vel sulphuricum dilutum superfunditur; gas extricatum, antequam excipiatur, per aquam destillatam transmittitur, et in lagenis super aquam frigidam, solutionem chloridi sodii, vel hydrargyrum colligitur. Haud raro Gas Acidum Carbonicum, quod sub fermentatione spirituosa emanat, hunc in usum vertitur. *Usualis est:* **Aqua Acidi Carbonici.**

Q. Est gas coloris expers; odoris et saporis aciduli, pungentis; chartam heliotropio tinctam rufat, dum humida est, siccæ vero colorem non mutat; pond. specif. = 1,524, si aër atmosphæricus = 1 ponatur; hinc illo gravius est, et liquidi instar transfundi potest. Pressione, 36 atmosphæris æquiparanda, ad 0° R. in liquidum coloris expers, admodum volatile, densatur, cujus pondus spec. ad 0° R. teste Faraday = 0,83. Gas Acidum Carbonicum, ad communem temperaturam et pressionem atmosphæræ, æquali aquæ volumine absorbetur; adaucta vero pressione aqua absumit plura hujus gasis volumina. Nec ardet, nec combustioni sustentandæ aptum est; hinc corpora inflammata, in illud immersa, protinus extinguuntur. Respirationi alendæ

minime idoneum; aër tamen atmosphæricus, nisi ultra 5 partes Acidi Carbonici in centenario contineat, respirari potest, quin noxam adferat. Centenarius Acidi Carbonici constat ex: carbonei 27,65 et oxygenii 72,35.

AQUA ACIDI CARBONICI.

Aqua Acido Carbonico saturata; Aqua Aëris fixi.

Углекислая вода.

Acidum Carbonicum elice e marmore albo (deficiente hoc e creta) ope acidi hydrochlorici; gas extricatum per vas clausum, aquam simplicem continens, transmitte, ut ab acido sulphuroso, quo acidum hydrochloricum venale inquinatum esse solet, prorsus liberetur. Extricando gasi inserviat vas vitreum fortius, triplici apertura superne munitum (vel, dum majori copia opus est, vas plumbeum, aut fictile). Ad instillandum acidum hydrochloricum, sub ipsa gasis eruptione, adcommodum est vas vitreum infundibuliforme, superne lagenæ ad instar in collum desinens, infra vero epistomio, parimodo vitreo, instructum. Infundibulum hujusmodi, clauso epistomio, superimpone vasi marmor continenti, illique hermetice junge; tum acido hydrochlorico imple, et tandem collum superius infundibuli cum una ex aperturis suppositi vasis ope tubi plumbei aut vitrei hermetice connecte. Talis infundibuli auxilio acidum pro libitu (aperto epistomio vitreo) instillari potest, quin reprimatur, nam impetus gasis ad superficiem acidi idem est, ac ille, qui per epistomium urget.

Acidum Carbonicum, quando jam sincerum prodit, excipe sub campanam cupream, stanno probe obductam et aqua prius repletam. Campana hæc, quæ vulgo Gasometrum dicitur, æquipondio suspensa, et in suprema parte epistomio instructa sit, per quod sub initium

aër atmosphæricus emitti, dein vero Acidum Carbonicum educi possit. E superiore dicti receptaculi parte Gas Carbonicum, ope tubi flexibilis e corio examussim confecti, in antliam bivalvatam coge, e qua comprimendo in dolium ligneum, aqua destillata frigida repletum, illud propelles. Ut prima quantitas gasis in dolium penetraverit, aliquot libras aquæ per epistomium, in parte inferiori adaptatum, emitte; dein Gas Carbonicum tamdiu in illud antliæ auxilio coge, donec quinque circiter ejus volumina aqua absorpserit. Quo gas facilius ab aqua, in dolio contenta, excipiatur, hæc assidue agitanda est; id optime perficitur axi, per fundum dolii superius arctius et accuratius transmissa, quæ in interna dolii parte alis munita est, extrinsecus vero manubrium rotationi aptum præ se fert. Ut major gasis quantitas absorbeatur, temperatura cubiculi frigidiuscula sit necesse est, et operatio pluribus periodis, aliquot horarum spatio divisis, perficienda.

Aqua Acido Carbonico dicto modo saturata e dolio in lagenas, quam promptissime obturandas, transfundatur. Ne autem Gas Carbonicum sub ipsa transfusione avolet, Soubeiran epistomium peculiare excogitavit, quod e duplici tubo constructum est; dum tale epistomium aperitur, per unum ex tubis aqua Acido Carbonico saturata in lagenam influit, per alterum vero tubum aër atmosphæricus in lagena contentus in superiorem dolii partem penetrat; ut autem hoc examussim fiat, lagena hermetice cum epistomio juncta sit oportet. Aqua sic parata in lagenis probe clausis, subere ligato et resina obducto, in loco frigdio servanda est.

V. Antiseptica; diuretica; irritabilitatem ventriculi, nauseam, vomitumque sedans; protracto usu lithontriptica.

Gas Acidum Carbonicum, si inspiratum fuerit, mox asphyxiam inducit, quæ accedente protinus aëre atmosphærico, haud diu persistit; idem gas non tantas vitæ insidias struit, quam gas oxydum carbonicum, quod e carbonibus flamma cœrulescente ardentibus evolat, et symptomata gravissima gignit, quamvis multo aëri atmosphærico immixtum sit. Ad excitandos homines, ex Acido Carbonico asphyxiam perpessos, aër atmosphæricus purus optimum sistit remedium; licet autem, urgente necessitate, affusiones frigidas, et venæsectionem in usum vocare.

U. Frequentissime adhibetur ad sedandum vomitum, a variis causis provenientem; hinc in vomitu spasmodico, vel a vehementi animi pathemate exorto; in hæmatemesi vel etiam in hyperemesi, ejectis jam emetico sordibus. Scopo antiseptico prodest Acidum Carbonicum, varia forma propinatum, in febri putrida, in diarrhœa ejusdem indolis, nec non in scorbuto; inde liquorum fermentantium utilitas in hocce morbo. Cum successu adhibentur varia medicamina Acido Carbonico scatentia in congestionibus passivis abdominalibus, in polycholia, dyspepsia, hypochondriasi, nec non in menostasia. Vis salutaris gasis hujusce in dictis morbis imprimis elucet ex aquis mineralibus acidulis, quarum virtus eximia in debellanda lithiasi et podagra, non tantum a chemica earum qualitate, producta et concretiones morbosas solvendi, verum etiam a peculiari vi, assimilationem et sanguificationem, atque hinc pendentem renum functionem corrigendi, derivanda esse videtur.

Extrinsecus adhibetur Gas Acidum Carbonicum balnei gasiformis instar, dum ægrotus in arcam includitur, prominente capite, et ibidem gas hoc extricatur;

vel dum morbo laborans in Aquam Acidi Carbonici, aut fontem mineralem acidulum immergitur. Utilia sunt hæc balnea in exanthematibus chronicis, rheumatalgia, paresi et sudore pedum fœtido. In usum chirurgicum ducuntur cataplasmata fermentantia (fermentum panis cum creta), gas hoc emittentia, quæ in ulceribus putescentibus, gangrænosis, laxis, uti etiam in cancere prosunt, quo in casu narcoticorum additamentum e re est.

D. Quantitas Acidi Carbonici pro dosi exhibenda pendet a præparato unde extricatur, quamobrem videsis: bicarbonatem sodæ et potassæ, pulveres Acidum Carbonicum evolventes, etc. Aquæ Acidi Carbonici propinatur poculum unum alterumve, bis aut ter in die. Aquæ minerales Acidulæ majori copia sumuntur.

ACIDUM HYDROCHLORICUM.

ClH.

Acidum Muriaticum.

Соляная кислота; Хлористо-водородная кислота.

Dum æquales mensuræ gasis hydrogenii et gasis chlori insimul mixtæ luci solari, vel scintillæ electricæ exponuntur, sub vehementi detonatione gas Acidum Hydrochloricum producunt. (Hydrogenii mensura ponderat unum, eademque mensura chlori ponderat triginta sex). Gas autem Acidum Hydrochloricum ab aqua avidissime absorbetur, ita quidem, ut unum volumen aquæ sub communi aëris temperatura 480 volumina gasis Acidi Hydrochlorici absorbere valeat, quo ipso Acidum Hydrochloricum, liquidam præ se ferens formam, generatur. *Usualia sunt:* 1) Acidum Hydrochloricum concentratum; 2) Acid. Hydrochl. officinale; 3) Acid. Hydrochl. dilutum.

ACIDUM HYDROCHLORICUM CONCENTRATUM.

Acidum Muriaticum fumans.

Retortam tubulatam adeo capacem sume, ut ingredientia $\frac{2}{3}$ partes illius tantummodo occupent, eamque junge excipulo parimodo tubulato; juncturam obtura luto ex farina secalitia, farina seminum lini, et aqua constante, et circumvolve linteo eodem luto illito. Excipulum contineat aquæ communis libram dimidiam; tubo excipuli adaptā ope suberis perforati tubulum vitreum siphonis ad instar incurvatum, cujus extremum immerge in lagenam, decem libras aquæ destillatæ continentem, sed ita, ut extremum non ultra duas tresve lineas in aqua sit; lagena autem ipsa luto non est obturanda, sed vasi aqua frigida repleto immittenda. His ita dispositis per tubum in retortam ingere:

Chloridi Sodii siccati libras decem, quibus infundibuli ope superfunde:
Acidi Sulphurici officinalis libras sexdecim,
Aquæ libris quinque prius diluti.

Obturato retortæ tubo, calore leni, ex arenæ balneo extrica gas, donec nil amplius prodeat. Finita operatione in excipulo habebis Acidum Hydrochloricum concentratissimum impurum, usui technico adcommodum; lagena autem, in quam sipho immersus erat, continet Acidum Hydrochloricum chemice purum.

Q. Dum ab omni inquinamento liberum, coloris est expers; aëri expositum vapores emittit albos, odoris acidi, pungentis; saporis est acidi, caustici, aliquantulum amaricantis. Acidum Hydrochloricum concentratum ad temperaturam $+ 12°$ R. ponderis sit specifici $= 1,18$; in centenario illius continentur gasis Acidi Hydrochlorici 36,36 partes pondere. Centum grana hujusmodi

acidi sufficiunt saturandis: 147 granis carbonatis sodæ crystallisati, vel 54 granis carbonatis sodæ sicci, vel 50 granis carbonatis calcariæ puri; ex quo patet, 50 grana carbonatis calcariæ, ad saturandum adhibiti, æquivalere circiter 37 granis gasis Acidi Hydrochlorici. Hac igitur ratione inquiri potest qualitas Acidi Hydrochlorici, dum tale ad explorandum exhibetur. Gas Acidum Hydrochloricum ab acido concentrato tamdiu vaporum forma avolat, donec pondus illius specificum = 1,09; hoc in statu immutatum destillari potest, estque odoris expers; centenarius hujusmodi acidi continet 18 partes gasis Acidi Hydrochlorici.

Acidum, quod venale prostat, haud raro ferri miculas continet, quod dignoscitur, si acido, carbonate sodæ saturato, tinctura gallarum addatur, ex quo liquidum, si ferri quidlibet adsit, nigro tingitur colore. Si solutio dilutior chloridi barii Acido Hydrochlorico venali, parimodo diluto, instilletur, et ex hoc turbulentia, vel præcipitatum exoriatur, id admixtum acidum sulphuricum probat. Si acido nitrico foret inquinatum, immersam auri laminam corroderet.

ACIDUM HYDROCHLORICUM OFFICINALE.

℞. Acidi Hydrochlorici concentrati partes quinquaginta novem,
Aquæ destillatæ partes viginti quinque (utrumque pondere *).

Misce. Sit ponderis specifici = 1,12. Centenarius hujusmodi acidi continet 24 partes gasis Acidi Hydrochlorici.

---

*) Si autem vasorum capacitate uti mavis, tunc recipe: Acidi Hydrochlorici concentrati mensuras duas; aquæ destillatæ mensuram unam.

ACIDUM HYDROCHLORICUM DILUTUM.

℞. Acidi Hydrochlorici concentrati partem,
Aquæ destillatæ partes viginti quinque (utrumque pondere *).

Misce. Sit ponderis specifici = 1,05. Centenarius hujusce acidi continet gasis Acidi Hydrochlorici 10 partes.

V. Tonica; antiseptica.

U. In febribus putridis, et aliis morbis in gangrænam pronis, utpote scarlatina maligna, angina sphacelosa, variolis confluentibus, magna virium prostratione et nervorum turba stipatis, efficacissimum habetur remedium. In typho abdominali, ubi mucosa intestinorum tenuium præ cæteris afficitur, in stadio morbi primo, evacuatis, si opus, antea sordibus, aliis remediis, teste Neumann, palmam eripit, et tunc sumitur Acidi Hydrochlorici officinalis drachma ad decocti althææ libram, et sacchari unciam, atque cochleatim omni hora exhibetur. Neque spernendum præstat auxilium in febribus gastricis, ubi typhi periculum instat. In febribus nervosis, ubi acidorum mineralium usus indicatur, reliquis acidis præferendum. A nonnullis pro antidoto syphilidis universæ habetur, sed vehementer errant, qui talem vim acido huic adscribunt; silent quidem ad tempus syphilidis symptomata sub illius usu, sed serius ocyus denuo in conspectum veniunt. In lithiasi, imprimis dum phosphas calcariæ sabuli forma excernitur, aptum est remedium. Ad solvendas concretiones arthriticas, juncturas articulorum præcipue obsidentes, prodest lotio ex drachmis duabus Acidi Hydrochlorici officinalis, et aquæ libra composita. Additur gargarismatibus, dosi drachmæ dimidiæ vel integræ Acidi of-

---

*) Si lubet mensura, tunc sume: Acidi Hydrochlorici concentrati mensuram unam; aquæ destillatæ mensuras tres.

ficinalis ad libram vehiculi, quæ in gangræna faucium e re sunt. Guttæ quinque, vel octo, ad quatuor aquæ uncias sumuntur pro injectione in blennorrhœa urethræ chronica.

Inter antidota Acidi Hydrochlorici incaute deglutiti recensentur: solutio saponis, vel magnesia aqua suspensa. Insociabile est Acidum Hydrochloricum in formulis præscribendis: alcalibus eorumque carbonatibus, terris alcalinis, oxydis metallicis, polysulphureto potassii, polysulphureto stibii, tartrati potassæ, tartrati stibii et potassæ, tartrati ferri et potassæ, nitrati argenti, et acetati plumbi.

D. Acidum Hydrochloricum officinale datur adulto dosi 5, 10 vel 15 guttarum in quolibet liquido mucilaginoso, sæpius in die. Acidi Hydrochlorici diluti porriguntur guttæ 15 ad 40 pro dosi, sæpius in die.

ACIDUM HYDROCYANICUM.

Cy H.

Acidum Borussicum.

Синильная кислота; Синеродисто-водородная кислота.

Gas cyanogenium seu cyaneum, quod a Gay-Lussac anno 1815 detectum fuit, sub peculiari processu chemico hydrogenio jungitur, et Acidum Hydrocyanicum *) seu Borussicum generat, quod media aëris temperie liquidi speciem refert, ad — 12° R. autem massam sistit crystallinam. Acidum Hydrocyanicum purum vehementissimum omnium venenorum est, sufficienti vero

---

*) Centenarius Acidi Hydrocyanici puri constat ex: cyanei 96,35 et hydrogenii 3,65 partibus; vel si mavis, ex: nitrogenii 51,70; carbonei 44,65 et hydrogenii 3,65 partibus.

aqua dilutum efficacibus adnumeratur remediis. *Usualia sunt:* 1) Acidum Hydrocyanicum medicinale; 2) Aqua Lauro-Cerasi et Aq. Amygdalarum amararum, quas videsis in parte tertia; 3) Cyanidum Potassii.

ACIDUM HYDROCYANICUM MEDICINALE.

Acidum Borussicum medicinale.

℞. Cyanidi Ferri et Potassii (Borussiatis Potassæ ferrosi) uncias duas,
Acidi Sulphurici officinalis unciam,
Aquæ destillatæ libras duas cum dimidia.

Collo retortæ tubulatæ, haud magnæ capacitatis, junge ope suberis perforati tubum vitreum longiorem, qui in angulum rectum incurvatus sit, et juncturam vesica humida obduc. Retortæ, in balneum aquæ mersæ, immitte cyanidum ferri et potassii, in decem aquæ unciis prius solutum; huic superfunde acidum sulphuricum, quatuor aquæ destillatæ unciis dilutum; tubum vitreum immerge in lagenam, octo uncias aquæ destillatæ continentem; lagena imposita sit vasi, aqua frigida repleto. Obturato retortæ tubo balneum aquæ sensim calefac ad ebullitionem, aquam calidam per vices illi addendo, ne balneum vaporando minuatur. Destillationem hac ratione perficiendo elice e retorta uncias sex, et habebis in lagena tubum excipiente uncias quatuordecim, quibus dissoluto apparatu adde adhuc aquæ destillatæ uncias sex, ut pondus totius Acidi Hydrocyanici obtenti æquetur unciis viginti. Hoc modo paratum Acidum Hydrocyanicum medicinale continet in centenario 2 partes acidi puri. In lagenis minoribus, epistomio vitreo munitis, charta nigra obductis, vel e vitro cæruleo confectis, in loco frigidiusculo servandum est.

Concentrationis gradum ope nitratis argenti sequenti modo indagabis: sume vitrum, cui infunde un-

cias duas aquæ destillatæ; vitro simul cum aqua in bilance accuratissima ponderatis, instilla grana quinquaginta Acidi Hydrocyanici explorandi, et quassando misce; hoc facto, liquori instilla guttatim solutionem nitratis argenti, vitrum sæpius conquassando, donec præcipitatum (Cyanidum Argenti) manifestetur, vel donec odor, Acido Hydrocyanico proprius, plane evanuerit; præcipitatum elue in filtro (antea ponderando), et dum siccum fuerit pondere examina. Quinque grana cyanidi argenti, hoc modo obtenti, designant granum Acidi Hydrocyanici puri. Si ergo 50 grana Acidi Hydrocyanici medicinalis producunt 5 grana cyanidi argenti, gradus concentrationis illius erit normalis, sin aliter, ad hunc gradum diluendo reducatur oportet. Si ratio habeatur quantitatis impensæ nitratis argenti, scire juvabit: 12,7 grana nitratis argenti, æquivalere duobus granis Acidi Hydrocyanici puri. Vel dum cyanidum argenti, quin ponderetur, adaucti caloris auxilio in argentum metallicum reducitur, gradus concentrationis obtinetur, si grana octo argenti metallici granis duobus Acidi Hydrocyanici puri æquiparentur.

Q. Acidum Hydrocyanicum medicinale, liquidum sistit coloris expers, pellucidum; odore gaudet peculiari, qui a nonnullis odori amygdalarum amararum assimilatur; saporis est sub initium frigerantis, blandi, serius vero acris et pungentis; admodum volatile; quavis proportione in aqua et alcohole diffunditur; calore adaucto, et luce diurna facillime dissipatur.

Variæ plantarum partes, generis Amygdali et Pruni, si cum aqua destillationi subjiciantur, oleum æthereum, aqua gravius, largiuntur, quod Acido Hydrocyanico scatet. Aqua oleo hujusmodi supernatans, plus

minusve acidi absumit, et pro ratione substantiæ vegetabilis impensæ, Aqua Amygdalarum amararum, A. Lauro-Cerasi, A. Pruni Padi etc. dicitur. Ad detegendam acidi quantitatem in dictis modo aquis destillatis sic procedendum: sumantur e. g. mille grana Aquæ Amygdalarum amararum, quæ additis aliquot guttis ammoniæ liquidæ leviter alcalina fiat; dein instilletur solutio nitratis argenti excedens, et tandem addito acido nitrico diluto liquor reddatur acidus, quo cyanidum argenti præcipitatur, e cujus quantitate, uti supra dictum fuit, quantitas Acidi Hydrocyanici puri eruitur. Si igitur mille grana Aquæ Amygdalarum amararum producerent septem cum dimidio grana cyanidi argenti siccati, id indicaret, hisce mille granis aquæ sesquigranum Acidi Hydrocyanici puri inesse. Notandum tamen, cyanidum argenti in acido nitrico concentratiori ebulliente solubile esse, quo a chlorido argenti facile distinguitur. In præscribendis formulis vitanda est mistura Acidi Hydrocyanici cum præparatis ferri, nitrate argenti et acidis mineralibus.

V. Acidum Hydrocyanicum purum venenum est atrocissimum ac promptissimum, et in usum medicum nunquam adhibetur. Experimentis constat, animalia robustiora aliquot guttis Acidi Hydrocyanici puri, quasi fulmine icta, fuisse enecata. Virtus Acidi Hydrocyanici medicinalis, uti et Aquæ Lauro-Cerasi et A. Amygdalarum amararum, una ferme eademque esse censetur, habita tamen ratione inhærentis quantitatis Acidi Hydrocyanici puri. Remedia hæc parva dosi sedant nervorum irritationem, organa respirationis præ cæteris obruentem; majori autem dosi vertiginem, spasmos, convulsiones, stuporem, paralysin et ipsam mortem inducunt.

Ad illustrandas inquisitiones medico-legales interdum solvenda obvenit quæstio: num Acidum Hydrocyanicum, veneni instar datum, causa obitus exstiterit, nec ne? — Si disquisitio chemica intra biduum post mortem suscipiatur, vestigia Acidi Hydrocyanici certo certius erui possunt; si autem serius hoc fiat, ob indolem veneni volatilem, nil certi statui potest. Instituta cadaveris sectione, colligatur sanguis in utroque cordis ventriculo et omne liquidum, quod in cavo pectoris, cranii, abdominis et in ipso ventriculo continetur. Omnia hæc mixta per aliquod tempus simul agitentur cum aqua destillata, dein liquidum per chartam filtratum, calore lenissimo, destillationi subjiciatur. Parvæ quantitati liquoris destillati addantur aliquot guttæ tincturæ potassæ, et dein nonnullæ guttæ solutionis sulphatis oxydi ferri, ex quo, si præcipitatum fuscum apparet, quod addito tantillo acidi sulphurici diluti leviter virescit, et aëri expositum colore cœrulescente tingitur, fas erit declarandi, mortem Acido Hydrocyanico fuisse adlatam.

Præeunte Lassaigne, disquisitio sequenti modo instituenda: ventriculus, si odor Acidi Hydrocyanici sub autopsia in illo percipitur, ex toto exemptus, sub aquam destillatam immersus, in partes discindatur, et aqua, addito tantillo acidi sulphurici diluti, destillationi subjiciatur, atque octava circiter pars destillando eliciatur. Liquori destillatione obtento, potassæ liquidæ tantum addatur, ut leviter alcalinus fiat; dein aliquot guttæ sulphatis cupri, aqua soluti, illi instillentur, et tandem acidi hydrochlorici quantum satis, ut exuberans oxydum cupri solvatur. Liquidum hoc modo exploratum lactis instar albescit, si Acidum Hydrocyanicum in illo continetur. Hac methodo $\frac{1}{20000}$ partem veneni detegi posse, fertur.

Antidota Acidi Hydrocyanici habentur: aqua chlori, cochleatim propinanda, et vapores chlori, admodum diffusi, inspirando hauriendi; subsidiariam opem ferunt excitantia volatilia, uti potus refocillans tepidus cum vino aut spiritu rhum paratus aliaque.

U. Acidum Hydrocyanicum medicinale, uti etiam aquæ destillatæ illud continentes, cum successu opponuntur variis morbis organorum respirationis, puta: tussi spasmodicæ, pertussi, bronchitidi chronicæ, catarrho inveterato, phthisin pulmonalem æmulanti, nec non asthmati spasmodico. Medentur sæpe cordis palpitationi, et in aneurismate sublevando, duntaxat malo necdum inveterato, opem ferunt. In phthisi tuberculosa tussim aliquando mittigant et expectorationem faciliorem reddunt. Referente Todd Thomson Acidum Hydrocyanicum medicinale efficacissimum est adjuvans, dum tonicis remediis additur, in variis affectionibus primarum viarum, quæ ventriculi irritabilitate comitantur. Experimentis ejusdem auctoris inclaruit vis egregia acidi hujus in sedando pruritu, in variis impetiginibus tam molesto, si extrinsecus forma lotionis aqua dilutum per se, vel cum bichlorido hydrargyri, in usum ducatur.

D. Acidum Hydrocyanicum medicinale datur adulto a gutta dimidia ad integram pro dosi, caute ascendendo ad guttas quatuor, idque semel, bis, ter, aut quater in die, cum aqua destillata, aut emulsione amygdalarum. Juvenibus et feminis dimidia vel tertia pars hujusmodi doseos est propinanda. Pro usu externo sumitur drachma Acidi Hydrocyanici medicinalis ad sex uncias aquæ, et lotionis forma adhibetur. Ad humectandum cataplasma drachma dimidia cum aquæ destillatæ uncia sufficit.

CYANIDUM POTASSII.

K Cy^2.

Borussias Potassæ purus; Hydrocyanas Potassæ.

Cyanidum ferri et potassii (Borussiatem potassæ ferrosum) in aëre libero tepidoque exsicca, et dein in pulverem redige. Sal pulveratum immitte retortæ fictili, in furno reverberii collocatæ; collo retortæ apta tubum, cujus extremum non ultra duas tresve lineas in aquam immersum sit, ut exinde subsequentem gasis evolutionem dignoscere, et hinc debitum caloris gradum adhibere possis. Ignem initio leniorem excita, ut remanens aqua crystallisationis vaporetur, dein vero calorem sensim adauge. Ubi jam gas minori copia emanat, calorem tantum adhibe, ut retorta igne candeat, et hunc caloris gradum eousque sustine, donec gasis evolutio prorsus cessaverit, quo operationis momento, remota protinus aqua, tubum luto obtura, et clausis argilla omnibus furni aperturis, ignem extingue, atque totum apparatum refrigerationi committe. Subsequenti die, fracta retorta, massam salinam exime, et stratum illius supremum, coloris albi, vitri instar concretum, cultro separa, quod vasi vitreo, exactissime obturando, illico immitte, et in loco obscuro serva.

Q. Modo descripto, via sicca, obtentum, crystallos sistit cubicas, pellucidas (salis gemmæ ad instar); odoris est expers; saporis acris, pungentis, alcalini, ingrati, Acido Hydrocyanico similis. Aëri expositum pelluciditate orbatur, et sensim diffluit, quo odorem Acidi Hydrocyanici emittit. Igne leniter rubente funditur, quin resolvatur; igne autem intensiore lentum patitur discidium. In alcohole absoluto ferme insolubile est. Centenarius constat ex: cyanei 40,25 et potassii

59,75 partibus. Sal hoc impurum, aqua solutum, Lixivium sanguinis, vulgo sic dictum, constituit. (Videsis Cyanido - Sesquicyanidum Ferri). Accedente quolibet acido dissipatur, et tandem iners fit.

V. Eadem, ac Acidi Hydrocyanici, quin imo vis ejus venenifera multo vehementior esse videtur, dum recens paratum est.

U. Cum facillime, si diutius servatum fuerit, discidium subeat, et hinc incerta virtute polleat: raro in usum internum ducitur, eique Acidum Hydrocyanicum, utpote remedium non tam dolosa virtute præditum, merito præfertur. Inclaruit in primis usu externo, et fomenti vel lotionis instar in variis neuralgiis, uti cephalalgia, prosopalgia, malo ischiatico aliisque, utile constituit medicamen. Trousseau et Pidoux illud methodo endermica experti sunt.

D. Si remedium intus porrigere ratum fuerit, a quarta grani parte ad granum integrum sensim et caute augenda erit dosis. Pro methodo endermica granum cum cerato simplici adplicatur cuti, epidermide orbatæ. Pro lotione, cuti sanæ applicanda, grana octo Cyanidi Potassii in uncia aquæ destillatæ solvuntur; hujusmodi solutio parti dolenti, sed nequaquam exulceratæ, spleniorum ope superdatur.

ACIDUM NITRICUM.

N^2O^5.

Селитренная кислота; Азотная кислота.

Dum corpora organica, nitrogenio seu azoto scatentia, in aëre atmosphærico cum aqua et quolibet alcali, vel terra alcalina, putrefiunt, Acidum Nitricum generatur, quod additæ basi jungitur, et nitratem illius

constituit. E tali conjunctione ulteriori processu chemico, elicitur Acidum Nitricum, quod nonnisi aquæ junctum obtineri potest. *Usualia sunt:* 1) Acidum Nitricum concentratum; 2) Acid. Nitric. officinale; 3) Acid. Nitric. dilutum; 4) Acid. Nitrico-nitrosum; 5) Acid. Hyponitricum chloratum.

ACIDUM NITRICUM CONCENTRATUM.

$N^2O^5 + aq.$

HYDRAS ACIDI NITRICI.

℞. Nitratis Potassæ,
Acidi Sulphurici officinalis, utriusque libras tres.

Retortam sume tantæ capacitatis, ut quum ingerenda fuerint immissa, tertia pars non impleta maneat. Immisso nitrati potassæ ope infundibuli longioris acidum sulphuricum superfunde, dein infundibulum caute exime, ne collum retortæ acido contaminetur. Hoc facto, retortam in arenæ balneum profundius impone, excipulum junge, et calorem sensim sensimque crescentem adhibe. Dum fusco-rubei vapores, qui mox evolvuntur, ut contenta calefiunt, penitus prodire cessaverint, excipulum absume, et in ejus locum aliud adpone, quod linteis madidis circumda; tum demum calorem adauge, donec iterum rubei vapores appareant, quo operationis momento destillatione absiste, et apparatum refrigerationi committe. In altero excipulo habebis Acidum Nitricum concentratum, quod in vase epistomio vitreo probe clauso, intercepto luminis accessu, serva. Si Acidum Nitricum, dicto modo obtentum, vel quod venale prostat, acido sulphurico vel chloro foret inquinatum, solutio saturata nitratis argenti guttatim tamdiu ei instilletur, donec præcipitatum manifestari cesset. Caute effusum acidum limpidum super parvam nitratis barytæ quantitatem repetitæ destillationi subjiciatur.

Q. Coloris est expers; aëri expositum vapores emittit; ad lucem solarem mox flavo tingitur colore, oxygenium evolvendo. Ad + 69° R. ebullitione effervescit, ad — 32° congelatur. Si gase oxydo nitrogenii imbuatur, in acidum nitrico-nitrosum convertitur. Pondus specificum = 1,51. Centenarius constat ex: Acidi Nitrici anhydri 85, et aquæ 15 partibus. Centum grana Acidi Nitrici concentrati sufficiunt saturandis: 228 granis carbonatis sodæ crystallisati, vel 84 granis carbonatis sodæ sicci.

ACIDUM NITRICUM OFFICINALE.

$N^2O^5 + 5aq.$

℞. Nitratis Potassæ,
Acidi Sulphurici officinalis, utriusque libras tres,
Aquæ communis libram.

Nitrati potassæ, retortæ ingesto, acidum sulphuricum, aqua prius dilutum, superfunde, et eodem modo destillationem institue, ac in præcedenti expositum fuit.

Ex Acido Nitrico venali rectificatione purum obtinetur, si excipulum, dum octava circiter pars in illud transierit, et acidum stillans nulla manifestet chlori vestigia, cum alio commutetur. Destillatio tamdiu continuanda est, donec $\frac{1}{16}$ circiter pars in retorta maneat.

Q. Coloris est expers; pondus spec. = 1,42; ebullitione effervescit ad + 98° R.; luce solari, teste Duflos, non fert discidium. Centenarius constat ex: Acidi Nitrici anhydri 60, et aquæ 40 partibus. Centum grana Acidi Nitrici officinalis sufficiunt saturandis: 161 grano carbonatis sodæ crystallisati, vel 59 granis carbonatis sodæ anhydri.

Si in acido, sufficienti aqua diluto, ex nitrate barytæ sedimentum album exoritur, id admixtum acidum

sulphuricum testatur; si nitras argenti quidlibet deji-cit, id chlorum adesse indicat; si ex addito carbonate sodæ præcipitatum adparet album, nitratem calcariæ solutum continet; si guttæ aliquot in lamina platinea vaporatæ salinum dant residuum, id nitratem potassæ vel aliud sal, ex indole propria dignoscendum, manifestat. Acidum Nitricum, quod acido nitroso exuberat, si cum oxydo plumbi digeratur, solutionem refert flavam, quod autem purum est, dat solutionem limpidam.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

Aqua fortis.

Крѣпкая водка.

℞. Acidi Nitrici officinalis partes quinque,
Aquæ destillatæ partes septem (utrumque pondere *).

Misce.

Q. Pondus specificum = 1,19. Centenarius constat ex: Acidi Nitrici anhydri 25, et aquæ 75 partibus. In præscribendis formulis vitanda est mistura Acidi Nitrici cum alcalibus, oxydis, terris alcalinis eorumque carbonatibus, sulphuretis, sulphate ferri, nec non tincturis spirituosis.

V. Acidum Nitricum concentratum et officinale, corrosiva et escharotica sunt; dilutum, antisepticum atque tonicum est remedium.

Dum Acidum Nitricum veneni instar sumptum fuit, maculæ coloris aurantii observantur in labiis, mento ac manibus potionati. Si mors insequatur, eodem colore suffusa est maxima pars tubi intestinalis, cujus membrana in substantiam adiposam conversa, et ven-

*) Mensura sumes: Acidi Nitrici officinalis mensuras quinque; aquæ destillatæ mensuras sex.

triculus perforatus plerumque invenitur. In fluidis, si quæ obtineri possunt, vestigia Acidi Nitrici deteguntur, dum illa cum cupro limato ad ebullitionem usque calefiunt, quo vapores aurantii extricantur. Acidi Nitrici vestigia etiam sequenti modo innotescunt, teste T. Thomson: indigo, quod acido sulphurico solutum est, fluido suspecto tamdiu additur, donec illud leviter cæruleum induat colorem; si ex addita dein gutta acidi sulphurici fluidum sub ebullitione cæruleo colore orbatur, id Acidum Nitricum adesse designat. Sapo et magnesia calcinata, aqua suspensa, habentur antidota.

U. Priora duo imprimis ad conficienda varia præparata pharmaceutica adhibentur. A Welbank laudatur acidum concentratius, qua causticum, ad provocandum meliorem suppurationis processum in ulceribus phagedænicis; superdatur plumaceola acido leviter humectata, applicito prius linteo fenestrato, unguento spissiori illito, ad muniendas partes sanas circumvicinas.

Acidum Nitricum dilutum laudatur in hepatitide chronica, quamvis hydrope complicetur, uti etiam in asthmate et angina pectoris. Potus acido nitrico acidulatus prodest in febribus typhodibus et putridis, acido tamen hydrochlorico hoc in casu postponendum esse videtur. Quondam summis laudibus elatum fuit a Scott, qua antidotum syphilidis; non licet tamen acidum hoc pro succedaneo hydrargyri in curanda syphilide recensere, nam, recte monente Todd Thomson, silent quidem post usum ejus syphilidis symptomata ad tempus, serius tamen denuo manifestantur. Convenit interdum, ut Acidi Nitrici usus præmittatur curæ mercuriali, virtus enim tonica illius multum facit ad erigendas labentes ægroti vires; cavendum attamen, ne nimis protracto usu ptyalismum inducat. Dum ex repe-

titis curis mercurialibus hydrops insequitur, quod in ægrotis debilioribus haud raro observare licet, Acidum Nitricum, in connubio cum digitali, a CARMICHAEL haud parvi æstimatur. In ulceribus crurum inveteratis, quæ tamen syphiliticæ non fuere originis, utile repertum est a TODD THOMSON, quum eodem tempore hydrargyrum ægroto exhibitum fuisset. Forma lotionis (drachmæ duæ acidi diluti ad aquæ libram) adhibetur ad corrigendum fœtorem ulcerum, ichor tenue fundentium, æque ac in carie ossium. Forma balneorum inservit ad solvendas concretiones arthriticas, aliosque ossium et articulationum tumores.

D. Acidum Nitricum dilutum exhibetur adulto dosi quinque, decem, vel viginti guttarum, ter quaterve in die cum quolibet liquido mucilaginoso, ope tubi vitrei, ne dentibus noxam inferat. Pro balneo sumitur uncia Acidi Nitrici officinalis ad triginta quinque libras med. aquæ, quæ quantitas æquatur uni vedro Rossico; hinc pro balneo integro, si illud ad 12 vedro ponatur, libra acidi Nitrici off. erit sumenda.

ACIDUM NITRICO-NITROSUM.

ACIDUM NITRICUM FUMANS.

Азотисто-азотная кислота.

℞. Nitratis Plumbi libram.

Immitte retortæ vitreæ, cui excipulum tubulatum junge. Excipulo infunde:

Acidi Nitrici concentrati libram dimidiam.

Excipulum tubo securitatis munitum esto. Juncturis luto pingui probe junctis, et excipulo infra 0° R. frigefacto, leni calore ex arenæ balneo Acidum Nitrosum elice, quod cum Acido Nitrico, in excipulo contento, jungetur.

Q. Ad consuetam aëris temperiem liquidum sistit coloris aurantii intensioris, quod similes vapores emittit. Pondus specific. = 1,5; ebullitione effervescit ad + 40° R. Quo magis refrigeratur, eo pallidioris apparet coloris; ad — 12° R. coloris est ferme expers. Adfusa aqua dissipatur, oxydum nitrogenii emittendo, et pro quantitate aquæ mox rubro-flavescente, virescente, vel in cœruleum vergente tingitur colore; tandem decolor fit (Duflos).

V. Corrodens; vapores inspirando inepti.

U. Conficiendis præparatis inservit.

ACIDUM HYPONITRICUM CHLORATUM.

Acidum Nitrico-Muriaticum; Aqua regia.

Царская водка.

℞ Acidi Nitrici concentrati partem,
Acidi Hydrochlorici concentrati partes tres.

Misce, et in vase probe obturando in loco obscuro serva.

Q. Liquidum sistit coloris fusco-flavescentis, ingratum chlori et acidi hyponitrici odorem exhalans. Aurum platinamque solvit.

V. Multa aqua dilutum virtute pollet tonica, ac stimulante. Dum nimia dosi assumptum fuerit, vehementissimi veneni instar agit, ventriculum et omnes internas partes, quas attigerit, corrodendo et inflammando. Antidota sunt: magnesia, albumen et lac.

U. Nonnisi forma pediluvii adhibetur in chronicis hepatis adfectionibus, nec non in deficiente bilis secretione. Sumitur pro pediluvio ad singulas decem libras aquæ uncia Acidi Hyponitrici chlorati.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

P^2O^5.

Фосфорная кислота.

Corpora animalium Acido Phosphorico copiosa sunt; in omnibus ferme solidis et liquidis partibus obvenit; calcariæ junctum ossa constituit, cum ammonia copulatum lotio inest. Ex plantis, gramina præ cæteris acidum hoc continent. Inter fossilia rarius occurrit. *Usualia sunt:* 1) Acidum Phosphoricum concretum; 2) Acid. Phosphoric. officinale; 3) Acid. Phosphoric. dilutum.

ACIDUM PHOSPHORICUM CONCRETUM.

$P^2O^5 + aq.$

ACIDUM METAPHOSPHORICUM.

Retortam tubulatam aptæ capacitatis balneo arenæ immitte, eique excipulum, parimodo tubulatum, ope teniolæ ex vesica bubula madefacta, examussim junge. In retortam per tubum illius infunde: acidi nitrici officinalis, duabus aquæ destillatæ partibus diluti, tantum, ut tertia pars capacitatis illius non impleta restet. His ita dispositis per tubum in retortam ingere frustulum phosphori, pondus unius scrupuli non excedens; tubum obturaculo vitreo claude, et retortam calefac ad ebullitionem liquidi. Dum vapores fusco-rubei in retorta nulli amplius extricantur, iterum eandem phosphori quantitatem in illam conjice. Hæc procedendi ratio semper cum debito intervallo temporis tamdiu continuanda, donec phosphorus jam non solvitur. Liquidum, quod in excipulum transierit, sub ipsa operatione exime, et in retortam ope infundibuli vitrei longioris repetitis vicibus iterum immitte. Ut liquidum hoc facilius eximere possis, tubo excipuli, necdum incepta operatione, ope suberis perforati apta tubulum vitreum

incurvatum, cujus crus brevius, dum excipulum evacuandum est, usque ad fundum illius deprime, quo liquidum contentum, evoluto gase compressum, per alterum crus longius in suppositum vas effluat; evacuato excipulo tubulum vitreum incurvatum iterum eleva.

Operatione huc perducta excipulum absume, aliudque in ejus locum adpone. Contentum in retorta aqua destillata dilue, quam ultro protracta destillatione, tamdiu elicies, donec Acidum Phosphoricum syrupi spissitudinem adipiscatur. Acidum spissatum in crucibulo platineo vapora, et tandem, obtecto crucibulo, ne carbonum particulæ incidant, adeo calefac, ut igne leniter rubeat; tum denique in laminam cupream purissimam effunde. In vase vitreo, quod operculo lævigato munitum sit, usui serva.

Acidum Phosphoricum concretum, quod ex biphosphate calcariæ (Vide Phosphorum) ope sesquicarbonatis ammoniæ paratur, calcariæ et magnesiæ particulas habet admixtas. Hujusmodi inquinamento plerumque scatet Acidum Phosphoricum concretum seu *vitrificatum* venale.

ACIDUM PHOSPHORICUM OFFICINALE.

Acidum Phosphoricum concentratum liquidum.

℞. Acidi Phosphorici concreti,
Aquæ fervidæ, utriusque partem (pondere).
Solve. Pondus specific. = 1,4.

ACIDUM PHOSPHORICUM DILUTUM.

℞. Acidi Phosphorici concreti partem,
Aquæ fervidæ partes decem (utrumque pondere).
Solve. Pondus specific. = 1,14.

Q. Acidum Phosphoricum, pro caloris gradu, cui subjicitur, respectu chemico mutatur; hinc varia nomina sortitum est, et quidem:

1) *Acidum Phosphoricum.* Modo supra dicto paratum, et calore 120° R. non excedente ad syrupi spissitudinem redactum, constat ex 1 at. acidi anhydri et 3 atom. aquæ ($P^2O^5 + 3aq.$). Acidum hoc, ammonia saturatum, cum nitrate argenti dat sedimentum flavum — trisphosphatem argenti ($P^2O^5, 3AgO$); solutionem albuminis non coagulat.

2) *Acidum Pyrophosphoricum.* Dum solutio aquosa Acidi Phosphorici lente vaporatur, et tandem usque ad 170° R., igne scilicet leniter rubente, calefit, in Acidum Pyrophosphoricum mutatur, quod spissitudinem syrupi tenacioris exhibet ($P^2O^5 + 2aq.$). Ammonia saturatum cum nitrate argenti dat sedimentum album — diphosphatem argenti ($P^2O^5, 2AgO$); solutionem albuminis non coagulat. Aqua solutum et fervefactum, in Acidum Phosphoricum denuo mutatur.

3) *Acidum Metaphosphoricum.* Dum Acidum Pyrophosphoricum igne intensius rubente calefit, in Acidum Metaphosphoricum seu Acidum Phosphoricum concretum, aut vitrificatum, mutatur ($P^2O^5 + aq.$). Dum phosphorus sub campana vitrea, hydrargyro clausa, in aëre atmosphærico sicco, vel in oxygenio comburitur, acidum hoc obtinetur anhydrum. Ammonia saturatum cum nitrate argenti dat sedimentum album — phosphatem argenti (P^2O^5, AgO); solutionem albuminis in floccos spissos et albos coagulat. Aqua solutum et fervefactum in Acidum Phosphoricum denuo mutatur.

Acidum Phosphoricum concretum sistit massam vitri ad instar pellucidam, coloris expertem; aëri expositum aquam attrahit et diffluit; igne leniter rubente funditur,

intensius autem candente igne forma vaporis albi, spissi, non caustici, avolat. Pondus specific. = 2. Centenarius acidi concreti constat ex: 88,8 acidi anhydri et 11,2 aquæ. Dum in vase porcellaneo aut vitreo funditur, particulas vasis solvit, et pelluciditate plus minusve orbatur; si hujusmodi inquinamentum insigne est, in aqua jam non solvitur. Si cum nitrate barytæ sedimentum refert, in acido nitrico non solvendum, acidum sulphuricum tenet admixtum. Si cum cupro aut hydrargyro calefactum acidum nitrosum evolvit, id acidum nitricum testatur. Dum aqua solutum, hydrogenio sulphurato saturatur, et sic per aliquot dies seponitur, si arsenicum contineat, manifestabitur sedimentum flavum. Dum calcariam vel magnesiam continet, si ammonia saturetur, et per aliquot minuta ebullitione effervescat, dabit sedimentum album.

V. Analeptica; tonica.

U. In febribus nervosis a multis laudatur, acido tamen hydrochlorico, et aquæ chlori postponendum. Præstans sistit remedium in lithiasi, dum phosphas calcariæ forma pulveris albi cum urina secernitur; scire enim licet, biphosphatem calcariæ aqua esse solubilem, quum phosphas illius solvi respuat; ob similem etiam causam podagræ opponi meretur. In morbis ossium, et in primis in carie eorundem, multi optato cum successu exhibuerunt Acidum Phosphoricum. Extrinsecus adhibetur forma lotionis in carie et exostosibus.

D. *Acidum Phosphoricum concretum* a nonnullis exhibetur forma pilularum, a granis tribus ad decem pro dosi, hujusmodi autem pilulæ cito humescunt. *Acid. Phosphoricum officinale* datur dosi guttarum decem ad sexaginta, quater aut sæpius in die, cum quovis

blando liquido, sensim augendo dosin. *Acid. Phosphorici diluti* exhibentur guttæ viginti ad octoginta vel centum pro dosi.

ACIDUM SULPHURICUM.

SO^3.

Oleum Vitrioli.

Сѣрная кислота; Купоросное масло.

Acidum Sulphuricum in antris montium ignivomorum aliquando nativum occurrere dicitur; sed quod in usum medicum ducitur nonnisi arte paratum est. Secundum antiquissimam methodum, imprimis in Germania (Nordhausen, Goslar, Radnitz etc.) usitatam, sulphas ferri, igne leniter rubente aqua ferme orbatus, in retortis fictilibus destillationi siccæ subjicitur; in excipulo frigefacto obtinetur Acidum Sulphuricum fumans, ponderis specifici = 1,86 ($2SO^3$ + aq.); in retorta autem sesquioxydum ferri habetur residuum, quod olim caput mortuum s. colcothar vitrioli dicebatur. Dum hujusmodi acidum repetitæ destillationi ex retorta vitrea subjicitur, forma vaporis spissi, albicantis, in excipulum pervenit, ubi frigoris ope in massam crystallinam densatur, quæ merum est Acidum Sulphuricum anhydrum (SO^3); pondus illius specificum = 1,97; in retorta autem manet hydras Acidi Sulphurici (SO^3 + aq.), cujus pondus specificum = 1,85.

Maxima tamen pars Acidi Sulphurici obtinetur combustione sulphuris, quæ methodus præ cæteris in Anglia usurpatur, atque sequentibus absolvitur: est conclave, intrinsecus plumbi laminis, simul applumbatis, obductum, et præter angustam januam, aliquot pollices supra pavimentum, nulla apertura instructum; pavimento ad duos circiter pollices aqua superfusa est. In hoc con-

clave plumbeum aguntur vapores ex combusto sulphure purificato et nitrate potassæ enati. Sumitur plerumque nitratis potassæ pars et sulphuris partes octo, quæ in fornaci idonea comburuntur. Aqua tali ratione Acido Sulphurico abunde saturata, in lebetibus plumbeis vaporatur, et acidum tandem e retortis vitreis, vel platineis, destillatur, estque coloris expers, et ponderis specific. = 1,85. Hujusmodi acidum prostat venale in lagenis vitreis amplioribus, plerumque globosis, et nomine *Olei Vitrioli*, vel *Acidi Sulphurici Anglicani* insignitur.
Usualia sunt: 1) Acidum Sulphuricum officinale seu concentratum; 2) Acid. Sulphuric. dilutum.

Q. Acidum Sulphuricum anhydrum (SO^3) sistit massam crystallinam pellucidam, ponderis specif. = 1,97; funditur ad + 60° R. et calore magis adaucto in vapores abit. Centenarius constat ex: 40 sulphuris, et 60 oxygenii partibus. Summa gaudet ad aquam affinitate. Subhydras Acidi Sulphurici ($2SO^2$ + aq.). *Acid. Sulphuricum fumans* nuncupatur; pondus specif. = 1,86. Centenarius constat ex: 91 acidi, et 9 aquæ partibus. Hydras Acid. Sulphurici (SO^3 + aq.), communiter *Acid. Sulphuricum Anglicanum*, pellucidum est, olei ad instar spissum; pondus specificum = 1,845 ad 1,85. Odoris est expers, sed, uti et præcedentia admodum causticum; materias organicas destruit ac in carbonem convertit; congelatur ad — 28° R.; bullit ad + 260° R. Centenarius constat ex: 82 acidi, et 18 aquæ partibus.

Acidum Sulphuricum venale frequenter continet acidi hyponitrici tantillum; hoc dignoscitur, si parvæ illius quantitati nonnihil sulphatis ferri pulverati admisceatur, quo mox roseus apparet color, plus minusve intensus. Corrigitur facili modo hujusmodi acidum, si, additis cuivis libræ granis decem aut quindecim

sulphuris purificati, illud in cucurbita vitrea in balneo arenæ calefiat. Dum plumbi miculas continet solutas, si aqua diluatur, turbidum fit, et tandem sulphas plumbi præcipitatur. Dum Acidum Sulphuricum venale arsenico inquinatum suspicatur, id facili modo eruitur, si illud cum sex partibus aquæ diluatur, et dein hydrogenium sulphuratum transmittatur; sedimentum flavum, inde enatum, quod indolem sesquisulphureti arsenici præ se fert, noxium metallum testatur. Ut acidum hujusmodi venale rectificando ab arsenico liberetur, præeunte Duflos, sic procedendum: acidum immittatur lagenæ multo ampliori et satis altæ, atque ope tubi vitrei, ad superficiem acidi usque procurrentis, lagena impleatur gase chloro; absumpto dein tubo, et obturato vase, contenta repetitis quassationibus misceantur. Hoc modo acidum arsenicosum mutatur in acidum arsenicicum, quod sub rectificatione in retorta manet; acidum autem hydrochloricum, quod ita generatum fuit, sub initium destillationis avolat. Ad augendum pondus specificum lucripetæ haud raro solvunt in acido hoc sulphatem potassæ; si tale acidum in capsula platinea vaporetur, sal habetur residuum. Si vero disquisitione accuratiori opus sit, ex saturandi potentia qualitas acidi dijudicanda. Sumatur ergo certa quantitas acidi, pondere statuenda, et diluatur sex vel octo partibus aquæ, quo facto, saturetur carbonate sodæ anhydro; — 54 grana carbonatis sodæ sicci, ad saturandum adhibiti, æquivalent 40 granis Acidi Sulphurici anhydri, vel 49 granis Acidi Sulphurici officinalis.

ACIDUM SULPHURICUM OFFICINALE.

Acid. Sulphuricum concentratum; Acid. Sulphuricum rectificatum.

℞ Acidi Sulphurici venalis libras tres.

Infunde in retortam vitream tam amplam, ut par aquæ pondus continere posset, illique immitte duo vel tria fila platinea in spiras convoluta, quo calor in liquido æquabiliter diffundatur. Retortæ, in furno reverberii collocatæ, excipulum ejusdem capacitatis absque luto aut subere junge, et, imposita superna furni parte, ignem excita, eumque adjectis prunis candentibus gradatim auge, donec acidum ebulliat; liquoris ebullitionem sine ulla intermissione æquabilem sustine. Quum duæ tresve unciæ liquidi in excipulum pervenerint, illud absume, atque in ejus locum alterum, siccum et calefactum adpone, in quod acidum tamdiu destillet, donec tertia pars in retorta maneat. Noli acidum ultro destillare, nam sulphas plumbi, aliquando residuus, subsultuum causa fit, quo retorta frangitur. Deficiente furno reverberii destillatio ex balneo arenæ institui potest, sed sedulo curandum, ut acidum in retorta contentum, non tantum a fundo, verum etiam a superficie et lateribus æquabiliter calefiat, quamobrem retorta, vel prorsus arena cooperienda, vel vaso fictili obtegenda est. Majorem quantitatem una vice destillationi submittendi, incautum foret negotium. Quod initio prodierit, aqua, acido hyponitrico aut hydrochlorico inquinatum est; quod vero in altero excipulo collectum fuerit, purum est Acidum Sulphuricum, ponderis spec. = 1,84; in lagenis obturaculo vitreo munitis servandum.

V. Corrosivum est venenum. Dum fortuito casu, vel ex consulto, uti toxicum, intus sumptum fuerit, sequentia provocat symptomata: dolorem lancinantem in ventriculo et intestinis, vomitum, deglutitionem impeditam, pulsum debilem, animi deliquia, trismum, convulsiones, et tandem ipsam mortem. Cavum oris et faucium corrugata et flavescentia apparent, dentes muco

nigrescente obducti sunt, labia autem flavescunt. Per emesin evacuata addito carbonate calcariæ effervescunt. Optimum ex antidotis est carbonas magnesiæ aqua suspensus.

U. Dum drachma cum duabus unciis adipis miscetur sistit unguentum, scabiei adcommodum. Pro usu interno nonnisi Acidum Sulphuricum dilutum adhibetur.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Spiritus Vitrioli.

℞. Acidi Sulphurici officinalis partes quinque,
Aquæ destillatæ partes novemdecim (utrumque pondere *).
Acidum rivo tenuissimo in aquam, per vices agitandam, infunde.

Q. Pondus specificum = 1,08.

V. Frigerans; roborans; antiseptica.

U. Utile est remedium in febribus typhodibus ac putridis, uti etiam in febri petechiali. Varii morbi cutanei, atonici, imprimis vero herpes, scabies et erysipelas malignum, interno Acidi Sulphurici usu curantur. Efficacissimum est ad sistendas hæmorrhagias passivas, scilicet hæmoptysin et menorrhœam, dum mala hæc ex vasorum inertia, non autem ex organorum labe proveniunt. Sudores colliquativos minuit, et diarrhœam ejusdem indolis refrenat, quo in casu cum decocto quolibet mucilaginoso, vel infuso adstringente exhiberi solet. Ingreditur gargarismata, quæ in angina gangrænosa, uti etiam in salivatione nimia, utilitatem promittunt. Quum dentibus, quamvis multa aqua dilutum,

---

*) Si vis mensura, tunc sumes: Acidi Sulphurici off. mensuram unam; aquæ destillatæ mensuras septem.

noxam adferat, per tubum vitreum, vel pennam anserinam sumendum est.

D. A guttis decem ad triginta, bis, ter, aut sæpius in die, in quolibet vehiculo mucilaginoso datur adulto.

ACIDUM TARTARICUM.

$C^4H^4O^5$; vel $\overline{T}$.

Винная кислота.

℞. Bitartratis Potassæ,
Carbonatis Calcariæ pulverati, utriusque libras quatuor,
Acidi Sulphurici officinalis libras octo,
Chloridi Calcii sicci libras quatuor,
Aquæ communis quantum opus sit.

In lebetem cupreum (qui 40 librarum aquæ capax foret) stanno rite obductum, viginti quinque libras aquæ infunde; huic ad ebullitionem calefactæ partem bitartratis potassæ ingere, atque spatha lignea agitando sal solve, quo facto, parem portionem carbonatis calcariæ superadde, quod cribri auxilio optime perficies, ut carbonas calcariæ per totam liquidi superficiem æquabiliter dispergatur. Effervescentia cessante, novas portiones bitartratis potassæ et carbonatis calcariæ adde, donec omnem quantitatem utriusque consumpseris.

Ebullitione finita, et sedimento (tartrate calcariæ) posito, liquorem supernatantem (qui tartratem potassæ continet) caute effunde. Sedimentum e lebete exime, et in vasis fictilibus tamdiu elue, donec aqua lotionis decolor fuerit.

Liquorem prius effusum in lebete calefac, et sub continua agitatione illi sensim adde chloridum calcii, aqua solutum, donec sedimentum adparere cesset; dein

lebetem sepone, liquorem caute effunde et sedimentum probe elue.

Utrumque sedimentum in lebetem plumbeum, aut vas fictile immitte, et tantum aquæ adde, ut pultis tenuioris speciem referat; huic adfunde acidum sulphuricum, quatuor aquæ partibus prius dilutum, et massam pultaceam, spatha lignea probe mixtam, in locum temperatum per biduum sepone. Post hoc, addita uberius aqua, liquorem agitatum in vasa satis alta et angusta effunde, ut ibidem sedimentum (sulphas calcariæ) dejiciatur. Liquorem supernatantem effunde, sedimentum aqua destillata sæpius elue, ut omnes acidi tartarici miculæ a sulphate calcariæ residuo absumantur. Liquorem effusum, cum aqua lotionis commixtum, in lebete plumbeo vaporando consume, donec pond. specific. illius = 12,00; dein linque, ut frigescat, et liquorem supernatantem, colando a sulphate calcariæ prorsus liberatum, ad cuticulam in balneo aquæ evapora. Quum per plures dies in loco frigidiusculo steterit, crystallos collige, et iterum ad cuticulam evapora. Crystallos collectas, et in loco temperato probe siccatas, usui serva.

Q. Crystalli ejus sunt prismata rhomboëdra et hexaëdra, pellucidæ, coloris et odoris expertes, perquam acidæ, et in aëre non mutantur. Acidum Tartaricum, dum basibus junctum est, anhydrum esse censetur, ejusque centenarius, teste Berzelio, constat ex: carbonei 36,81; hydrogenii 3,00; et oxygenii 60,19 partibus; tale extat in tartrate plumbi anhydro; centenarius autem Acidi Tartarici crystallisati constat ex: acidi anhydri 88,07; et aquæ 11,93 ($\overline{T}$ + aq.); solvitur in pari aquæ bullientis pondere, temperatæ autem partem cum dimidia

requirit; in alcohole parimodo solubile est; solutio aquosa, aëri exposita, cito mucorem contrahit et dissipatur.

Dum probe depuratum est, cum solutione chloridi barii nullum dat sedimentum; in lamina platinea combustum, nullum refert residuum. Centum grana acidi crystallisati sufficiunt saturandis ducentis circiter granis carbonatis sodæ crystallisati. In præscribendo vitandum additamentum salium potassæ, calcariæ et plumbi.

V. Frigerans; antiseptica; diuretica.

U. In febribus acutis, et imprimis biliosis, siti restinguendæ aptissimum est.

D. Grana quinque, decem aut quindecim cum sufficiente saccharo omni secunda, aut tertia hora præbentur. Pro potu drachma dimidia vel integra, cum sescuncia sacchari, ad bilibram aquæ.

AETHER.

$C^4H^{10}O$; vel AeO.

Эѳиръ.

Liquor, qui ex alcohole, intercedentibus acidis fortioribus (imprimis autem sulphurico), destillatione paratur, et nulla adhibiti acidi vestigia continet, generatim Æther vocatur.

Experimentis summa assiduitate institutis patet, acidum sulphuricum concentratum, si cum alcohole misceatur, bina referre acida, scilicet acidum æthereo-sulphuricum et acidum sulphuricum dilutum. Ad temperaturam inter 100° et 112° R. acidum æthereo-sulphuricum resolvitur in Ætherem, qui destillat, et in acidum sulphuricum concentratum, quod reliquo acido sulphurico diluto jungitur, et in retorta cum illo manet. Vapores Ætheris ab acido sulphurico concentrato, quocum juncti erant, discedendo, et acidum sulphuricum

dilutum ebulliens permeando, aqueos vapores secum ducunt; hinc in excipulo Æther et aqua. Æther videtur esse alcohol, cui aquæ atomus, vel elementa illius abstracta fuere; alcohol vero habetur pro Æthere, plus uno aquæ atomo, intime illi juncto; hinc formulæ: $C^4H^{10}O$ = Ætheri, et $C^4H^{12}O^2$ vel AeO + aq = Alcoholi. Si Æther illo ipso temporis momento, quo generatur, cum quibusdam acidis in contactum venit, baseos instar illis jungitur. Hujusmodi connubium neutrum, ubi nec acidum, nec Æther prævalet, Æether seu Naphtha acidi peculiaris dicitur, sic Æther sulphuricus, aceticus etc.

Usuales sunt: 1) Æther Sulphuricus; 2) Spiritus Sulphurico-æthereus; 3) Spiritus Nitroso-æthereus; 4) Spiritus Chlorico-æthereus; 5) Æther Aceticus; 6) Spiritus Acetico-æthereus.

ÆTHER SULPHURICUS.

$C^4H^{10}O$.

Сѣрный эѳиръ.

℞. Alcoholis purissimi libras quinque,
Acidi Sulphurici officinalis (pond. sp. = 1,84.) libras novem.
Alcoholi adfunde acidum parvis portionibus, continuo spatha lignea movendo.

Apparatus destillationi Ætheris dicatus e sequentibus constet: retorta sat ampla tubulata excipulo parimodo tubulato, ope luti (ex farina secalitia, farina seminum lini et aqua compositi) hermetice juncta sit. Tubus excipuli, inferiora spectans, ope tubi stannei, cum vase, aquæ frigidæ immerso, communicet. Excipulum superjecto rete vel splenio, aqua superne affluente madido, continuo refrigeretur. Retorta arenæ balneo non ultra liquidi superficiem insideat. Tubus retortæ obturetur subere mollissimo perforato; in foramen suberis aptetur tubus vitreus, duos circiter pol-

licces in liquidum immergendus; quod tubi vitrei prominet in angulum flexum, et cum tubo æneo, epistomio munito, tæniolæ ex resina elastica ope, hermetice sit junctum; tubus æneus communicet cum vase quolibet, a fornace sat distante, et alcohol reliquum continente, quod sub ipsa operatione in retortam influet. His ita dispositis alcohol cum acido sulphurico retortæ infunde, et excitato igne vividiori ebullitionem promove. Quum in vase sub excipulo tantum Ætheris obtinueris, ut quartæ aut quintæ parti adhibiti alcoholis circiter æquetur, et tubus vitreus liquido retortæ ad sesquipollicem immersus est: aperto nonnihil epistomio tantum alcoholis in retortam affluere sine, quantum Ætheris destillatione ex illa elicueris; sedulo tamen curando, ne liquidum in retorta, ob nimiam quantitatem influentis alcoholis, infra ebullitionem frigefiat. Sic continuo procedendo, tantum alcoholis consume, ut tota quantitas adhibiti alcoholis triginta sex libris æquetur. Tunc tandem ab operatione desiste, et dissoluto apparatu, Ætherem crudum, alcohol, acidum aceticum, acidum sulphuricum, oleum vini acidum, et aquam continentem, rectificatione purifica; quem in finem illum cum æquali quantitate, quoad mensuram, lactis calcis misce, et per nychthemeron in vase clauso sepone, ut ab acidis liberetur, dein vero ex alembico consueto modo destillet. Ætheris purificati nonnisi tertiam partem ex Æthere crudo elicies, eumque in vasis probe clausis in loco obscuro et frigido servabis.

Suadente Professore Neljubin, descriptus modo apparatus destillatorius multo simplicior fieri potest, si sequenti modo componatur: Retortæ tubulatæ, balneo arenæ impositæ, vel supra lampadem chemicam collocatæ, infundatur alcohol cum acido sulphurico dicta

27*

proportione mixtum. Tubo retortæ, ope suberis perforati, aptetur infundibulum vitreum, cujus orificium inferius tam angustum sit, ut alcohol guttatim ex illo stillet; superior infundibuli pars lagenæ ad instar collo instructa sit; collum infundibuli obturetur subere, per quem stylus ferreus, in inferiori parte stupa obvolutus, transmittatur. Ope hujusmodi infundibuli sat insignis alcoholis copia guttatim in retortam, sub ipsa destillatione, transmitti potest, sublevando per vices stylum ferreum, qui stupæ auxilio inferius orificium obturat; exhausta vero quantitate alcoholis, in infundibulo contenti, eximendus est suber ex collo illius, et denuo alcohol infundendum. Excipulum glacie continuo frigefiat.

Q. Æther, ab omni alcohole et aqua purus, sistit liquidum tenue; ad + 16° R. pond. specif. = 0,7153; odoris est grati, admodum penetrantis; saporis frigerantis, aromatici; ad — 40° R. non congelatur, si vero non ex toto purus est, ad — 36° R. jam gelu corripitur; in aëre libero in vapores abit, et avolando frigus producit; absorpto oxygenio sensim sensimque in acidum aceticum et aquam convertitur; flammam facillime concipit, quin imo in vicinia corporis ardentis accenditur, et ardet flamma alba, lucida. Solvit balsama, ceram, olea volatilia, bitumina, camphoram, gummi-resinas, resinas, sulphur parva quantitate, nec non bichloridum hydrargyri. Jungitur alcoholi et ammoniæ in qualibet proportione; sed nonnisi decem aquæ partes solvunt unam Ætheris. Centenarius constat ex: carbonei 65,31; hydrogenii 13,33 et oxygenii 21,36. Quantitas alcoholis et aquæ, quæ Ætheri admixta forent, facili modo detegitur, si in tubo vitreo, in gradus diviso, cum chlorido calcii sicco et pulverato agitetur, quo in casu volumen Ætheris pro ratione admixtorum immi-

nuitur. Nec chartam heliotropio tinctam rufet, nec solutione chloridi barii turbetur. In chartam albam instillatus et evaporatus, maculam pinguem nullatenus relinquat.

V. Stimulans; narcotica; antispasmodica. Majori dosi datus alcoholis instar inebriat, effectus tamen illius citius evanescunt.

U. In febribus typhodibus, imprimis dum nausea, subsultus tendinum, lectio flocculorum, aliæque nervorum turbæ prodeunt, remedium fit idoneum. In colica spasmodica JAHN scrupulum Ætheris Sulphurici cum duobus moschi granis, aqua tepida solutis, unica dosi exhibet. In colica ex calculis biliariis, drachmæ tres Ætheris Sulphurici cum duabus drachmis olei terebinthinæ miscentur, et dosi 10 guttarum mane ac vesperi in aqua saccharata propinantur. In asthmate spasmodico, et intus sumptus, et vaporum forma inspiratus juvat; cavendum tamen, ne incauta vel nimis protracta inspiratione lypothymia, quin imo apoplexia subsequatur. Porrigitur etiam cum successu in multifariis nervorum turbis, puta: hysteria, hypochondriasi, convulsionibus, cardialgia, vomitu, interdum cum narcoticis et aliis remediis antispasmodicis, ut opio, hyoscyamo, belladonna, valeriana aliisque. Externo usu salutaris extitit Æther in hernia incarcerata; quo in casu parti dolenti splenium illo madidum applicatum, frigus excitando, ad spasmi solutionem contribuit. In odontalgia, cephalalgia et doloribus rheumaticis utilitatem præstare interdum solet.

D. Guttæ quinque, decem, viginti ad drachmam, cum saccharo, vino aut in misturis.

SPIRITUS SULPHURICO-ÆTHEREUS.

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLISATUS; LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

℞. Ætheris Sulphurici partem,
Alcoholis purissimi partes tres.

Misce exactissime, et in vase bene obturato usui serva.

V. et U. ut præcedentis.

D. Guttæ decem, viginti, triginta et amplius.

SPIRITUS NITROSO-ÆTHEREUS.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLISATUS; SPIRITUS NITRI DULCIS.

℞. Acidi Nitrici diluti partem,
Alcoholis purissimi partes sex.

Commista immitte retortæ vitreæ, et destillando leni igne elice partes quinque. Ætherem crudum, hoc modo obtentum, quassando misce cum carbonate potassæ liquido, donec ab omni acido prorsus liberetur; dein a liquido aquoso separatum destillando rectifica, cumque in vasis minoribus probe clausis in loco frigidiusculo serva.

Q. Coloris est aliquantulum flavescentis; odoris grati. Pondus specif. = 0,810 ad + 15° R.

V. U. et D. ut spiritus sulphurico-ætherei.

SPIRITUS CHLORICO-ÆTHEREUS.

ÆTHER CHLORICUS ALCOHOLISATUS; SPIRITUS MURIATICO-ÆTHEREUS; SPIRITUS SALIS DULCIS.

℞. Chloridi Sodii partes sexdecim,
Binoxydi Mangani partes sex.
Retortæ immissis superfunde liquorem mistum ex:

Acidi sulphurici concentrati partibus duodecim, et
Alcoholis purissimi partibus quadraginta octo constantem.

Interstitiis vasorum lutatis, et excipulo continuo frigefacto, destillatione elice partes triginta duas. Productum obtentum cum magnesia usta rectifica.

Q. Coloris est expers; odoris grati, aromatici; saporis leviter amari; tincturam heliotropii non rufat et diu servari potest, quin acidam exhibeat indolem. Pondus specif. = 0,840 ad + 15° R.

V. U. et D. ut ætheris sulphurici.

ÆTHER ACETICUS.

$C^4H^{10}O + \bar{A}$.

NAPHTA ACETI.

Уксуснокислый эѳиръ.

℞. Alcoholis purissimi partes decem,
Acidi sulphurici concentrati partes octo.
His antea caute mixtis, et retortæ infusis, quum refrixerint, sub continua liquidi agitatione parvis portionibus adde:
Acetatis Plumbi exsiccati et in pulverem triti, partes viginti quatuor.

Retortam arenæ balneo immitte, et excipulum tubulatum junge; in suberem, tubum excipuli obturantem, immitte tenuem tubulum vitreum incurvatum, in lagenam alcohol continentem immersum. Liquidum per nychthemeron ad digerendum seponito; dein admoto igne ætherem sub vivida liquoris ebullitione elice, excipulum linteis madidis frigefaciendo.

Destillatum cum æquali pondere lactis calcariæ tenuioris misce, et ætherem a dejectis crassioribus si-

phonis auxilio absume. Tali modo obtentum ætherem iterum cum chlorido calcii sicco per aliquot dies digere, dein caute effunde, et in vasis probe clausis serva.

Alcohol in lagena, in quod tubulus vitreus immersus erat, ad parandum spiritum æthereo-aceticum utiliter adhiberi potest.

Q. Liquidum sistit coloris expers; odoris et saporis ætherei gratissimi. Ad + 14° R. pond. spec. = 0,880; ad hanc temperaturam $7\frac{1}{2}$ partes aquæ excipit. Ad + 60° R. ebullitione effervescit. Centenarius constat ex: ætheris 42,12; et acidi acetici 57,88.

V. U. et D. ut ætheris sulphurici.

SPIRITUS ACETICO-ÆTHEREUS.

Liquor anodynus vegetabilis.

℞. Ætheris Acetici partem,
Alcoholis purissimi partes tres.
Misce, et in vase probe clauso serva.

ALCOHOL.

$C^4H^{12}O^2$.

Алкоголь.

Omnia corpora, quæ fermentationem vinosam subivere, plus minusve Alcohole scatent, quod tamen aquæ, materiæ coloranti, aliisque principiis junctum est. Talia sunt vina, quæ e succo vitis viniferæ in calidioribus regionibus parantur, et a loco natali plerumque nomen habent, nec non alia potulenta, e succis fructuum, vel substantiis dulcibus fermentationis vinosæ subsidio producta, uti cerevisia, hydromel, aliaque multifaria, apud varias nationes usitata.

Dum substantiæ, fermentationem istiusmodi perpessæ, destillationi subjiciuntur, Alcohol conjunctim cum

aqua et oleo æthereo ex illis extricatur, atque habita ratione corporis, unde elicitur, varias denominationes nanciscitur; sic e vino vel fæcibus ejus obtentum — Spiritus Vini, e cerealibus — Spiritus Frumenti, ex oryza — Arak, ex arundine saccharifera — Rum etc. nuncupatur.

Inter liquores, fermentatione vinosa productos, vel destillatione elicitos, *usuales sunt:* 1) Vinum generosum (album et rubrum); 2) Spiritus Vini; 3) Sp. Vini rectificatus; 4) Sp. Frumenti dilutior; 5) Sp. Frumenti purificatus; 6) Sp. Frumenti rectificatus; 7) Alcohol purissimum; 8) Alcohol absolutum.

VINUM GENEROSUM (album et rubrum).
Виноградное вино.

Melioris notæ Vina, plerumque debiliora, adportantur e Gallia; fortiora vero e Lusitania et Hispania, aliisque locis australioribus. Vina Rossica, quæ in Chersoneso Taurica, et ad fluvium Tanaim parantur, debilioribus adnumeranda sunt.

Q. Vinum validum, generosum, quo vetustius, eo censetur præstantius; Vina leniora, suavia et æstuantia, pro gustus gratia æstimari solent. Quum quantitas Alcoholis, quæ naturali modo in Vino est, multum faciat ad scitum ejus usum in re medica et pharmaceutica, tabulam, quantitatem Alcoholis in variis Vinis indicantem, ex chemia Cel. Brande excerptam, hic subjungere opportunum erit.

Nomen Vini.	In 100 Vini mensuris sunt Alcoholis mensuræ:			
Lissa	a 24	usque	ad	26
Marsala	» 25	»	»	26
Vinum Porto	» 19	»	»	26
Madera	» 19	»	»	24
Xeres	» 18	»	»	20
Tenerif	» —	»	»	20

Nomen Vini.	In 100 Vini mensuris sunt Alcoholis mensuræ :
Lacryma Christi	a 18 usque ad 20
Lisbon	» — » » 19
Malaga	» 17 » » 19
Calcavella	» — » » 19
Muscatum Capense	» — » » 18
Hermitage album	» — » » 17
Vina Gallica rubra	» 13 » » 17
Muscatum Lunel	» — » » 16
Sauterno	» — » » 14
Burgundicum	» 12 » » 17
Barsac	» — » » 14
Campaniæ æstuans	» 11 » » 13
Hermitage rubrum	» — » » 12
Graves	» 13 » » 14
Frontignac (Rivesalte) . . .	» — » » 13

Vinum, quod plumbo, dulcedinis gratia, adulteratur, cum aqua hydrosulphurata dat sedimentum fusconigrum (sulphuretum plumbi), quod addito tantillo acidi hydrochlorici insolubile manet, quo a sulphureto ferri, in acidis solubili, distinguitur. Plumbum etiam detegitur addita solutione sulphatis sodæ, quo sulphas plumbi albus, in acidis insolubilis, dejicitur.

V. Vini veteris generosi stimulans; antiseptica; tonica; antispasmodica. Vinum recens, in quo fermentatio necdum ex toto finita est, flatulentiam, virium languorem et diarrhœam inducit, ejusque virtus inebrians potentior est, quam Vini veteris. Moderatus Vini usus, dum scopo diætetico adhibetur, concoctioni favet, micatum cordis arteriarumque intendit, functiones animales promovet, et vires intellectus acuit. Ex abusu Vini sequuntur: cephalæa, vertigo, diarrhœa, tremores ar-

tuum et, si abusus in consuetudinem abit, observantur: languor corporis et animi virium, emaciatio, delirium tremens, chronica pulmonum et hepatis inflammatio, hydrops, paralysis, aliaque mala, remediis haud debellanda.

U. In exhibendo Vino magni pendendum est morbi stadium, quamobrem, nonnisi sub circumstantiis modo extricandis, recte monente Todd Thomson, Vinum porrigere suademus. Ubi cutis functio libera, et organon hoc nec morbosa siccitate, nec adaucto calore premitur; ubi vires continuo imminuuntur, et dum ulcera, si quæ in corporis superficie sunt, gangrænosum induunt aspectum, Vini usus magnopere prodest. Si pulsus, qui antea erat parvus et irregularis, ad normalem magis accedat, quin delirium augeatur, et ægrotus placido fruatur somno, in Vino exhibendo summa cum fiducia perseverandum. Si e contrario pulsus frequentia, calor, sitis et delirium increscunt, mox usu ejus supersedendum est. Commendatur itaque Vini usus imprimis in febribus typhodibus, haud minus ac in aliis morbis, ex debilitate provenientibus, uti in ulceribus vastis, atoniæ notas ferentibus, et gangræna, inflammatione haud amplius manifesta; his in casibus Vinum summo cum emolumento jungitur cinchonæ et haud raro etiam opio. In quibusdam adfectionibus convulsivis, uti in tetano symptomatico, et chorea, cum successu porrectum fuisse fertur. In stadio convalescentiæ, post morbos graves, efficacissimum est remedium ad restaurandas exhaustas corporis vires, et jejuno potius stomacho, quam tempore pastus, aut mox post illum, est propinandum. In morbis febrilibus Vina leniora, præferri merentur; in morbis autem chronicis, ubi languentes ventriculi vires restaurandæ sunt, fortiora porrigi possunt, quin noxam inducant.

D. Pro ratione ætatis, morbi indolis, vitæ generis, consuetudinis, et Vini diversitatis, diversa. Exhibetur cochleatim vel cyathibus sæpius in die, per se, vel aqua dilutum.

SPIRITUS VINI.

Французская водка.

Paratur ex vinaceis post vini fermentationem residuis, vel ex fæcibus vini post transfusionem ejus in dolio remanentibus; quem in finem substantiæ hæ, addita aqua, destillationi subjiciuntur.

Q. Liquor est limpidus, odoris grati. Venalis solet esse pond. specifici a 0,960 — 0,940; in usum vero pharmaceuticum pondus habeat specificum inter 0,940 et 0,933; quamobrem, si nimis foret dilutus, nova destillatione est rectificandus. Centenarius (pondere) a 38 ad 43 partes alcoholis absoluti continet.

V. Stimulans; narcotica.

U. Qua remedium nonnisi aqua dilutus exhibetur, deficiente vino generoso. Extrinsecus admovetur ad sistendum sanguinis fluxum in hæmorrhagiis passivis. Ad mitigandum dolorem in musculis, ex nimio motu provenientem, membra fessa adcommode Spiritu Vini perfricantur. In retentione urinæ, ex vesicæ paralysi, fomenti forma regioni hypogastricæ superdatur.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS,

Винный спиртъ.

Paratur e liquoribus vinosis, uti spiritus vini, vel etiam ex hoc ipso, destillatione cautius instituta.

Q. Coloris est expers; pondus specif. ad $+ 12°$ R. $=$ 0,89 — 0,88. Centenarius (pondere) constat ex: 62 alcoholis absoluti, et 38 aquæ.

U. Conficiendis præparatis pharmaceuticis inservit.

SPIRITUS FRUMENTI DILUTIOR.

Полугаръ.

E granis cerealium, fermentationi subjectis, destillatione elicitur.

Q. Liquor odoris peculiaris, spirituoso-empyreumatici, ab oleo æthereo pendentis; coloris leviter flavescentis. Pondus specificum inter 0,96 et 0,95. Centenarius (pondere) a 24 ad 30 partes alcoholis absoluti continet.

V. Stimulans; narcotica.

U. Militibus e graviori morbo convalescentibus, vini ad instar, cyathus ante prandium exhibetur. Ob nimiam olei ætherei, ingrati odoris, quantitatem, conficiendis tincturis aliisque pharmaceuticis præparatis ineptus est.

SPIRITUS FRUMENTI PURIFICATUS.

Очищенное пѣнное вино.

℞. Spiritus Frumenti venalis ***(Пѣнное вино)*** libras centum.

Digere in vase idoneo obturando cum carbonis lignei, recens usti, in frustula magnitudinis nucis avellanæ comminuti et a pulvere tenuiori liberati, libris octo. Elapsis duobus tribusve diebus, abjectis prius carbonibus, oleo fœtido imbutis, spiritus ex consueto apparatu destillet.

Q. Limpidus est, odoris grati. Pondus specificum sit inter 0,933 et 0,923. Centenarius (pondere) a 42 ad 47 partes alcoholis absoluti contineat.

SPIRITUS FRUMENTI RECTIFICATUS.

Винный спиртъ.

Modus illum parandi a præcedenti eo tantummodo differt, quod calor sub ipsa destillatione lenior adhi-

beatur, ut destillatum plus alcoholis et minus aquæ contineat.

Q. Coloris expers; odoris grati. Pondus specific. ad + 12° R. = 0,89 — 0,88. Centenarius (pondere) constet ex: 62 alcoholis absoluti, et 38 aquæ.

ALCOHOL PURISSIMUM.

Чистѣйшій спиртъ.

Ut unica destillatione ex spiritu frumenti purificato, vel ex spiritu vini Alcohol obtineatur purissimum, alembicus cucurbitæ destillatoriæ usualis formam a consueta nonnihil diversam habeat, oportet. Sit itaque alembicus, ut solet esse, fungiformis, tubus autem stillatorius non ducat initium a parte laterali, sed a centro ipsius hemisphærii, et pedes circiter tres recta ascendat, dein siphonis ad instar deorsum flexus, cum consueto tubo, in refrigeratorio contento, communicet. Nisi hujusmodi alembicus præsto foret, ex consueto apparatu spiritus vini vel frumenti rectificatus, calore quam fieri potest lenissimo, est destillandus.

Q. Coloris expers; odoris grati. Pondus specific. ad + 12° R. = 0,833.

ALCOHOL ABSOLUTUM.

Безводный спиртъ.

℞. Chloridi Calcii partem, quod, igne leniter rubente in crucibulo fusum, in laminam ferream effunde; ubi concreverit in frustula comminue, et in vas obturandum cum duabus partibus alcoholis purissimi immitte. Vas ad triduum sepone, dein liquorem, syrupi spissitudinem referentem, in retortam effunde, in quam iterum partem Chloridi Calcii, pari ratione exsiccati,

immiseris, et ex arenæ balneo destillationem institue, donec alcohol omne prodierit. Hoc modo obtinebis Alcohol ponderis specifici = 0,7947. Si autem Alcohol revera absolutum exoptes, operationem modo descriptam iterare debebis, et tunc pondus ejus spec. = 0,7939. Idoneus est etiam sequens modus ex spiritu vini vel frumenti purificato Alcohol parandi, cujus inventor SÖMMERING dicitur. Vesica urinaria bubula, demptis partibus musculosis et adiposis, spiritu frumenti purificato impletur, et funiculo examussim constricta, supra fornacem tepidam in cubiculo suspenditur. Elapsis aliquot hebdomadibus liquidum in vesica contentum refert Alcohol ponderis specifici = 0,8077.

Q. Liquor tenuissimus, coloris expers; odoris debilis, sed grati; saporis acris, urentis. Pondus specificum ad + 12° R. = 0,7939. Sub communi atmosphæræ pressione ad + 62° R. effervescit; flammam facillime concipit.

V. Aquæ avidissimum est, illamque plurimis corporibus absumit; hinc si majori copia ventriculo ingeratur, mortem inducit.

U. Nonnisi in quibusdam operationibus chemico-pharmaceuticis adhibetur.

Ubi *Aræometrum*, ad explorandum pondus specificum Alcoholis, præsto non foret, illud sequenti modo, a vero non multum aberrans, erui potest. Sumatur laguncula, cui implendæ 1000 grana aquæ destillatæ examussim sufficiant; eadem mensura Alcoholis absoluti pondus habebit 794 granorum; Alcoholis purissimi 833 gr.; Spiritus rectificati 889 gr.; Spiritus Vini vel Frumenti purificati 933 gr.; Spiritus Frumenti dilutioris 964 gr.

TABULA

QUANTITATEM ALCOHOLIS ABSOLUTI,

respectu ponderis ejus specifici ad + 12° R., indicans. (Pondere ejusdem mensuræ aquæ = 1.)

Alcohol ponderis specifici:	In centenis mensuris continet Alcoholis absoluti Mensuras: (Tralles)	In centenis ponderibus continet Alcoholis absoluti Pondera: (Richter et Lowitz)	Species Alcoholis usuales:
0,9919	5	4,00	
0,9857	10	8,05	
0,9802	15	12,15	
0,9751	20	16,28	
0,9700	25	20,46	
0,9646	***30***	***24,69***	Sp. Frum. dilutior; *Полугаръ.*
0,9583	35	28,99	
0,9510	40	33,39	
0,9427	45	37,90	Sp. Vini; *Французская водка.* Sp. Frum. purificatus; *Очищенное пѣнное вино.*
0,9335	***50***	***42,52***	
0,9234	55	47,29	
0,9126	60	52,20	
0,9013	65	57,25	Sp. Vini, Sp. Frum. rectificatus; *Винный спиртъ.*
0,8892	***70***	***62,51***	
0,8765	75	67,93	
0,8631	80	73,59	
0,8488	85	79,50	
0,8332	***90***	***85,75***	Alcoh. purissimum; *Чистѣйшій спиртъ.*
0,8157	95	92,46	
0,7939	***100***	***100,00***	Alcohol absolutum; *Безводный спиртъ.*

ALUMINA.

Al^2O^3.

Argilla.

Глинозем.

Sesquioxydum metalli levis, quod Alumium seu Aluminum appellatur. Copiosa est Alumina in toto orbe terrarum, tum acidis, tum oxydis metallorum juncta, raro pura. Varias gemmas et lapides, terras bolares et argillaceas constituit. *Usuales sunt:* 1) Supersulphas Aluminæ et Potassæ crystallisatus; 2) Idem sal exsiccatum.

SUPERSULPHAS ALUMINÆ et POTASSÆ CRYSTALLISATUS.

$KO, SO^3 + Al^2O^3, 3SO^3 + 24aq.$

Alumen.

Квасцы.

Nativus provenit in antris ad montes ignivomos, nec non in quibusdam lapicidinis argillaceis, vel in crystallis acicularibus, vel efflorescentiæ instar, haud raro cum sulphate ferri aut etiam magnesiæ. Maxima tamen pars Aluminis venalis arte paratur e mineris, plerisque in locis; sic in Rossia: in Gubernio Tambowensi, in Kirgisorum desertis, in Kamtschatka etc. Hunc in finem mineræ sulphureo-argillaceæ, quæ plerumque etiam ferrum continent, aëri humido et tepido per annum et diutius exponuntur, quo sulphur, adtracto oxygenio aëris, in acidum sulphuricum abit, oxydum autem ferri in sesquioxydum mutatur; mineræ hoc modo resolutæ elixantur, lixivium vaporatur, et deficiens potassæ quantitas, addito vel carbonate vel sulphate illius, substituitur. Dum mineræ bituminosæ sunt, priusquam fatiscentiæ committantur, ustulationi subjiciuntur.

Paratur etiam, præcipue in Gallia, compositione e partibus constituentibus.

Q. Crystallos sistit albas, pellucidas, octaëdras, interdum cubicas. (*Alumen* vulgo *Romanum*, crystallos refert parvas, aliquantulum rubescentes, quod a terra peculiari, oxydo ferri imbuta, derivandum est; solutione et colatione a heterogeneis liberatur). Saporis est admodum adstringentis, nec non aciduli et dulciculi; aëri expositus pulvere subtilissimo obducitur, quin tamen ex toto fatiscat; supra ignem facile liquescit in aqua crystallisationis, quo simul pelluciditate orbatur, spumat atque in massam levem et spongiosam mutatur (*Alumen ustum*). Solvitur in 18 partibus aquæ frigidæ, calidæ autem minus, quam pondus sibi æquale requirit. Centenarius constat ex: potassæ 9,24; aluminæ 10,82; acidi sulphurici 33,77; aquæ 45,37. Dum ferro inquinatus est, solutio illius cum tinctura gallarum dat sedimentum ex fusco nigrum.

Insociabile est Alumen alcalibus, terris alcalinis, eorum carbonatibus, tartrati potassæ, chlorido barii et acetati plumbi.

V. Tonica; adstringens; antiseptica.

U. In febribus putridis, humorum resolutione, alvique profluvio stipatis, nisi sordes biliosæ obstiterint, a viris expertis laudatur; quo in casu cortici cinchonæ et excitantibus volatilibus interdum jungitur. Tonica et antiseptica virtute prodesse etiam dicitur in variolis confluentibus et petechiis. Ad debellandam diarrhœam chronicam, quæ mera tubi intestinalis atonia sustentatur, profuit interdum Alumen opio junctum. In colica saturnina parimodo exhibitus fuit, sed hoc in casu sulphati magnesiæ postponendus esse videtur. Celebratur etiam interno usu, qua hæmostaticum in pro-

fluviis sanguinis passivis, quo in casu grana quinque ad quindecim omni tertia vel quarta hora propinantur, cum gummi acaciæ veræ, g. kino, et in hæmorrhagiis uterinis cum cortice cinnamomi. *Serum Lactis aluminosum* paratur, drachmam Aluminis cum duabus lactis vaccini libris coquendo; hoc pariter virtute adstringente et hæmostatica præditum est. Frustulo Aluminis albumen ovi agitatum, et inter linteum duplex tenuius oculo superdatum, in ecchymosi et variis ophthalmiæ speciebus prodest. Extrinsecus etiam adhibetur collutorii instar cum infuso salviæ in spongiosa gingivarum indole, vel forma gargarismatis in relaxatione uvulæ et angina serosa. Componitur parimodo pulvis ex scrupulo Aluminis, et uncia dimidia gummi acaciæ veræ, quo papillæ mammarum fissæ utiliter consperguntur, ablota cæterum quavis vice mamma, priusquam infanti suctus concedatur. Collyrium, e granis quatuor Aluminis, et uncia aquæ rosarum constans, laudatur in ophthalmia neonatorum, nec non in blepharophthalmia catarrhali, si guttæ aliquot ter quaterve in die oculo instillentur. Per modum injectionis usurpatur in fluore albo et blennorrhœa urethræ chronica. Unguentum ex drachma dimidia Aluminis et uncia cerati simplicis mariscis hæmorrhoidum dolentibus et humescentibus obponitur. *Ung. ad perniones* Rustii componitur ex Aluminis sesquidrachma, camphoræ et opii utriusque scrupulo, balsami peruviani drachma et cerati saturni semuncia.

D. Forma pulveris aut solutionis, a granis duobus ad quindecim, omni tertia hora datur adulto. Pro collutorio vel gargarismate drachma ad libram decocti quercus; pro collyrio vel injectione grana duo vel quatuor ad unciam.

SUPERSULPHAS ALUMINÆ et POTASSÆ EXSICCATUS.

ALUMEN USTUM.

℞. Supersulphatis Aluminæ et Potassæ crystallisati quantum vis.

Expone igni in crubiculo amplo, vel in vase fictili, quod intus non sit crustatum, donec massa liquescens ebullire cesset, et alba, levis, spumosaque fiat, quo sal omni aqua crystallisationis orbatur. In loco sicco usui servetur.

V. Caustica; styptica.

U. Alumen ustum extrinsecus duntaxat adhibetur ad exedendam carnem ulcerum luxuriantem.

AMMONIA.

N^2H^6; vel Ak.

Аммiакъ.

Gas nitrogenium et hydrogenium simul evoluta, faventibus circumstantiis, mutuo junguntur; conjunctio illorum, ad communem aëris temperaturam et pressionem, gasis servat speciem, et Ammonia sive Gas Ammoniacum dicitur, olim vero *Alcali volatile* nuncupabatur. *Usualia sunt:* 1) Ammonia liquida; 2) Sesquicarbonas Ammoniæ; 3) Carbonas Am. pyro-oleosus siccus et Carbonas Am. pyro-oleosus liquidus. (Utrumque videsis in parte tertia sub rubrica: Oleum pyro-animale); 4) Hydrochloras Am.; 5) Acetas Am. liquidus, quem videsis in parte tertia.

AMMONIA LIQUIDA.

AQUA AMMONIÆ; SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS.

Жидкiй аммiакъ.

℞. Calcariæ recens ustæ libras duas cum dimidia, quam adsperge
Aquæ unciis decem,

ut in pulverem (hydratem calcariæ) dilabatur, dein adde:

Hydrochloratis Ammoniæ pulverati libras duas.

Hæc probe mixta retortæ vitreæ, aut ferreæ immitte, et sensim tantum aquæ adfunde, ut, non pultis speciem referant; sed in grumos tantummodo coëant. Retortam in balneum arenæ imponito, ejusque collum cum lagena Woulfeana tri-tubulata ope tubi aliquantulum amplioris junge; lagena hæc contineat parvam quantitatem solutionis hydratis calcariæ (lactis calcis), in quam tubum e retorta gas adducentem immerge, et sit ipsa tubo securitatis munita; ex illa gas ammoniacum evolutum duc in secundam ejusmodi lagenam Woulfeanam, quæ ad dimidium aqua destillata frigida impleta sit; huic adhuc tertium vas parimodo aquam frigidam continens junge, cui tubum infige apertum, ut per illum aër atmosphæricus auffugiat. Juncturis omnibus, vesica bubula et luto, ex farina secalitia et aqua, probe clausis, balneum arenæ subteracto igne calefac, quo mox gasis evolutio ordietur. Lagena prima purificando gasi dicata est, ibique hydrochloras ammoniæ non resolutus, carbonas ejusdem et empyreuma manent; in lagena secunda omnis fere ammonia absorbetur, et nonnisi ex solutione affatim saturata (vel gase nimis violenter extricato) parva illius quantitas in tertiam lagenam pervenit, ibique absorbetur. Tubi communicantes vitrei profundius in aquam, fere usque ad fundum vasis, sunt immergendi. Tubus securitatis, lagenæ primæ adaptatus, ad unam tantum alteramve lineam in liquidum penetret. Vasa absorptioni inservientia sub ipsa operatione, vel rivo fluentis aquæ frigidæ, vel glacie aut nive, continuo refrigeranda sunt. Dum nulla amplius ammonia evolvitur, et vapores aquei prodire cœ-

perint (quod ex adaucto primæ lagenæ calore facile dignoscitur), totus apparatus mox dissolvendus est, ne liquidum ex lagena prima in retortam retrogredatur. A quantitate aquæ, quam lagena secunda continet, qualitas Ammoniæ liquidæ pendet. Si ad libras duas hydrochloratis ammoniæ, in processu exposito adhibiti, unciæ octodecim aquæ destillatæ lagenæ secundæ infundantur, liquidum finita operatione in illa contentum erit Ammonia liquida concentrata, duarum circiter librarum ponderis, cujus pondus specificum = 0,916. Centenarius hujusmodi ammoniæ constat ex: 22 ammoniæ, et 78 aquæ partibus. Ammonia liquida adeo concentrata ad usus pharmaceuticos raro requiritur.

Ad parandam Ammoniam liquidam officinalem infundantur lagenæ secundæ libræ duæ cum dimidia aquæ destillatæ, si retorta libras duas hydrochloratis ammoniæ continet. Ammonia liquida hoc modo obtinenda est pondere specific. = 0,962, ejusque centenarius continet 10 partes gasis ammoniaci.

Q. Liquidum sistit coloris expers, ammoniam fortiter redolens et aëri expositum eandem emittens. Acidum carbonicum absorbet, hinc in vasis minoribus probe clausis servanda; dum calefit, ammonia quam citissime avolat. Empyreuma ne redoleat.

Dum carbonate ammoniæ inquinata est, addita aqua calcariæ fit turbida et dejicit carbonatem calcariæ; sulphas ammoniæ detegitur ope nitratis barytæ, quo sulphas barytæ præcipitatur; chlori vel acidi hydrochlorici vestigia innotescunt, si, postquam acido nitrico puro saturata fuerit, ex solutione nitratis argenti, chloridum ejusdem appareat; si acido sulphurico saturata, dat sedimentum album, calcariam continet.

Concentrationis gradus Ammoniæ liquidæ e pondere ejusdem specifico dignoscitur. Idem innotescit etiam sequenti modo: in patina vitrea, cujus pondus exploratum est, saturetur examussim quælibet quantitas (ponderis cogniti) ammoniæ liquidæ explorandæ acido hydrochlorico (neutro exuberante); liquidum leni calore vaporetur; hydrochloras ammoniæ obtentus indicabit quantitatem alcali volatilis in ammonia liquida contenti: centum grana hydrochloratis ammoniæ designant 32 grana gasis ammoniaci (Lassaigne).

V. Dum intus porrigitur, stimulans est, et antacida; extrinsecus rubefaciens, et quando magis concentrata, vesicans. Dum parva dosi exhibetur, systematis hæmatophori vigorem auget; hinc cutis exardescit, et mox sudore madet, secretio membranarum mucosarum et renum adauctæ observantur. Hæc autem cuncta phænomena brevissimo temporis spatio evanescunt (Girard). Diuturno Ammoniæ, uti etiam salium ejusdem usu, concoctio plus minusve hebetatur. Animalia, nimiis Ammoniæ dosibus enecata, sanguinem haud coagulandum obtulere. Inter antidota ammoniæ acetum reliquis præferendum.

U. Raro interne exhibetur. A serpente venenato morsis porriguntur guttæ decem, aut quindecim, e quovis blando liquido, repetitis vicibus per diem, admotis vulneri eodem tempore spleniis Ammonia liquida dilutiori madefactis. Salutiferam Ammoniæ virtutem hoc respectu, experientia in animalibus edocti, testamur. Num vero contra hydrophobiam tantum valeat, haud possumus affirmare. Olim propinabatur etiam iis, qui ex nimia spirituosorum quantitate asphyctici exstiterunt, sed quam flocci pendenda sit Ammonia his sub rerum circumstantiis, subsequentium temporum experimenta

docuere. Nec magis æstimanda est qua antidotum acidi hydrocyanici. Antacida virtute pollet imprimis in cardialgia et meteorismo, dum alimenta, præ cæteris vegetabilia, in ventriculo et intestinis fermentationem subintrant, et hinc nimia gasis carbonici quantitas generatur.

Extrinsecus adhibetur Ammonia liquida qua errhinum in syncope et asphyxia; probe tamen cavendum, ne nimis diu vas Ammoniam emittens naribus suppositum teneatur, quum respirando sit inepta. Hunc in finem prostant etiam venales lagunculæ, quæ hydrochloratem ammoniæ cum calcaria mixtum continent, quibus odoris gratia guttæ aliquot olei cujuslibet ætherei additæ sunt.

Ammonia liquida, dum concentrata est, qua remedium externum vesicans, adhibetur ad extollendam cuticulam, ubi *Methodo* sic dicta *endermica* uti, in propositis est; variæ procedendi rationes hunc in finem laudantur, quarum promptissima, suadente Trousseau, sequens est: linteum sexies aut octies plicatum, formam et magnitudinem, qua cutis denudanda est, præ se ferens, Ammonia liquida concentrata madefit, et parti in vesicam extollendæ superdatur; quum autem hæc quam citissime avolet, singulis horæ minutis tantum Ammoniæ liquidæ concentratæ linteo superfundendum, ut illud continuo madidum servetur. Dum cutis tenella, et Ammonia liquida satis concentrata est, elapso jam horæ quadrante tota subjacens cuticula in vesicam extollitur, et unguibus facillime auferri potest. Superficies denudatæ cutis coloris sit pallide rubescentis; si vero intense rubra fuerit, vel ecchymosibus distincta, id nimis diuturnum Ammoniæ contactum testatur, quo in casu haud raro eschara superficialis partem obtegit.

Ablata dicto modo cuticula, remedium cuti superdatur et linteo, cerato simplici illito, tegitur, quod emplastro adhæsivo firmatur. In subsequenti deligatione cutis semper tecta adparet membrana spuria ex albo flavescente, quæ, si remedium iterum applicandum, semper auferenda. Quarta jam die membrana hæc cuti firmiter adhæret.

Vesicantis ad instar usurpatur sæpe unguentum Ammoniam evolvens; tale habetur UNGUENTUM, cujus inventor GONDRET extitit, quod componitur ex uncia Ammoniæ liquidæ concentratæ, adipis ovillæ drachma et adipis suillæ drachmis septem, calore lenissimo in unguentum coactis. Virtute rubefaciente proficit adversus tumores frigidos, duros, e lympha spissata ortos, uti etiam forma linimenti in rheumatismo et inflammationibus profundius sitis.

D. Ammonia liquida officinalis datur dosi quatuor guttarum, ad viginti, e quovis blando liquido, ter quaterve in die.

SESQUICARBONAS AMMONIÆ.

$3CO^2, 2Ak + 2aq.$

SUBCARBONAS AMMONIÆ.

Углекислый амміакъ.

℞. Hydrochloratis Ammoniæ partem,
Carbonatis Calcariæ partem cum dimidia.

Salia pulverata, et probe siccata, intime misce, et in retortam, collo amplo præditam, immitte. Retortæ, balneo arenæ impositæ, junge excipulum, quod parvo foramine in parte superiori munitum sit, illudque fere totum aquæ, quæ rivo frigidæ continuo renovatur, immerge. Juncturis luto obturatis, ignem ab initio lenem subdito, eumque gradatim adauge, quoadusque vapo-

res albi ex foramine excipuli prosiliant. Tunc, obturato leviter excipuli foramine, eundem fere caloris gradum continuo sustine, donec vapores, qui initio albi erant et opaci, pellucidi fiant, quo operationis puncto ignem subducito, et apparatum refrigerationi committe. Parvam liquidi quantitatem, in excipulo contentam, et sal solutum referentem, effunde. Præstat cum nova hydrochloratis ammoniæ et carbonatis calcariæ quantitate eandem operationem repetere, et in idem excipulum sal sublimare, donec crusta salina pollicis crassitiem adipiscatur, quam peracta semel tantum operatione excipulum frangere. Sal siccum in vasis probe clausis, in loco frigidiusculo, servandum est.

Q. Crystallos refert pellucidas, rhombo-octaëdras; sal sublimatum plerumque sistit crustas salinas structuræ fibrosæ. Ammoniam vehementer redolet; sapit et resistit alcalium instar. Media aëris temperie avolat, quo partim mutatur in bicarbonatem ammoniæ inodorum. Solvitur in duabus partibus aquæ frigidæ, calidæ autem minorem quantitatem exposcit. Centenarius constat ex: acidi carbonici 65,36; ammoniæ 16,90 et aquæ 17,74 partibus. In præscribendis formulis vitanda est mistura illius cum acidis, æque ac cum alcalibus.

Solutio Sesquicarbonatis Ammoniæ, si, acido nitrico saturata, ex addita solutione nitratis argenti dat sedimentum album, hydrochlorate ammoniæ sal inquinatum esse, id designat; si vero ex addita solutione nitratis barytæ quidlibet dejiciat, sulphatem ammoniæ admixtum continet. Si solutio illius, acido acetico saturata, ex hydrogenio sulphurato præcipitatum dejicit fusco-nigrum, plumbo vel cupro sal contaminatum est. Plumbi inquinamentum est frequentissimum, quum in officinis chemicis excipula sæpe adhibentur plumbea.

V. Stimulans; antispasmodica; diaphoretica; largiori dosi emetica.

U. Penetrante stimulo, quo totum organismum incitat, in febri nervosa adynamica, sub pulsu tremulo, æquali, intermittente, nec duro, remedium est efficacissimum. Cutem stimulando exanthemata inertia protrusit, aut retrograda resuscitavit. In podagra et rheumatismo, si potens ad promovendam cutis exhalationem stimulus opus est, vel ubi materia morbifica interiora penetravit, non male datur intrinsecus, cum guajaco et id genus aliis. Qua remedium antispasmodicum propinatur in asthmate convulsivo, in dentitione difficili, nec non in pertussi. In scarlatina, utpote remedium, cuivis morbi stadio adæquatum, a nonnullis laudatur, cunctis antiphlogisticæ methodi adminiculis prorsus repudiatis; — utrum hæc vera sint, experiundo discendum. Ad sedandos spasmos hystericos Sesquicarbonas Ammoniæ infuso valerianæ solutus porrigitur.

Extrinsecus forma lotionis stimulantis, ad resolvendos tumores frigidos, in usum ducitur. Pars Sesquicarbonatis Ammoniæ tribus partibus extracti belladonnæ comixtæ, et super alutam extensæ, ad sublevandos dolores rheumaticos valide prosunt.

D. Forma solutionis, rarius in pilulis, a granis duobus ad duodecim, ter aut sexies in die propinatur adulto; forma pulveris non est exhibendus.

HYDROCHLORAS AMMONIÆ.

Cl^2H^2, N^2H^6.

MURIAS AMMONIÆ; SAL AMMONIACUM.

Солекислый амміакъ; Нашатырь.

Sal hoc invenitur nativum ad crateres montium ignivomorum, variis heterogeneis, ut sulphure, selenio,

aliisque inquinatum. Maxima pars Hydrochloratis Ammoniæ venalis paratur in officinis chemicis, e carbonate ammoniæ impuro, qui destillatione sicca, vel putrefactione, e partibus animalibus generatur; quem in finem carbonas ammoniæ impurus sulphate ferri, aut calcariæ nativo, resolvitur, quo sulphas ammoniæ obtinetur; hic autem, addito sale culinari, hydrochloratem ammoniæ refert, qui subsequenti sublimatione purificatur. Olim in Ægypto ex fuligine, a combustis cameli excrementis oriunda, parabatur.

Pro usu pharmaceutico Hydrochloras Ammoniæ venalis, solutione et colatione purificatus, in crystallos iterum cogatur.

Q. Sal venale, vel discos exhibet aliquantulum concavos, in medio perforatos, pellucidos, albos, structuræ solidæ, fibrosæ, haud raro extrinsecus fuscos, aut nigros, quale Ægyptiacum esse solet; vel forma coni saccharini occurrit. Crystallos sistit octaëdras, dum autem purum, aciculares et pinnatas; saporis est ingrati, pungentis, salini, urinosi. Solvitur in tripla aquæ temperatæ, et in æquali fervidæ quantitate; in alcohole absoluto paulum solvitur. Calore adaucto avolat, quin dissipetur. Centenarius constat ex: acidi hydrochlorici 67,97; ammoniæ 32,03 partibus.

Inquinamenta metallica deteguntur aqua hydrosulphurata; sulphates: chlorido barii; calcaria: oxalate ammoniæ. Solet interdum acidum hydrobromicum continere; hoc dignoscitur, si solutio illius, dum gas chlorum per illam transducitur, flavo, vel ex fusco flavo colore tingitur.

In præscribendis formulis vitanda mistura illius cum acidis: sulphurico et nitrico, uti etiam cum po-

tassa, soda, calcaria, magnesia, et eorum carbonatibus; resolvitur parimodo acetate plumbi et nitrate argenti.

V. Pituitam movens; leniter excitans; resorptionem in membranis serosis promovens.

U. Insignis est vis Hydrochloratis Ammoniæ in incidenda pituita, quæ in variis affectionibus organorum concoctionis et respirationis membranas mucosas obruere solet; hinc in febribus catarrhalibus, gastrico-biliosis et rheumaticis, sub ipso morbi initio congrue datur; in pleuritide, bronchitide et pneumonitide additamentum tartratis stibii et potassæ non est respuendum, præmissa etiam, dum morbus gravior, debita sanguinis detractione. In colluvie intestinorum pituitosa bene jungitur gummi ammoniaco et rheo. Ad debellandum catarrhum pulmonum chronicum efficacissimis adnumeratur remediis, et tunc datur conjunctim cum polysulphureto stibii, extracto hyoscyami, aut conii, aut belladonnæ, aut opio, externis derivantibus simul in auxilium vocatis. Catarrhum vesicæ urinariæ chronicum, et prostatæ indurationem, sale hoc, diutius propinato, quidam curari posse perhibent; cavendum tamen, ne diuturno illius usu ventriculi vires plane prosternentur. Ad resolvendas obstructiones viscerum abdominalium, ob vim, qua pollet, leniter excitantem, cum extractis solventibus, puta: taraxaci, fumariæ, vel cum assa fœtida, extracto rhei, aliisque, forma pilularum cum successu propinatur. In cura febrium intermittentium usus Hydrochloratis Ammoniæ præparatis cinchonæ ex consueto præmittitur.

Extrinsecus adhibitus systema vasorum absorbentium incitat, qua de causa fomenti instar, cui interdum parva quantitas spiritus frumenti addi solet, opponitur hydrocele, ecchymosibus, fungo articuli, contusionibus,

sugillationibus, aliisque malis topicis, a læsione extrinsecus illata provenientibus. Gargarismata et collutoria sæpe ingreditur, quæ in angina faucium pituitosa, tumore glandularum salivalium, aliisque similibus, utilia sunt, et tunc tincturæ opii, aliusve narcotici additamentum non est alienum.

D. Datur in misturis aut pilulis, rarius in pulvere, a granis quinque ad scrupulum, omni secunda, tertia, aut quarta hora.

AQUA.

H^2O; vel aq.

Вода.

Totus orbis terrarum aqua abundat, quæ forma liquida, solida, vel in vapores expansa occurrit. Multa corpora anorganica aquam alii elemento intime junctam continent, et omne, quod vivum dicimus, aqua carere nequit. *Usuales sunt:* 1) Aqua communis; 2) Aq. destillata; 3) Aquæ minerales.

Q. Aqua dum pura, media aëris temperie liquida est, coloris, saporis, nec non odoris expers. Pollex illius cubicus Rossicus (= Anglico) ad + $3\frac{1}{2}$° R. pondus habet 263,75 granorum medicorum Norimbergensium, usui pharmaceutico apud nos dicatorum. Ad 0° R., vel + 32° Fahr. congelatur. Sub communi aëris pressione ad + 80° R., vel + 212 Fahr., vel 100° thermometri Centigradi, bullit. Pondus specificum ad + 12° R. = 1. Unum volumen Aquæ in vapores expansum dat 1700 volumina vaporum; hinc pollex cubicus aquæ dat pedem cubicum vaporis, cujus pondus specific. = 0, 6201, si aër atmosphæricus = 1 ponatur. Solvit plurima corpora; nonnullis tanta est ad Aquam affinitas, ut illam ex aëre attrahant, quo sensim sensimque diffluunt.

AQUA COMMUNIS.

Обыкновенная вода.

Quamvis Aqua in toto orbe terrarum abunde diffusa sit, nullibi tamen ex toto pura deprehenditur; particulas enim corporum, quæ permeat, solutas continet. Cum vero quantitas heterogeneorum in Aqua communi tam exigua esse soleat, ut sensus nostros effugiat, in varios usus domesticos passim ducitur; habita tamen puritatis et fontium, unde derivatur, ratione, Aquæ communis sequentes numerantur species, scilicet:

Aqua pluvialis (*Дождевая вода*). Dum ex superficiebus mundis collecta est, purissimam Aquæ communis speciem sistit, et ad usum pharmaceuticum vel maxime idonea est, quamvis in 100 pollicibus ejusdem cubicis $3\frac{1}{2}$ pollices cubici aëris (plus oxygenii quam atmosphæricus continentis), nec non pollex cubicus acidi carbonici, inveniantur. Post prægressas procellas vestigia nitratis ammoniæ refert. Quæ in urbibus e tectis colligitur, oxydi ferri, sulphatis calcariæ et fuliginis pauxillum habet; ideoque coctione et colatione purificanda.

Aqua nivalis (*Снѣговая вода*). Nix recens liquefacta suppeditat aquam aëre liberam; hinc talis sustentandæ vitæ piscium inepta. Aqua nivalis, diutius aëri atmosphærico exposita, illum absorbet. Testibus Humboldt et Gay-Lussac, aër ex hujusmodi aqua extricatus 29 oxygenii in centenario obtulit, quum aër atmosphæricus vix 24 oxygenii in centenario contineat.

Aqua fontana (*Ключевая вода*). Fontes, qui e solo sabuloso prosiliunt, optimi sunt, et plerumque limpidam referunt aquam. Haud raro autem Aqua fontana continet sulphatem calcariæ et magnesiæ, nec non

chloridum sodii, et ubi in viciniis stabula sita sunt, vestigia nitratum non desunt.

Aqua putealis (*Колодезная вода*). Ob heterogeneorum quantitatem præcedentibus postponenda. Cum particulas plantarum et animalium solutas contineat, in putredinem prona esse solet. Acido carbonico scatet; hinc quædam salia, in aqua pura insolubilia, continet, scilicet carbonatem calcariæ ac magnesiæ, et interdum etiam carbonatem ferri. Post ebullitionem substantiæ hæ crustæ ad instar parietibus vasis adhærent.

Aqua fluviatilis (*Рѣчная вода*). Nec acidum carbonicum, nec carbonates continet; quum sub ipso fluminis decursu acidum carbonicum avolet, hinc carbonatibus solvendis impar fit.

Aqua solvendo saponi apta, communiter dicitur mollis; hujusmodi sunt pluvia, nivalis et interdum etiam fluvialis; illa vero, quæ salia continet calcarea, saponis solutionem refert floccosam, et hinc lavandis linteis inepta, Aqua dura, seu aspera vocitatur; talis est aqua putealis, rarius fluviatilis.

V. Pro quantitate, et caloris gradu varia; hinc diluens; sedans; relaxans; stimulans; sudorifica; diuretica.

U. In febribus aliisque inflammationibus Aqua communis, dum bonæ notæ est, pro potu exhibita, reliquis diluentibus merito præferenda, quo scopo temperaturam + 12° R. habeat, oportet. In stadio frigoris paroxysmi febrilis, ubi potu tepido sitis moderanda, uti etiam dum cutis qualibet ex causa sudore madet, vel dum bilis exuberans suspicatur secretio Aqua nonnisi inter + 25° et + 30° R. tepida potui est danda. In hæmorrhagiis autem internis, ubi sedante et ad-

stringente vi opus est, Aqua temperaturam + 6° R. exhibens porrigitur. Copioso potu Aquæ tepidæ sustentatur et promovetur nausea et vomitus. In nonnullis dyspepsiæ speciebus, quæ sensu frigoris in ventriculo, æque ac frigore extremorum comitantur, poculum aquæ, ut bibi potest, calidissimæ magnopere juvat. In polycholia suadent poculum Aquæ tepidæ mane ante jentaculum ebibere, et post hoc deambulationi indulgere.

Extrinsecus Aqua imprimis adhibetur balneorum forma, quæ pro vario caloris gradu, varios præstant effectus. *Balneum frigidum*, quod temperaturam + 15° R. exhibet, magna circumspectione adhibendum est. Convenit generatim adultis robustioribus; alienum vero est senibus et infantibus, nec non iis, qui debili nervorum systemate præditi sunt. Caute etiam adhibeatur ab illis, qui pectore laborant, vel quibus nimius sanguis caput versus affluit. Ubi immersio haud protracta fuerit, virtus ejus excitans est et tonica; immersio autem diutius protracta, præcipue si Aquæ temperatura infra + 8° R. fuerit, noxios effectus, quin imo ipsam mortem inducere potest. Balneum frigidum, ad dictam + 15° R. temperaturam, haud parum promittit utilitatis in morbis, e debilitate oriundis, præcipue in scrofula, utpote quæ usu balnei frigidi, sal culinare continentis, æque ac balnei marini, profligari solet. Juvat quoque in debilitate, cui onanismus, pollutiones nocturnæ vel excessus in venere ansam præbuerunt; sic etiam in hysteria, hypochondriasi et melancholia, dum e simili causa originem ducunt. *Affusio frigida*, seu repentina profusio Aquæ frigidæ super totam corporis superficiem, ad validiora artis therapeuticæ adminicula referenda est. Magni æstimatur in typho, et quidem in stadio primo, totiesque repetenda, quoties

morbidus recurrit calor. Sed ubi morbus jam provectus est, suadente Currie, Aqua, pro affusione adhibenda, ne sit frigidior duodecim graduum R., morbido corporis calore. Morbus incipiens, ad quintam usque diem, affusionibus frigidis tollitur; serius autem Aqua frigida nonnisi adjuvans est. Utilitatem præstant affusiones frigidæ in tetano idiopathico, nullius autem sunt efficaciæ ad debellandum tetanum per vulnera pronatum. Comprobatus quoque est usus affusionum frigidarum in stadio calido febris variolosæ, æque ac in scarlatina maligna, calore præsente. Ast ex incauto hujus medicinæ usu multum mali pullulat; quamobrem varios status morborum, in quibus ab affusione frigida abstinendum, hic obiter memorasse juvabit. Inhibetur itaque in stadio febrili, præsente horripilatione, quamvis a thermometro caloris gradus naturali major indicetur; dum febres diarrhœa vel dysenteria comitantur; in stadio sudoris febri intermittenti proprio; in eruptione variolarum confluentium; tum denique in febri symptomatica, quæ genuina inflammatione organi cujuslibet excitatur. Affusio frigida, forma pluviæ adhibita, egregium sistit remedium roborans in debilitate, quæ nec febri, nec calore adaucto comitatur. *Fomenta frigida* opponuntur hæmorrhagiis uterinis, ambusturis et topicis inflammationibus.

Balneum tepidum, cujus temperatura + 26° R. est, virtute pollet sedante ac relaxante. Convenit delicatulis, æque ac iis, qui fibra musculorum rigida sunt præditi. Prodest balneum tepidum in inflammationibus viscerum abdominalium, renum, ureterum et vesicæ urinariæ; in rheumatismo et variis adfectionibus nervorum, in hysteria, hypochondriasi aliisque. Summum præstat auxilium ad perficiendam taxin herniarum stran-

gulatarum. Adhibetur cum successu in adfectionibus spasmodicis infantum, ex dentitione, aut alia irritatione originem ducentibus. Ad relaxandas et emolliendas partes rigidas cum successu usurpari solet; hinc arti sic dictæ orthopædicæ subvenit.

Balneum calidissimum, temperaturæ + 30° R., est excitans et sudorificum. Hujus temperaturæ balnea minime conveniunt hominibus plethoricis, vel iis, qui ad stases sanguinis aut hæmorrhagias proni sunt. Adhibetur cum successu in rheumatalgia, paralysi, tumoribus albis articulorum, et in aliis chronicis malis, ubi incitamento externo opus est.

Balneum vaporis, quod a + 30° ad 44° R. accedit, in Rossia vulgo usitatissimum est, nec quislibet inficias ibit, illud multum conferre ad conservandam sanitatem eorum, qui ad usum illius assuefacti sunt. Virtus Balnei vaporis, pro ratione temperaturæ, cum tepido et calidissimo convenit, hinc casibus jam expositis adæquatum haberi potest.

AQUA DESTILLATA.

Aqua pura.

Перегнанная вода.

℞. Aquæ communis quantum vis.

Ex vasis intus stanno probe obductis, vel stanneis, vel vitreis examussim mundatis, moderato igne fiat destillatio. Quartam liquidi partem, initio prodeuntem, qua minus puram, abjice; quod dein prodit excipe, donec dimidium adhibitæ aquæ obtinueris.

Q. Si vitiata suspicetur, sequenti modo disquirenda: dum chlorido quolibet inquinata est, addita solutione nitratis argenti, lactis instar albescit (chloridum argenti); dum sulphatem quemlibet continet solutum,

adfusa solutione nitratis barytæ, refert sedimentum album (sulphatem barytæ); dum calcariam tenet solutam, cum solutione oxalatis ammoniæ turbatur et offert sedimentum album (oxalatem calcariæ); dum acido carbonico scatet, cum aqua calcariæ dat sedimentum album (carbonatem calcariæ).

U. Ad conficienda varia præparata pharmaceutica adhibetur.

AQUÆ MINERALES.

Минеральныя воды.

Fontes Aquarum, qui corpora quædam soluta continent, et virtutem medicam proferunt, minerales appellantur. Aquæ hujusmodi multis omnino scatent materiis; hinc in multifarias classes a quibusdam dividuntur: qualitatibus autem earum summatim complexis, adcommode, præeunte celeb. Bergmanno, in quatuor classes redigi possunt, scilicet: in Aquas acidulas, sulphurosas, ferrosas et salinas. De virtute ac usu Aquarum mineralium in genere quidlibet dicendi, supervacaneum duximus, quum hæc ex ipsa analysi earum sponte pateant.

Tabulæ Aquarum mineralium analysin exhibentes.

Regio, ubi scatent.	Aquæ acidulæ.	100 poll. cub. Aq. insunt poll. cub. Gasis:			In mensura, quæ sexdecim unciarum aq. destill. (pond. Nor.) capax foret, Aq. min. continentur grana: Carbonatis					Sulphatis					Phos. aluminæ	Chloridi			Jodid. sodii.	Sulphureti sodii.	Acidi silicici.	Grad. medii s. R.
		Ac. carb.	Hydrog. sulphur.	Nitrog.	sodæ.	magnes.	calcar.	oxyd. ferr.	mangan.	sodæ.	potassæ.	magnes.	calcar.	alumin.		sodii.	potassii.	magnii.				
In Rossia ad Caucasum.	Narsan.	151	—	0,25	—	0,31	8,42	0,03	0,05	4,41	0,09	0,71	—	0,01	—	—	—	0,09	—	—	0,12	+10°
	Alexandrowsky.	60	0,57	0,15	—	0,89	7,92	0,01	0,01	8,88	0,69	—	0,19	—	0,02	11,2	—	0,43	0,04	0,03	0,54	+38°
	Jelisawetinsky.	97	0,33	0,15	—	0,86	7,78	0,01	0,01	9,25	0,69	—	0,19	—	0,02	10,9	—	0,53	0,04	0,03	0,46	+24°
In Ducatu Nassau.	Selters.	130	—	—	6,15	1,38	2,18	—	—	—	0,39	—	—	—	0,01	17,3	0,34	—	—	—	0,31	+11°
	Geilnau.	163	—	—	6,62	2,17	2,97	—	—	0,04	0,28	—	—	0,04	—	0,54	—	—	—	—	0,27	+ 8°
	Ems.	51	—	—	10,7	0,80	1,14	0,03	0,01	—	0,54	—	—	—	0,01	7,63	0,04	—	—	—	0,41	+30°
In Bohemia.	Marienbad. (Kreutzbr.)	125	—	—	8,26	3,06	4,13	0,18	0,01	39,7	0,93	—	—	0,01	—	12,4	—	—	—	—	0,88	+ 9°
	Eger. (Franzensbr.)	154	—	—	5,00	0,60	1,85	0,35	0,01	25,5	0,93	—	—	—	—	7,96	—	—	—	—	0,57	+ 9°
In Gallia.	Vichy.	50	—	—	37,8	0,64	2,32	—	—	3,52	—	—	—	—	—	4,16	—	—	—	—	0,48	+28°

Regio, ubi scatent.		100 poll. cub. Aq. insunt. poll. cub. Gasis:			In eadem, sexdecim unciarum, mensura Aq. mineralis continentur grana:													
					Carbonatis					Sulphatis				Phos.	Chloridi		Acidi	Grad.
		Ac. carb.	Hydrog. sulph.	Nitrog.	sodæ.	magnes.	calcar.	oxyd. ferr.	mangan.	sodæ.	potassæ.	magnes.	calcar.	aluminæ.	sodii.	magnii.	silicici.	medii s. R.
	Aquæ Sulphurosæ.																	
In Rossia. In Gub. Orenb.	Sergiewsky.	9,3	18,5	—	—	5,33	1,55	—	—	0,67	—	1,12	12,7	—	—	0,8	—	+ 7°
In Rossia. In Curlandia.	Barbiansky.	—	9,8	—	—	2,92	4,52	—	—	1,86	—	3,59	1,59	—	2,13	—	—	
In Rossia. In Curlandia.	Baldonsky.	0,13	0,23	—	—	—	0,74	—	—	—	—	0,31	8,95	—	0,62	0,04	—	
In Borus.	Aix-la-chapelle.	—	—	—	4,13	0,32	1,21	—	—	2,40	—	—	—	—	22,6	—	0,53	+46°
In Anglia.	Cheltenham.	—	5,17	—	—	—	—	0,3	—	23,5	—	5,0	1,2	—	35,0	—	—	
	Aquæ Ferrosæ.																	
In Rossia. In Gub. Tambow.	Lipetzkaja.	32,5	—	—	—	—	3,22	1,60	—	0,63	—	—	1,30	—	1,45	0,40	—	+ 5°
In Rossia. ad Caucasum.	Constantinowskaja VIII.	71,2	—	0,63	1,36	1,10	6,24	0,08	—	9,24	0,21	—	—	—	2,97	—	0,21	+12°
In Rossia. ad Caucasum.	Constantinowskaja II.	32,7	—	0,49	1,52	1,01	4,10	0,03	—	8,52	0,37	—	—	—	2,58	—	0,42	+31°
In Westphalia.	Pyrmont.	120	—	—	—	0,32	5,99	0,43	8,05	2,15	0,04	2,69	7,22	0,02	—	1,13	0,49	+10°

Regio, ubi scatent.	*Aquæ Salinæ.*	100 poll. cub. Aq. insunt poll. cub. Gasis:			In eadem, sexdecim unciarum, mensura Aq. mineralis continentur grana:														
					Carbonatis				Sulphatis				Chloridi		Jodidi sodii.	Brom. sodii.	Acidi silicici.	Gradus medii s. R.
		Ac. carb.	Hydrog. sulph.	Nitrog.	sodæ	magnes.	calcar.	oxyd. ferri.	sodæ	potassæ.	magnes.	calcar.	sodii.	magnii.				
Ad Caucasum.	Michailowsky.	—	—	—	—	1,03	7,92	0,01	8,89	0,69	—	0,19	11,5	0,38	0,05	—	0,52	+32°
Ad Caucasum.	Kumogorskie.	1,2	—	2	3,95	0,04	0,24	—	0,70	—	—	—	5,08	—	—	—	0,24	+24°
In Rossia. In Gub. Twer.	Andreapolsky.	0,09	—	0,02	0,08	—	2,46	0,05	—	—	—	—	0,04	—	—	—	0,24	—
In Rossia. In Gub. Nowg.	Staroruskaja.	—	—	0,16	—	0,21	0,92	0,13	—	—	—	13,2	114	16,6	0,01	0,02	0,33	+10°
In Polon. prope Crac.	Busk.	1,23	3,75	1,28	—	—	1,28	—	—	—	9,98	9,17	52,5	2,99	0,45	—	—	+12°
In Bohemia.	Carlsbad.	40	—	—	9,66	1,36	2,36	0,03	19,8	—	—	—	7,95	—	—	—	0,67	Sprud. +59° Neubr. +47° Mühlbr. +43° Theresbr. +40°
In Bohemia.	Toeplitz.	—	—	—	2,65	0,27	0,26	0,02	0,55	0,01	—	—	0,42	—	—	—	0,32	+50°
In Bohemia.	Scheidschutz.	6,4	—	—	—	1,09	6,80	0,01	23,5	4,89	83,2	1,50	—	1,63	—	—	0,12	+12°
In Bavaria.	Kissingen. (Ragozi.)	86	—	—	—	2,5	5,5	0,75	2	—	—	2,75	63	6,5	—	—	0,5	+ 8°
In Bavaria.	Adelheids Quelle.	4	—	—	4,25	0,23	0,50	0,1	—	—	—	—	36,9	—	0,91	0,30	0,12	—

ARGENTUM.

Ag.

Серебро.

Argentum invenitur nativum et minerarum instar in Rossia, præcipue in mineris Colyvanensibus, et quidem in monte sic dicto Serpentino *(Змѣевская гора)*, porro in variis locis Siberiæ. Provenit etiam Argentum in Norvegia, Hungaria, Saxonia, Gallia, Hispania, et imprimis in Peru ac Mexico.

Argentum purum pro usu pharmaceutico obtinetur sequenti modo: Argentum venale solvitur in acido nitrico diluto; in solutionem cupri laminæ immerguntur, ex quo Argentum forma pulveris albi, splendentis, præcipitatur. Pulvis collectus, in filtro aqua elotus, refert Argentum purum. ***Usuales sunt:*** **1) Nitras Argenti crystallisatus; 2) Nitr. Arg. fusus.**

Q. Colore albo et summo nitore metallico præditum est. Pondus specific. ex fuso concreti = 10,478; malleati = 10,6; durius auro, mollius cupro est. Si fusum caute frigefiat, in crystallos octaëdras et cubicas concrescit; in fila subtilissima duci et in bracteas tenuissimas extendi potest; igne intensius rubente funditur.

Argentum in acido nitrico ex toto solvitur; si ex addita uberius ammonia colorem induit cœruleum, id cuprum indicat. Si solutioni nitratis argenti acidum hydrochloricum addatur, omne Argentum præcipitatur (chloridum argenti); si post hoc in liquore supernatante ex additis alcalibus quidlibet dejiciatur, metalla heterogenea id testatur.

NITRAS ARGENTI CRYSTALLISATUS.

AgO, N^2O^5.

Азотнокислое серебро.

℞. Argenti puri partem,
Acidi Nitrici officinalis partes duas.

Solve argentum in vase vitreo, calorem lenissimum adhibendo. Solutionem ad dimidium evapora et in vas porcellaneum effunde; ubi refrixerit crystallos collige, et iterum evapora. Omnes crystallos collectas in infundibulo vitreo tantillo aquæ destillatæ ablue, ut ab adhærente acido liberentur, dein siccatas in vase vitreo, extrinsecus pigmento nigro obducto, usui serva.

NITRAS ARGENTI FUSUS.

LAPIS INFERNALIS.

Литое азотнокислое серебро.

℞. Nitratis Argenti crystallisati quantum placet.

In crucibulo argenteo vel porcellaneo igne fundito Nitratem Argenti, quem fusum per aliquot temporis momenta sustine, dein in modulos ferreos, leniter calefactos et sebo illitos effunde, ut bacilli inde prodeant, quos linteo sicco detersos, in loco obscuro serva.

Si Nitratem Argenti, protinus ut fusus est, in modulos effundas, bacillos coloris albicantis, sed admodum fragiles obtinebis; præstat igitur, ut fusus paululum sustineatur, quo coloris magis fusci, sed firmiores obtinentur bacilli.

Q. Nitras Argenti crystallisatus a fuso, nonnisi forma externa, minime vero indole differt. Si diutius sustineatur fusus, particula illius acido orbatur et in oxydum abit, ex quo colorem induit fuscum.

Crystallos sistit laminatas, tetraëdras et hexaëdras, albas, pellucidas, sub influxu lucis nigrescentes, in aëre non liquescentes; saporis est ingratissimi, amari, acris, metallici; solvitur in pari aquæ frigidæ pondere; bullientis minus requirit; in alcohole etiam solvitur. Centenarius constat ex: oxydi argenti 68,2; acidi nitrici 31,8 partibus.

Bacilli Nitratis Argenti fusi, si diffringantur, compagem exhibeant radiatam. Mille grana argenti puri dant circiter mille quingenta grana Nitratis Argenti fusi.

Venalis interdum adulteratur nitrate cupri, nitrate potassæ, binoxydo mangani et graphite. Ultima duo deteguntur, Lapidem Infernalem in aqua solvendo, et tunc forma sedimenti apparent. Dum nitratem cupri continet, aëri expositus humescit, et sensim sensimque virescit. Cæterum in Nitrate Argenti fuso potius oxydum cupri, quam nitras illius continetur, si argentum impurum fuerat adhibitum. Cuprum, quavis forma contentum, innotescit, si in aqua soluto ammonia liquida addatur, ex quo cæruleus color apparet. Dum Lapis Infernalis nitrate potassæ inquinatus est, in fractura non exhibet compagem radiatam, sed levem; si tali, in aqua soluto, acidum hydrochloricum exuberans adfundatur, argentum omne qua chloridum dejicitur, et liquor supernatans ad siccitatem vaporatus dabit residuum salinum (chloridum potassii).

Insociabilis est Nitras Argenti alcalibus, eorumque carbonatibus, excepta tamen ammonia; hydrogenio sulphurato et hydrosulphatibus; acidis: sulphurico, hydrochlorico et arsenicico; plerisque fere omnibus salibus neutris, et infusis vegetabilium, principio adstringente pollentium.

V. Tonica; antispasmodica; caustica.

Si per plures menses dosi sat magna exhibeatur, cæruleum cutis colorem, præcipue in corporis partibus luci diurnæ expositis, per omne vitæ tempus remanentem, inducit. Tale phænomenon Todd Thomson ex chlorido argenti, quod in textu celluloso diffunditur, explicandum esse censet; hinc ad antevertendum hocce ingratissimum symptoma suadet, ut potus copiosior, acido nitrico acidulatus, tempore ipsius curationis sumatur; quin imo salis culinaris usum his sub rerum circumstantiis evitandum esse, arbitratur. Nimia dosi datus, acre est venenum. Sal culinare, si tempestive exhibeatur, optimam sistit antidotum; si vero inflammatio ventriculi et intestinorum jam exorta est, ad venæsectionem et topicas sanguinis detractiones erit confugiendum.

U. Inter omnia remedia, ad curandam epilepsiam laudata, Nitras Argenti optimum esse creditur; nihilominus tamen rebellis hicce morbus haud semper debellatur: Nitras Argenti datur sub initium curæ ad $\frac{1}{8}$ gr. bis in die, dein dosis sensim ita augetur, ut ægrotus spatio nychthemeri grana decem aut duodecim consumat; curationis tempus tres quatuorve hebdomades non excedat, ne cærulescens cuti inuratur color. Magis efficax est in chorea, angina pectoris, gastrodynia nervosa, et aliis quibusdam nervorum adfectionibus chronicis. A nobis sæpe cum successu adhibita est (imprimis in angina pectoris) formula sequens: ℞. Nitratis Argenti fusi drachmam dimidiam, extracti lactucæ virosæ drachmam, extr. colocynth. comp. drachmas duas, assæ fœtidæ drach. duas cum dimidia, ol. carvi gutt. 25, syrupi aurantior. q. s. ut f. pil. granorum duorum. D. S. Ter in die pilulas tres. Sunt, qui maniæ, melancholiæ aliisque psychicis morbis illum opposuere.

Frequentissimus vero est externus Nitratis Argenti usus, tum forma solida, tum solutionis instar. Ad reprimendam in cute systematis vascularis vegetationem efficax præstat auxilium; hinc margines ulcerum luxuriantes, verrucæ, condylomata, aliæque excrescentiæ Nitrate Argenti fuso attinguntur. Nuperrimis experimentis constat, erysipelatis progressum posse cohiberi, si pars morbo correpta levi tactu Lapidis Infernalis circumdetur. Solutionis instar (grana duo ad unciam aquæ destillatæ) injicitur fistulis, et superdatur ulceribus flaccidis, consolidationis promovendæ gratia; hac etiam forma (vel granum ad unciam aquæ destillatæ) prodest ad firmandas gingivas spongiosas, quales in scorbuto observantur, vel etiam ad moderandam nimiam salivationem mercurialem; hunc in finem penicillus solutione madidus semel aut bis in die gingivis admovetur, quin imo interdum gingivæ Nitrate Argenti fuso leviter attinguntur. Simili modo applicatus auxilium fert in ulceribus faucium internarum, nec non in angina tonsillari, quæ præcipue in infantibus sæpe in anginam membranaceam abit. Solutionis dilutioris guttæ duæ, tresve, instituta tracheotomia (in angina membranacea), canali aërifero instillantur, sed, ob qualitatem Nitratis Argenti mucum coagulandi, cura hujusmodi plena periculi est; præferri forsan hoc in casu meretur acidum phosphoricum, quod muco solvendo aptum esse dicitur. Coryza chronica et ozæna haud raro usu Nitratis Argenti curantur, si solutione, ope penicilli ex linteo carpto et cereolo elastico confecti, membrana mucosa narium bis in die madefiat; solutio sub initium debilior, serius fortior sit, oportet. Ad debellandos oculorum morbos, chronica inflammatione invalentes, quo præ cæteris ophthalmoblennorrhœa contagiosa refertur,

magni æstimandus est, tum forma solida, tum solutionis. Guttæ duæ solutionis, e granis decem et aquæ uncia, alternis diebus oculo instillantur. Profuit aliquando solutio paulum dilutior in fistulam lacrymalem injecta. Blennorrhœæ urethræ chronicæ, interno remediorum usui reluctantis, persæpe injectio hujusmodi finem facit; notandum tamen, solutionem primo biduo debiliorem (e. g. granum dimidium ad unciam), subsequentibus vero fortiorem (granum, duo, vel tria ad aquæ unciam) adhibendam esse. Inter remedia, ad curandum fluorem album laudata, imprimis dum malum in vagina, non vero in utero sedem figit, primatum obtinet; talis cura sequentibus absolvitur: fasciculus lintei carpti, vel filorum gossypii (quæ ad ellychnia adhiberi solent), longitudine decem circiter pollicum et crassitie digiti, solutione (e granis quinque ad aquæ unciam) madefit, et ab ipsa ægrota ope specilli lignei aut argentei quovis vesperi vaginæ immittitur, atque ibi per horæ dimidium relinquitur; post hebdomadam solutio adhibetur saturatior (e granis decem ad unciam); fasciculus lintei carpti quotidie novus, vel idem probe lotus et siccatus, in usum ducitur. Fissuræ et excoriationes circa papillas mammarum lactatus tempore sedem habentes, si intervallo unius, alteriusve diei Nitrate Argenti fuso attingantur, consolidationem experiuntur; mamma tamen, nonnisi prius aqua tepida abluta, infanti est concedenda. Stricturæ urethræ, quæ ab excrescentiis fungosis vel callosis pendent, Nitrate Argenti fuso, ope instrumenti peculiaris, cum successu tanguntur, succurrente tandem methodo dilatationis. Ad promovendam ossium exfoliationem in usum chirurgicum vertitur.

D. Intus porrigitur ab $\frac{1}{8}$ vel $\frac{1}{4}$ grani ad granum dimidium, integrum, vel grana duo, quin imo ad grana

quatuor, caute tamen, bis terve in die, forma pilularum cum mica panis, vel quovis extracto.

ARSENICUM.

As.

Мышьякъ.

Arsenicum primitus a Chemico Brandt (a. 1733) purum fuit obtentum. Occurrit in variis terræ regionibus, tum nativum, tum aliis corporibus junctum, et quidem cum sulphure et ferro (Pyrites arsenicosus; Auripigmentum; Realgar); oxygenio nuptum (acidum arsenicosum); arsenitis calcariæ instar (pharmacolithes); nec non argenti, plumbi et cobalti mineris admixtum. Quum Arsenicum forma metalli ab artificibus non expetatur, id nunquam fere e mineris qua tale extrahitur; quod autem in usum scientiarum naturalium ducitur, ex acido arsenicoso venali reductione obtinetur; hunc in finem acidum arsenicosum cum pari pondere fluxus nigri *) miscetur, et in cucurbitula vitrea ex arenæ balneo sublimatur.

Q. Coloris est plumbei dilutioris; fractum metalli ad instar vivide nitet, aëri vero expositum mox nitore orbatur, et sensim colorem induit ex fusco nigrescentem; pulvis, quo tegitur, suboxydum esse videtur. In aqua, aëre atmosphærico experte, nitorem non amittit. Compagem refert lamellosam; dum sublimatur, in crystallos coit octaëdras, quin prius fusione liquescat. Perquam fragile est et facillime in pulverem redigitur. Pondus specificum = 5,88. Ad 180° R. in vapores abit densos et albos, allium redolentes, quamvis me-

---

*) *Fluxus niger* ad reducenda oxyda metallorum sæpissime adhibetur; paratur deflagratione in crucibulo ignito unius partis nitratis potassæ, cum duabus partibus bitartratis potassæ impuri.

talli forma odoris et saporis sit expers. Omnia illius composita venena sunt atrocissima; usui medico sequens dicatur.

ACIDUM ARSENICOSUM.

$As^2 O^3$.

Arsenicum album.

Мышьяковистая кислота; Бѣлый мышьякъ.

Obtinetur in officinis metallurgicis ustulatione minerarum, Arsenicum continentium, in furnis, qui spiraculis longis et retortis instructi sunt. Acidum Arsenicosum impurum, in hisce spiraculis congestum, iterata sublimatione in vasis ferreis obturatis purificatur.

Q. Venale prostat forma pulveris albi tenuioris, sæpe etiam refert massam scoriformem, compactam, albam, quæ recens subpellucida est, procedenti vero tempore fit opaca; si diffringatur, vitri instar nitet. Odoris est expers; saporis acris, nauseosi, tandem dulciculi; pondus specif. = 3,73. Calore leniori, quam Arsenicum metallicum, in vapores expanditur albos, odoris expertes; dum vero carbonibus ignitis inspergitur, vapores hi allium parimodo redolent. Acidum Arsenicosum subpellucidum difficilius in aqua solvitur, quam opacum. Ut solutio saturata obtineatur, exuberans Acidum Arsenicosum pulveratum cum aqua diutius bulliat; pro vario caloris gradu varia quantitas manet soluta, et quidem: ad $+ 6°$ vel $8°$ R. — $\frac{1}{80}$; ad $+ 15°$ vel $20°$ — $\frac{1}{50}$; ad $+ 40°$ vel $50°$ — $\frac{1}{24}$; et tandem ad punctum ebullitionis $\frac{1}{12}$ pars Acidi Arsenicosi aqua solvitur. Solutio aquosa coloris est expers; ex solutione saturata Acidum coit in crystallos octaëdras; dum in vasis amplis sublimatur, parimodo crystallorum forma obtinetur. Solvitur etiam in alcohole, et oleis.

Centenarius Acidi Arsenicosi constat ex: arsenici 75,8; oxygenii 24,2 partibus. In solutione illius aquosa nulla apparet mutatio ex: sulphate ferri, bichlorido hydrargyri, tartrate stibii et potassæ, ex acidis mineralibus, uti etiam ex alcalibus. Sunt autem varia præparata chemica, quæ acidum hoc manifeste produnt; hæc igitur recensere, et varias methodos, quibus Acidum Arsenicosum detegi possit, perlustrare, e re fore censemus, quum artis medicæ periti, ubi mors hominem derepente obruerit, causam illius inquirere, et munere, quo funguntur, decernere sint obstricti, utrum obitus morbo acutissimo, an veneficio sit imputandus.

Præcipua, quæ ad detegendum Acidum Arsenicosum usurpantur, revelantia sunt:

1) *Aqua Hydrosulphurata* (Acidum Hydrothionicum liquidum) solutionem Acidi Arsenicosi aquosam colore tingit flavo; si vero acidum quodlibet addatur, sedimentum adparet flavum (sesquisulphuretum arsenici). Flavum etiam sedimentum dat aqua hydrosulphurata cum oxydo cadmii; sed sulphuretum cadmii in ammonia liquida insolubile est; sesquisulphuretum arsenici autem in illa facile solvitur. Arsenites alcalini nec colorem, nec sedimentum flavum manifestant ex additione aquæ hydrosulphuratæ; si vero acidum quodvis fortius addatur, sesquisulphuretum arsenici dejicitur colore flavo.

2) ***Sulphas Cupri Biammoniatus*** (Cuprum Ammoniacale) in solutione aquosa Acidi Arsenicosi gignit sedimentum ex flavo læte virescens (disarsenitem oxydi cupri, — viride Scheelianum); hujusmodi sedimentum in acidis et alcalibus exuberantibus solvitur, et disparet. Notandum tamen, infusum fabarum coffeæ crudarum, allii cepæ, aliarumque substantiarum, cum sul-

phate cupri biammoniato ejusdem coloris sedimentum producere.

3) *Aqua calcariæ*, si solutioni aquosæ Acidi Arsenicosi addatur, provocat sedimentum album (arsenitem calcariæ); hujusmodi sedimentum solvitur, si exuberent acida, vel ammonia, vel salia ammoniæ.

4) *Solutio Manganatis Potassæ impuri (Chameleonis mineralis* *), quæ coloris est ex violaceo rubescentis, ex minima quantitate Acidi Arsenicosi flavum induit colorem. Nonnisi conjunctim cum aliis revelantibus chemicis Acidum Arsenicosum testari potest, quum varia corpora, oxygenium absorbentia, idem phænomenon manifestent.

5) *Sulphas Ferri crystallisatus* cum arsenite ammoniæ refert sedimentum straminei coloris (arsenitem oxydi ferri), in acido acetico insolubile, quo a ferri oxydo facile distinguitur.

6) *Nitras Argenti* in solutione Acidi Arsenicosi sedimentum promit album, floccosum; in solutione autem arsenitis alcalini tale sedimentum coloris est flavi. Nitras Argenti Biammoniatus**) in solutione Acidi Arsenicosi dat sedimentum flavum (arsenitem argenti). Subphosphates alcalini cum solutione nitratis argenti dant pariter sedimentum flavum (subphosphatem argenti); sed præcipitatum, ab acido phosphorico proveniens, in acido acetico ægre solvitur; quod autem Acido Arse-

---

*) *Manganas Potassæ impurus.* Pars binoxydi mangani cum tribus partibus nitratis potassæ in crucibulo igne leniter rubente tamdiu calefit, donec massa, quæ initio funditur, iterum solidescat et fragilis fiat. Si particula multa aqua solvatur, mox color viridis saturatus apparet, qui sensim in violaceum et rubrum transit.

**) *Nitras Argenti Biammoniatus* obtinetur, dum solutioni nitratis argenti ammonia liquida tamdiu additur, donec præcipitatum, quod initio adparet, denuo solvatur.

30

nicoso productum est, facile solvitur in acido acetico. Præeunte Paris, solutio subphosphatis alcalini a solutione Acidi Arsenicosi sequenti modo distinguenda: guttis aliquot liquidi ancipitis madefiat charta scriptoria, et locus madefactus nitrate argenti fuso repetitis vicibus attingatur, quo facto, illinatur tantillo ammoniæ liquidæ; si stria in charta adparet coloris læte flavi, Acidum Arsenicosum est; si vero stria initio flava mox intensius virescat, et tandem nigrum assumat colorem, id subphosphatem alcalinum testatur. Dum e contentis in ventriculo ope nitratis argenti Acidum Arsenicosum disquiritur, sal culinare, alimentis admixtum, abundans gignit præcipitatum (chloridum argenti). Si hoc eveniat, demisso jam penitus chlorido argenti, in liquidum per chartam colatum immergatur bacillum vitreum, ammonia liquida prius madefactum; si Acidum Arsenicosum adest, sedimenti flavi instar adparet.

Exposita modo phænomena in solutione Acidi Arsenicosi aquosa facili modo provocantur; sæpe vero dum, instituta autopsia cadaveris, e contentis in ventriculo Arsenicum est eruendum, disquisitio chemica plus habet difficultatis, quum ob varia alimenta et antidota, ante obitum ingesta, nec non ob nimis exiguam toxici quantitatem, revelantium chemicorum virtus plus minusve hebetatur; hinc varias methodos, sub hisce rerum circumstantiis adhibendas, in medium proferre, rati sumus.

Si perscrutando ventriculum, vel vomitu ejecta, quidlibet suspicati veneni inveniatur, sic procedendum: sumatur parva veneni quantitas, e. g. granum, cui addatur grani dimidium carbonis pulverati, et carbonatis potassæ sicci granum; hæc probe mixta immittantur in

tubulum vitreum, parietibus tenuioribus præditum, quatuor circiter pollices longum, et quartam pollicis partem in diametro habentem; altera tubi extremitas aperta, altera hermetice clausa et in bulbum inflata sit. Ingerendus est pulvis ille in bulbum ope tubuli longioris e charta alba confecti, vel infundibuli vitrei longioris auxilio, nam omni cura cavendum, ne internæ tubi vitrei parietes dicto pulvere contaminentur. Bulbo sic onerato, et altero extremo leviter charta obturato, tubus vitreus flammæ lampadis alcoholicæ per horæ quadrantem exponitur, curando, ut sub initium pars tubi bulbo proxima calefiat, dein vero ipse bulbus continuo in flamma tenendus est. Si pulvis tubo immissus Acidum Arsenicosum continebat, Arsenicum sublimatur, et adhærendo internæ tubi parieti metalli ad instar nitet. Superior contentorum pars semper sub initium flamma exigua est calefacienda; serius vero, magis extrahendo lampadis ellychnium, intensior caloris gradus impertitur fundo tubi. Massam sublimatam reapse esse Arsenicum, dignoscitur odore allium similante, dum minima quantitas reducti metalli in ferrum igne rubefactum projicitur. Si autem quantitas sublimati Arsenici admodum exigua foret, tunc fracto bulbo tubi, pars illius crustam continens calefit, ut metallum oxydetur, quod revelantibus supra dictis disquisitum, phænomena Acidi Arsenicosi prodit.

Si venenum majori quantitate inventum foret, ultro via humida disquirendum esset; quem in finem particula illius solvatur in duabus aquæ destillatæ drachmis, et solutio revelantibus supra expositis tentetur, scilicet nitrate argenti biammoniato, sulphate cupri biammoniato, et aliis. Si sedimenta, revelantibus chemicis obtenta, cum pauxillo ceræ in tubo exploratorio calefiant, Arsenicum forma metalli sublimatur.

Præstantissima autem omnium, ad detegendas minimas Arsenici quantitates, profecto est methodus, cujus auctor MARSH extitit. Apparatus, quo absolvitur, sequens est: tubus vitreus ad formam litteræ U incurvatus, cujus crus brevius quinque, longius autem octo pollicum est. Extremitati cruris brevioris, ope suberis perforati, hermetice aptatum est epistomium *(кранъ)*, cujus rostrum, recta procurrens, foramine capillari instructum est. Crus longius tubi perticæ ligneæ, ad perpendiculum erectæ, adligatur. Exempto e crure breviori subere cum epistomio, fragmentum vitri, unum alterumve, in ipsam tubi curvaturam injicitur, illique frustulum zinci purissimi superadditur; quo facto idem crus brevius obturatur dicto subere perforato, epistomium continente, et nisi hermetice clausum fuerit luto resinoso obducitur. Dum liquidum suspectum hoc apparatu disquiritur, parva illius quantitas cum aqua destillata, cui sexta pars acidi sulphurici off. purissimi addita fuit, miscetur, et per crus longius in tubum tanta quantitate infunditur, ut superficies illius in crure breviori ad quartam pollicis partem a subere distet. Mox evolvitur hydrogenium, et si liquidum suspectum Arsenicum continebat, obtinetur gas hydrogenium arseniatum (As^2H^6), quapropter aperto epistomio, ut aër atmosphæricus primo expellatur, flamma rostro illius admovetur. Si super flammam gasis prosilientis lamina porcellanea teneatur, Arsenicum metalli forma illi adhærebit, quod, si lamina hæc invertatur, et super flammam lampadis alcoholicæ calefiat, iterum in Acidum Arsenicosum convertitur. Hac methodo $\frac{1}{110}$ grani pars, teste TODD THOMSON, detegi potest. Probe tamen cavendum est, ne zincum vel acidum, quod ad evolvendum hydrogenium adhibetur, Arsenico jam in-

quinatum sit, quo gravissimus error in dijudicanda mortis causa posset exoriri.

Deficiente tali apparatu, recte monente Professore Neljúbin, adhiberi potest infundibulum vitreum, orificio tenuissimo instructum. Liquidi suspecti unciæ tres quatuorve poculo infunduntur, eique zincum cum acido sulphurico additur, quo facto, liquidum mox obtegitur dicto infundibulo inverso, e cujus orificio gas hydrogenium prosilit, et admota flamma in lamina porcellanea Arsenicum prodit. Vel etiam: liquidum suspectum cum zinco et acido sulphurico immittitur in lagenam, cujus collum obturatur subere perforato, qui tubulum vitreum, tenuissimo orificio præditum, continet.

Si venenum, nec forma solida, nec in liquidis e ventriculo exemptis, quæ colando per chartam purificata et revelantibus explorata fuere, detegi ullo modo possit, et tamen ex symptomatibus, morti præcedentibus, conjecturam de toxico capere liceat: Orfila suadet, ut totum cadaver, in partes minimas dissectum, in magno lebete ferreo aut cupreo cum aqua destillata, cui grana decem aut duodecim potassæ fusæ addita fuerunt, per quinque aut sex horas coquatur, decoctum per linteum cum expressione coletur; a liquore frigefacto partes adiposæ absumantur, et, addito pauxillo acidi hydrochlorici, gas hydrogenium sulphuratum per illum transmittatur, quo sesquisulphuretum arsenici, cum materia animali junctum, partim dejicitur; liquor supernatans, addito uberius nitrate potassæ, ad siccum vaporetur; residuum parvis portionibus in crucibulo fictili ignito calcinetur, quo acidum arsenicicum potassæ junctum remanet. Ut de veneno certior fias, residuum calcinatum in aqua destillata solve, illique acidum sulphuricum ad saturationis punctum adde; dein calefac,

ut acidum nitricum et hyponitricum avolent, quo facto liquidum ad methodum Marsh commode explorare poteris *).

Notandum tamen, præparata stibii sub iisdem circumstantiis, ope hujus apparatus explorata, in capsulis porcellaneis maculas nigras producere, quæ primo aspectu cum similibus, ab Arsenico provenientibus, possent confundi; distinguuntur autem eo, 1° quod nonnisi partim avolent, dum flammæ gasis hydrogenii puri exponuntur; 2° quod, cum acido nitrico calori expositæ, in acidum stibiosum mutentur; acidum hoc ex solutione nitratis argenti nullam exhibet mutationem, acidum vero arsenicicum cum eadem solutione refert sedimentum ex rubro lateritium (Lassaigne).

V. Quamvis Acidum Arsenicosum atrocissimum omnium venenorum mineralium sit, nihilominus tamen, dum congrua dosi in quibusdam morbis adhibetur, remedium sistit perquam efficax. Intus porrigitur qua tonicum; extrinsecus applicatum escharoticum est. Dum modica dosi, scilicet ad $\frac{1}{12}$ vel $\frac{1}{8}$ grani quater aut quinquies in die exhibetur homini adulto, cujus vires diuturno malo non exhaustæ sunt, sequentia observantur symptomata: sensus ardoris in œsophago et ventriculo; alvi evacuationes liberæ et copiosæ, non tamen liquidæ. Si dosis aliquantulum adaucta et diutius continuata fuerit, subsequitur dolor in ventriculo, alvus fit laxa cum tenesmis. Modica etiam dosi ciborum appetentia et sitis increscunt; ægrotus accusat sensum caloris, qui a scrobiculo cordis ad totam corporis superficiem diffunditur, et frontem imprimis occupat. Symptomata hæc

---

*) Hic procedendi modus eo commendabilis est, quod liquidum a permeante gase hydrogenio in spumam non extollatur, quum a muco liberum sit.

comitantur febri, quæ nunquam typum constantem aut intermittentem sequitur, nisi ipsum remedium certis intervallis porrectum fuerit. Vis musculorum in contractiones magis prona fit; systema nervorum facilius excitatur; prævalet agrypnia; cutis fit sicca; urinæ secretio copiosa et, si Arsenici usus diu continuatus fuerit, salivatio manifestatur. Dum dosi nimia assumitur, symptomata gastritidis in conspectum veniunt, scilicet: vomitus continuus, alvus frequens et liquida, ardor et dolor in ventriculo ac intestinis, oppressio pectoris, ardor in cavo faucium et oris, nec non salivæ secretio adaucta; pulsus, qui initio erat plenus, durus et frequens, mox supprimitur; tandem subsequuntur sudores frigidi et convulsiones, obitum præsagientes. Si autem quantitas assumpti Arsenici non tanta fuerit, ut hominem extemplo morte perimat, enarrata modo symptomata vel plane desunt, vel multo mitiora sunt; haud raro serius observantur: paralysis, febris hectica, aliæque chronicæ infirmitates.

Corpora hominum Arsenico peremptorum brevi putrescere quidam affirmant; hoc tamen non semper obvenit. Cadavera hujusmodi plerumque maculis lividis et ecchymosibus undique consitis distinguuntur; oculi livore circumfusi sunt, ungues livent, et capilli prima jam mortis die haud raro decidunt; partes nonnullæ, et præsertim obscenæ, ex viridi luteo aut nigro colore fœdatæ cernuntur. Instituta cadaveris sectione, villosa ventriculi sæpissime (non tamen semper) invenitur erosa; interdum autem ventriculus variis in partibus ex toto perforatus. In maculis fusco-rubris, in ventriculo conspicuis, imprimis quærendæ sunt particulæ Acidi Arsenicosi, monente Berzelio. Signa inflammationis ad cuncta abdominis viscera propagantur; ef-

fusus sanguis in textu celluloso tubi intestinalis, exulcerationes et maculæ gangrænosæ hinc inde conspiciuntur. Cor est flaccidum, substantia ejus rubra, et in pericardio serum continetur. Pleura cernitur rubra, et cavitates ejus plerumque sero scatent. Pulmones sanguine turgent, et membrana mucosa tracheæ inflammata est. Cerebrum sanguine suffusum apparet; sed quando mors, non ex inflammatione, sed ex diuturna nervorum labe insequitur, nil peculiaris in cerebro animadvertitur.

Ob vim Arsenici lethalem, si deglutitum fuerit, omni cura conandum, ut promptissime e ventriculo eliminetur, quod optime syringis bivalvatæ, Anglis *stomach pump* dictæ, auxilio perficitur; post hoc protinus exhibeantur antidota, quorum præcipua sunt: hydras sesquioxydi ferri, aqua calcariæ, carbonas calcariæ, nec non, secundum alios, solutio saponis. Quod spectat ad usum hydratis sesquioxydi ferri, videsis Ferrum. Dum aqua calcariæ, vel carbonas ejusdem, qua antidotum Arsenici propinantur, ab acidis, ammonia, nec non a salibus ammoniæ prorsus abstinendum, quum arsenis calcariæ in aqua ferme insolubilis sit, accedentibus vero acidis, ammonia, vel salibus ejusdem, solubilis evadat. Hahnemann, dum dosibus medicaminum pondus habentibus uteretur, jussit libram saponis in quatuor aquæ libris solvere, et hujus solutionis singulis tribus aut quatuor minutis vasculum porrigere! Quum inflammatio ventriculi veneficium plerumque excipiat, evacuato, vel innocuo facto veneno, vena haud raro secanda est, aliaque adminicula methodi antiphlogisticæ non negligenda.

U. Acidum Arsenicosum, justa dosi et congrua forma porrectum, utile est in febribus intermittentibus,

æque ac in quibusdam morbis periodicis. Tantum vero abest, ut venenum hoc pro consueto febrium intermittentium remedio agnoscamus, ut illud tantum in iis casibus exhibitum esse velimus, ubi morbus cinchonæ aliisque præparatis refractarius extitit, ut hoc in febribus quartanis sæpius observare licet, vel ubi omni cura enitendum, ut morbus cito sanetur, quin iterum recurrat. Laudatur etiam in aliis affectionibus nervorum chronicis, uti epilepsia, chorea, et asthmate periodico. Teste Todd Thomson, cum successu porrigitur in lepra, rheumatismo chronico, hemicrania intermittente, et scirrho. Memorandæ hic veniunt *Pilulæ* sic dictæ *Asiaticæ*, quæ ex parte Acidi Arsenicosi, sex partibus piperis nigri et s. q. mucilaginis gummi arabici conficiuntur; harum pilularum usus suadetur in herpete maligno, aliisque cutis fœditatibus chronicis. Sunt, qui Arsenicum syphilidi inveteratæ, hydrargyro rebelli, opponendum esse censent. Arsenicum nunquam jejuno stomacho est propinandum. Confitendum interim, vehementia, qua vitæ humanæ minatur, omnibus remediis, quæ res medica offert, præire, ejusque usum maxima attentione et circumspectione dignissimum esse. Quamvis enim nullum detur venenum, quin cauto usu, refracta dosi, contrariis temperatum, in salutem hominum cedere queat, nihilo tamen minus Acido Arsenicoso cautissime est utendum; nam et felici ab initio eventui, sed doloso, tabida mors successit. Monro memorat observationem Duvali, Medici Londinensis, qui virum quarta grani parte, quam a circumforaneo agyrta contra febrem intermittentem acceperat, ereptum vidit. Ipsi vapores Arsenici venenati sunt, et pulmones imprimis lædunt; hinc metallorum fossores frequenter phthisi pulmonali corripiuntur. Mirum est, quantam

Acidi Arsenicosi copiam equi et pisces sine noxa devorare possint: a dosi refractissima ad drachmam usque; hac dosi equi, vermibus ventriculi laborantes, nullo modo læduntur, e contrario hilares fiunt et curantur.

Multa olim habebantur remedia externa composita, quorum præcipuum ingrediens Arsenicum erat; hæc omnino in curandis quibusdam morbis, chronico decursu insignitis, nec non in corrigendis ulceribus mali moris, imprimis vero cancere aperto, multum boni præstiterunt; postquam vero præparata hydrargyri primatum in cura morborum cutis obtinuere, Arsenici usus externus multo rarior factus est. Negari equidem non potest, ulcera carcinomatosa externa Arsenici applicatione emendari, et ad sanationem magis prona fieri; sed dum remedium nimia dosi extrinsecus ulceri admovetur (uti hoc, quando pulveris forma applicatur, facillime accidit), superficie exulcerata absorptum, symptomata veneficii provocat, et haud raro mortem induxit; præstat igitur forma lotionis aut unguenti Arsenicum extrinsecus admovere, eo potius, quum hisce modis applicatum dolorem non excitet tantum, qualem forma pulveris escharotici gignit. Pro lotione sumuntur grana octo Acidi Arsenicosi, eademque quantitas carbonatis potassæ, quæ in quatuor aquæ destillatæ unciis solvuntur. Unguentum componitur, drachmam Acidi Arsenicosi cum duodecim drachmis unguenti simplicis miscendo.

D. Acidum Arsenicosum datur adulto a $\frac{1}{12}$ ad $\frac{1}{8}$ grani partem, bis aut ter in die; feminis non ultra duodecimam grani partem porrigere licet; adolescentibus exhibetur $\frac{1}{17}$ grani pars; infantibus, septem aut duodecim annos natis, datur $\frac{1}{20}$ vel $\frac{1}{24}$ grani pars. Forma

pulveris rarissime adhibetur; aliquando in pilulis propinatur, et tunc granum Acidi Arsenicosi cum aliquot granis sulphuris purificati conteritur, addita dein mica panis, massa in pilulas decem dividitur, quarum una pro dosi datur. Frequentissima Acidum Arsenicosum exhibendi forma est solutio Disarsenitis Potassæ (As^2O^3, 2KO), quæ vulgo solutio arsenicalis seu Fowleri dicitur; hanc videsis in parte tertia.

TABULÆ COMPARATIVÆ SEDIMENTORUM.

Ex *Aqua Hydrosulphurata* oritur sedimentum in liquido continente:

Liquidum.	*Acidum Arsenicosum.*	*Bichloridum Hydrargyri.*	*Tartratem Stibii et Potassæ.*	*Chloridum Barii.*
Aqua.	Læte flavum; addito acido acetico intensius flavum.	Initio flavum, mox nigrescens; concussum albescens.	Aurantiacum coagulatum, partim liquori innatans.	Ponderosum, intensius fuscum.
Jus ex carne *(Бульонъ)*.	Initio nullum; addito ac. acetico, flavescens.	Initio flavescens, mox in floccos nigros albosque abit.	Aurantiacum pallescens.	Ponderosum, impurum, dilutius fuscum.
Jus cum brassica fermentata *(Щи)*.	Flavum virescens.	Initio coloris flavi, dein aurantiaci.	Aurantiacum floccosum, mox rubidius.	Liquor non mutatur.
Jus ex brassica ferm. cum osmeris eperlanis *(Щи съ снятками)*.	Flavum dilutius.	Flavum, mox in cinereum, et nigrum abiens.	Aurantiacum.	Liquor non mutatur.
Jus ex brassica ferm. cum fungis *(Щи постныя съ грибами)*.	Flavum, ægre subsidens.	Aurantiacum, mox fuscum, dein nigrum.	Aurantiacum.	Liquor non mutatur.
Jus cum betis *(Борщъ)*.	Liquor flavescit; calefactus turbatur.	Liquor flavescit et turbatur. Ebullitione nigrescit.	Liquor flavescit; ebullitione aurantiacus fit.	Liquor non mutatur.
Lac.	Initio nullum; addito ac. acetico stramineum.	Flavum dilutius.	Ex aureo flavum.	Impurum, ferrugineo - pallescens in fuscum vergens.
Infusum theæ.	Initio flavescens, dein viride-flavum.	Ex fusco albescens et flavum simul.	Aurantiacum, coagulatum. Liquor supernatans flavus.	Impurum, initio dilutius fuscum, dein intensius.
Vinum Lusitanicum album *(Мадера)*.	Ex flavo pallescens, ægre subsidens.	Luteum, sensim premit floccos nigricantes.	Aurantiacum pallescens, lente subsidens.	Vinum album fit turbidum.
Vinum Lusitanicum rubrum *(Портвейнъ)*.	Flavo - pallescens.	Idem, liquori innatans.	Intensius fuscum, impurum.	Fuscum dilutius, ponderosum.
Infusum coffeæ.	Spissum, ex aureo flavum.	Fusco - nigrum.	Spissum, ex fusco rubescens.	Needum disquisitum.
Puls avenacea.	Flavum pallescens, liquori innatans.	Fuscum dilutius, ægre subsidens.	Aurantiacum pallescens.	Needum disquisitum.

Ex solutione *Hydrosulphureti Potassii* oritur sedimentum in liquido continente :

Liquidum.	*Acidum Arsenicosum.*	*Bichloridum Hydrargyri.*	*Tartratem Stibii et Potassæ.*	*Chloridum Barii.*
Aqua.	Album fllavescens.	Nigrum, hinc inde flavescens.	Aurantiacum vividius.	Spissum olivaceum.
Jus ex carne *(Бульонъ).*	Flavum pallescens vividius.	Nigrum, grumosum, hinc inde cinereum.	Aurantiacum intensius, ponderosum.	Fuscum dilutius.
Jus cum brassica fermentata *(Щи).*	Ad aurantiacum vergens.	Fuscum, mox nigrescens.	Aurantiacum.	Liquor non mutatur.
Jus ex brassica ferm. cum osmeris eperlanis *(Щи съ снятками).*	Flavum.	Initio flavum, dein fuscum, tandem nigrum.	Aurantiacum copiosum.	Liquor non mutatur.
Jus ex brassica ferm. cum fungis *(Щи постныя съ грибами).*	Ex aureo flavescens.	Initio fuscum, dein nigrum.	Aurantiacum.	Liquor non mutatur.
Jus cum betis *(Борщъ).*	Ex aureo flavum.	Initio fuscum dein nigrum.	Aurantiacum rubescens.	Liquor non mutatur.
Lac.	Ex aureo flavum vividum.	Nigrum, grumosum.	Aurantiacum.	Fuscum, concusso liquido virescens.
Infusum theæ.	Læte flavum.	Ex fusco nigrescens.	Aurantiacum rubescens, floccosum.	Necdum disquisitum.
Vinum Lusitanicum album *(Мадера).*	Flavo-sulphureum.	Album impurum.	Aurantiacum dilutius.	Vinum album fit turbidum.
Vinum Lusitanicum rubrum *(Портвейнъ).*	Ex fusco cinereum.	Cinereum intensius; liquidum violaceum.	Fuscum intensius, in aurantiacum vergens.	Violaceum ponderosum.
Infusum coffeæ.	Ex aureo flavum intensius.	Ferme nigrum.	Fusco-aurantiacum.	Necdum disquisitum.
Puls avenacea.	Flavum vividius.	Nigrum, floccosum.	Aurantiacum grumosum.	Flavo-virescens intensius.

Ex solutione *Sulphatis Cupri biammoniati* oritur sedimentum in liquido continente:				
Liquidum.	***Acidum Arsenicosum.***	***Bichloridum Hydrargyri.***	***Tartratem Stibii et Potassæ.***	***Chloridum Barii.***
Aqua.	**Virescens; addito ac. acetico, sedim. evanescit.**	**Album spissum.**	**Cæruleo-albescens dilutius.**	**Cæruleo-albescens.**
Jus ex carne *(Бульонъ).*	**Virescens dilutius, liquori innatans.**	**Album coagulatum.**	**Cæruleo-albescens et virescens.**	**Glaucum.**
Jus cum brassica fermentata *(Щи).*	**Virescens, diu liquori innatans.**	**Cæsio-virescens.**	**Cæruleo-virescens.**	**Cæruleo-virescens.**
Jus ex brassica ferm. cum osmeris eperlanis (*Щи съ снятками*).	**Virescens.**	**Cæsium.**	**Cæruleo-virescens.**	**Cæsium.**
Jus ex brassica ferm. cum fungis (*Щи постныя съ грибами*).	**Virescens dilutius.**	**Viride.**	**Cæruleo-virescens.**	**Cæsio-virescens.**
Jus cum betis (*Борщъ*).	**Flavo-virescens.**	**Cæruleo-virescens.**	**Cæruleo-virescens.**	**Cæsio-virescens.**
Lac.	**Cinereo-virescens dilutius.**	**Cæruleum pallescens, coagulatum.**	**Cæruleo-albescens.**	**Albo-cæruleum.**
Infusum theæ.	**Liquor fit olivaceus; sedim. vix promit.**	**Albo-flavescens, impurum, coagulatum.**	**Cæruleo-virescens dilutius.**	**Cinereum; liquor fit flavo-virescens.**
Vinum Lusitanicum album (*Мадера*).	**Cinereo-virescens.**	**Grumosum, albo-virescens.**	**Cæruleo-virescens (æruginosum).**	**Vinum album fit turbidum.**
Vinum Lusitanicum rubrum (*Портвейнъ*).	**Grumosum, cinereo-virescens saturatius.**	**Grumosum cinereo-cæruleum.**	**Cæruleo-cinereum impurum.**	**Cinereo-violaceum, impurum.**
Infusum coffeæ.	**Virescens saturatius.**	**Album impurum.**	**Cæruleo-virescens, impurum.**	**Needum disquisitum.**
Puls avenacea.	**Læte virescens.**	**Cæruleo-albescens dilutius.**	**Cæruleo-virescens dilutius.**	**Cæruleo-virescens dilutius.**

Ex solutione *Nitratis Argenti biammoniati* oritur sedimentum in liquido continente:

Liquidum.	*Acidum Arsenicosum.*	*Bichloridum Hydrargyri.*	*Tartratem Stibii et Potassæ.*	*Chloridum Barii.*
Aqua.	Flavo-sulphureum vividius, floccosum.	Albo - flavescens, grumosum, dein impurum.	Fuscum pallescens.	Album ponderosum, mox nigrescens.
Jus ex carne (*Бульонъ*).	Album, addito ac. nitrico flavescit.	Album, copiosum.	In fuscum vergens et multum chloridi argenti continens.	Album, spissum coagulatum.
Jus cum brassica fermentata (*Щи*).	Flavo - albescens, mox violaceum.	Flavo-albescens.	Ex flavo-albescens.	Album.
Jus ex brassica ferm. cum osmeris eperlanis (*Щи съ снятками*).	Album.	Album.	Album.	Album.
Jus ex brassica ferm. cum fungis (*Щи постныя съ грибами*).	Flavo-albescens.	Album.	Album.	Album.
Jus cum betis (*Борщъ*).	Album.	Album.	Album.	Album.
Lac.	Album, aliquantulum flavescens.	Album impurum.	Fuscum pallidissimum, vix conspicuum.	Necdum exploratum.
Infusum theæ.	Albo - flavescens, mox nigrescens.	Album impurum.	Fuscum impurum.	Necdum exploratum.
Vinum Lusitanicum album (*Мадера*).	Flavo-sulphureum pallescens.	Album impurum, dein nigrescens.	Album.	Vinum album fit turbidum.
Vinum Lusitanicum rubrum (*Портвейнъ*).	Album, influxu lucis in fuscum abiens.	Album, dein nigrescens.	Album impurum.	Ponderosum, album impurum.
Infusum coffeæ.	Flavum.	Album, dein nigrescens.	Necdum exploratum.	Necdum exploratum.
Puls avenacea.	Flavescens.	Spissum, album impurum, grumosum.	Necdum exploratum.	Spissum, album.

AURUM.

Au.

Золото.

Metallum hoc in omnibus ferme terræ regionibus occurrit; sat insigni copia effoditur in Americæ australis regionibus, nec non apud nos in Siberia, tum nativum, tum minerarum instar.

Quum Aurum venale cupro junctum sit, nonnisi purificatum in usum pharmaceuticum est ducendum. *Aurum purum* obtinebis sequenti modo: Aurum venale solve in acido hyponitrico chlorato (aqua regia); liquori neutri in vase vitreo amplo tamdiu adde solutionem sulphatis ferri per chartam colatam (recens paratam), donec sedimentum fusco-rubrum (quod Aurum metallicum est) adpareat; hoc, aqua destillata ablutum, digere cum acido hydrochlorico diluto, ut oxydum ferri, si tale forte adesset, absumatur; dein iterum aqua ablutum, cum nitrate potassæ et biborate sodæ igne intensiori in crucibulo funde. *Usuale est*: Polychloridum Auri et Sodii.

Q. Colore est flavo, ingentique splendore metallico præditum; in bracteas tenuissimas malleo extendi potest, nec datur metallum ductilius Auro. Pondus specif. = 19,4; igne candente funditur, quo in statu colorem nanciscitur læte viridem. Nonnisi in acido hyponitrico chlorato solvitur.

POLYCHLORIDUM AURI et SODII.

$Na\,Cl^2 + Au^2\,Cl^6 + 4aq.$

AURUM MURIATICUM NATRONATUM.

Хлористое золото съ натріемъ.

℞. Auri puri partes sexaginta quatuor,
Chloridi Sodii sicci (Salis culinaris decrepitati) partes quadraginta sex,

Acidi Hyponitrici chlorati partes ducentas quinquaginta,

Aquæ destillatæ quantum opus.

Aurum in acido solutum ad siccum usque evapora. Polychloridum Auri, hoc modo obtentum, simul cum chlorido sodii solve in sufficienti aqua, et vaporando leni calore in crystallos coge, quas in vase probe obturando usui serva. Si sexaginta quatuor grana auri puri, et quadraginta sex chloridi sodii sicci sumpseris, centum viginti octo grana salis crystallisati obtinebis.

Q. Crystalli sistunt prismata tetraëdra, rectangularia, coloris flavi, aurantii. In aqua facile solvitur. Centenarius constat ex: polychloridi auri 76,32; chloridi sodii 14,68, et aquæ 9 partibus. Dum rite paratum est, si calori adaucto exponatur, ex 100 granis Polychloridi Auri et Sodii, $49\frac{3}{4}$ grana auri puri obtineantur necesse est.

Insociabile est hocce remedium salibus metallicis, omnibus acidis, uti etiam oleis æthereis et partibus plantarum, hujusmodi oleis scatentibus.

V. Corrosiva; bichlorido hydrargyri suppar, quin tamen adeo pertinacem salivationem provocet; systema lymphaticum et glandulas imprimis afficiens; excedentem vegetationem deprimens.

U. In syphilide inveterata tunc tantummodo eximium præstare fertur effectum, ubi, præmissis jam hydrargyri præparatis, morbus in eodem statu manet. Minime tamen suademus usum illius in syphilide primaria, nam nec satis adhuc constat, an hoc in casu revera utile sit, nec licet, ob nimium auri pretium, illud in morbo tentare, ubi vis salutaris hydrargyri præparatorum nulli jam dubio subjacet. Non est præterea reticendum, curationem syphilidis multo fieri diu-

turniorem si auri, quam si hydrargyri præparato utaris. In scrofulis, morbo necdum inveterato, sed nimium torpescente, a multis laudatur; huc referuntur: ophthalmia scrofulosa, struma, et generatim indurationes glandularum atque infarctus viscerum abdominalium, uti etiam menstruorum anomaliæ et indurationes uteri. In cancere, mitigando malo, non vero curando par est, quo in casu parti carcinomate affectæ $\frac{1}{12}$ grani pars infricatur. In hydrope, obstructionibus viscerum, inertia vasorum lymphaticorum et torpore systematis uropoëtici stipato, cum successu propinatum fuisse perhibetur. Ad curandas varias cutis fœditates, puta: herpetem exedentem, tineam capitis inveteratam et varias lepræ species, cum felici eventu usurpatum fuit.

Inhibetur usus Polychloridi Auri et Sodii statu febrili, sordibus in ventriculo accumulatis, diarrhœa, menstruis fluentibus, debilitate nervorum et ætate infantili.

D. Porrigitur adulto a $\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{12}$ — $\frac{1}{8}$ grani parte, et sensim augendo dosin usque ad granum, semel aut bis in die, forma guttularum in aqua destillata solutum; forma pulveris cum saccharo, aut amylo; pilularum instar cum quolibet extracto aquoso.

BARYTA.

BaO.

Terra ponderosa.

Баритъ.

Est oxydum Barii, quod forma metalli Davy primus eduxit. Invenitur tum acido carbonico *(Witherites)*, tum acido sulphurico *(Spathum ponderosum)* juncta. Baryta obtinetur pura, dum carbonas illius cum decima parte fuliginis purificatæ intime miscetur, et cum

sufficienti mucilagine in massam duram redactus, in crucibulo, pulvere carbonum implendo et probe obtegendo, per horam igne, ad candescentiam usque adaucto, uritur. *Usualia sunt:* 1) Chloridum Barii crystallisatum; 2) Nitras Barytæ.

Q. Massam refert cinereo-albam, duram, in pulverem facile redigendam. Pond. specif. = 4,00; nonnisi igne intensissimo funditur; saporis caustici, alcalini; corpora animalia destruit, et alcalinam potentiam exserit. Acre est venenum.

CHLORIDUM BARII CRYSTALLISATUM.

$BaCl^2 + 2aq.$

MURIAS BARYTÆ.

Хлористый барій.

℞. Sulphatis Barytæ nativi (spathi ponderosi) partes octo,
Carbonis lignei pulverati partes duas,
Farinæ secalitiæ partem.

Sulphatem barytæ in pulverem subtilissimum, elutrationis ope, redige, illique carbonem et farinam adjice. Hæc exacte commista in massam depsilem ope aquæ subige, ex qua finge cylindros, sesquipollicem circiter crassos; hos, dum siccati fuerint, super stratum carbonum in furno reverberii colloca, et carbonibus ardentibus coopertos per bihorium igne candente ure. Ustione peracta, et omnibus furni spiraculis rite clausis, totum refrigerationi committe. SULPHURETUM BARII, hoc modo eductum, coloris est hepatici, pallescentis.

℞. Sulphureti Barii partem, quod in vase vitreo aut fictili in quatuor aquæ partibus solve; dein, spatha lignea movendo, tamdiu acidum hydrochloricum adfun-

de, donec liquor qualitatem acidam mitissimam referat; acidi vero copiam caveas. Gas hydrogenium sulphuratum, quod hac sub operatione abunde extricatur, admota flamma accendes, vel perflatu eliminabis, ne inspiratum noxam adferat. Liquorem, qui Chloridum Barii solutum continet, per chartam cola, et residuum in filtro aqua calida elue. E liquoribus colatis vaporando crystallos elice, quas iterata solutione et crystallisatione purifica.

Q. Crystalli ejus sunt albæ, pellucidæ, splendentes, prismata vel tabulæ rhomboëdræ; pond. specific. = 2,825. Aëri expositum non mutatur; saporis est salini, acris, amari, ingrati. Calore adaucto crepitationem exserit; igne rubente funditur, et aqua crystallisationis orbatur. Pars Chloridi Barii solvitur in $2\frac{1}{2}$ aquæ ad + 13° R. temperatæ; bullientis vero tantummodo pars cum dimidia necessaria est ad solutionem; in alcohole parva quantitate solvitur. Centenarius constat ex: barii 56,22; chlori 29,04; aquæ 14,74. Si Chloridum Barii, aëri expositum, humescit, vel chloridum calcii, vel chloridum strontii ei admixta sunt; a hisce liberatur digestione cum alcohole absoluto. Vestigia metallorum deteguntur in solutione illius ope hydrogenii sulphurati. Insociabile est Chloridum Barii sulphatibus, phosphatibus, carbonatibus et oxalatibus alcalinis, nec non omnibus acidis.

V. Vasa absorbentia stimulans. Majori dosi datum venenum est, et anxietatem, nauseam, vomitum, vertiginem, artuum tremorem cum sudore frigido excitat. Nimia quantitate deglutitum cito mortem inducit, et noxiam vim præ cæteris cerebro et cordi infert, ut Brodie asserit. Antidota, si tempestive porrigantur, sunt: sulphas sodæ, potassæ, aut magnesiæ.

U. In adfectionibus scrofulosis primitus a Crawford laudatum, atque serius a Hufeland in morbis oculorum et pulmonum, si scrofulosæ sunt indolis, commendatum fuit. Tumorem glandularum discutit, et varia exanthemata chronica reprimit. Virtus remedii antisyphilitica, a nonnullis laudata, non magni pendenda est. Extrinsecus solutionis forma (semidrachma ad aquæ unciam) admovetur tumoribus glandularum.

D. Adulto a $\frac{1}{6}$ grani parte, caute et sensim augendo dosin ad grana duo, bis aut ter in die. Infantibus datur solutionis instar, e scrupulo Chloridi Barii et aquæ destillatæ uncia (cujus 40 guttæ granum circiter continent), et quidem: infantibus tres annos natis guttæ tres, quinque ad decem propinantur pro dosi, adultioribus guttæ quindecim ad triginta.

NITRAS BARYTÆ.

BaO, N^2O^5.

Азотнокислый баритъ.

℞. Chloridi Barii crystallisati quantum vis,

Aquæ destillatæ quantum opus sit, ut solvatur; solutioni sensim adfunde carbonatem sodæ in aqua destillata solutum. Carbonatem Barytæ, forma pulveris albi, insolubilis, hoc modo obtentum, aqua destillata probe ablue, eique acidum nitricum dilutum tamdiu adfunde, donec nulla effervescentia adpareat, et acidum nonnihil exuberet; tum liquorem calefactum per chartam cola, et vaporando crystallos elice, quas iterata solutione purifica.

Q. Crystalli sunt albæ, pellucidæ, octaëdræ, in aëre mutationi non obnoxiæ; saporis est acris, salini, amari. Solvitur in octo partibus aquæ temperatæ, et in tri-

bus bullientis. Centenarius constat ex: acidi nitrici 41,44; barytæ 58,56 partibus.

U. Qua revelans chemicum, ad detegendum acidum sulphuricum, tantummodo adhibetur.

BISMUTHUM.

Bi.

Marcasita.

Висмутъ.

Occurrit nativum in metallifodinis Siberiæ Colyvano-Voscresensibus, plerumque tamen invenitur junctum cum sulphure, cupro, plumbo, selenio, tellurio, cobalto, arsenico et aliis; hac forma obvenit in metallifodinis Berezowiensibus prope Ecatherinopolium; sic etiam in Saxonia, Bohemia, Succia, Norwegia, Anglia et Gallia. Ad eliciendum metallum purum, Bismuthum venale in acido nitrico officinali solvitur; solutioni, caute effusæ, aqua uberius additur, ex quo subnitras bismuthi dejicitur; addito dein pulvere carbonum, vel fluxu nigro, leni calore *Bismuthum* eliquatur *purificatum*.
Usualis est: Subnitras Bismuthi.

Q. Colore est albo argenteo, aliquantulum rubescente; splendore metallico; in crystallos coit octaëdras et cubicas; fracturam exhibet lamellosam; pond. specif. = 9,83; est durum, et adeo fragile, ut in pulverem tenuari queat; antequam igne rubeat funditur, scilicet ad 198° R., igne candente in vapores abit, et in vasis clausis destillat.

SUBNITRAS BISMUTHI.

$4BiO, N^2O^5 + 3aq.$

Magisterium Bismuthi.

Азотнокислый висмутъ.

℞. Bismuthi purificati unciam,
Acidi Nitrici officinalis uncias duas.

Acidum nitricum duabus unciis aquæ destillatæ dilue et in cucurbitam vitream amplam infunde; huic parvis portionibus adjice bismuthum pulveratum, nimiam evitando effervescentiam, qua finita, liquorem ad ebullitionem calefac, dein ab igne remotum linque, ut sedimentum ponat. Liquorem caute effunde, et vaporando in vase porcellaneo tertiam partem consume; tum liquorem sub continua agitatione infunde in vas, decem libras aquæ destillatæ continens, quo Subnitras Bismuthi, instar præcipitati albi, copiosi, apparebit; hunc super linteum aqua destillata tamdiu ablue, donec aqua lotionis insipida sit, et siccatum usui serva.

Q. Colore est albo nitidissimo, et squamulas exhibet crystallinas; saporis ferme expers; in aqua insolubilis; ex hydrogenio sulphurato et hydrosulphatibus nigrescit. Centenarius constat ex: oxydi bismuthi 80,00; acidi nitrici 13,58; aquæ 6,42. Subnitras Bismuthi venalis, si carbonate quolibet inquinatus est, in acido nitrico diluto cum effervescentia solvitur; si in hujusmodi solutione ex instillato acido sulphurico præcipitatum oritur, id plumbum vel calcariam indicat; si in dicta solutione ex nitrate barytæ vel nitrate argenti quidlibet dejiciatur, id sulphatem vel etiam chloridum quodlibet, aut phosphatem designat. Subnitras Bismuthi, dum ab omni heterogeneo metallo purus est, in acido nitrico diluto solutus, et cum carbonate calcariæ absque calore digestus, ex toto præcipitatur, et liquor supernatans effusus, ex hydrogenio sulphurato minime turbatur; si vero nigrum appareret sedimentum, id plumbum; si album, id zincum indicaret.

V. Antispasmodica; tonica.

Nimia dosi datum nauseam et vomitum, dolorem in ventriculo et intestinis, nec non pectoris oppressio-

nem et summam anxietatem parit. Dum hujusmodi symptomata comitantur rigore artuum, vertigine et convulsionibus, mors plerumque insequitur. Instituta autopsia cadaveris, ventriculus inflammatus et exulceratus apparet; intestina, duodenum et jejunum, parimodo inflammata sunt. Pulmones conspiciuntur sanguine fusco-rubro impleti, et hepatis indolem produnt; tale symptoma ex corrosiva veneni qualitate difficile explicatu est; hinc toxico vis, sympathico modo in nervos agendi, tribuenda esse videtur. Cura potionatorum nititur: potu copioso lactis vel alius liquidi mucilaginosi, venæsectione et hirudinibus, fomentis et clysmatibus emollientibus.

Ad disquirendum venenum materies vomitu ejecta, vel si mors insequuta fuerit, in ventriculo contenta, ad siccum vaporentur, et siccata, atque cum pulvere carbonis lignei mixta, in crucibulo cooperto calcinentur, quo metallum distinctu facile obtinetur.

U. Dum ciborum concoctio languet, tunicis ventriculi non degeneribus, roborante vi suppetias fert. Aliquando cum successu propinatum fuit ad sedandum vomitum in cholera morbo. Virtute antispasmodica etiam profuit quibusdam in casibus ad leniendam cordis palpitationem, nec non in epilepsia. Juvat in pyrosi, gastrodynia et aliis quibusdam dyspepsiæ varietatibus.

D. Adulto datur granum, vel duo, forma pulveris cum saccharo, quater, aut sæpius in die; gradatim adscendendo, grana decem vel duodecim aliquando propinare licet.

BROMUM.

Br.

Бромъ.

Materia peculiaris, elementis adnumerata, quam Balard primus (a. 1826) detexit. Obvenit conjunctim cum jodo in aqua e fontibus salinariis scaturiente, imprimis ad civitatem Staraja Russ (Vid. Tab. Aq. miner.), uti etiam in aqua marina, quamvis parva quantitate, nam centum libræ aquæ marinæ, ad sinum Tergestinum haustæ, tantummodo quinque grana bromidi sodii obtulere; invenitur parimodo in quibusdam plantis et residuis animantium, mare incolentium.

Methodus Bromum obtinendi sequens est: per liquorem post excussum sal culinare residuum, et in crystallos non amplius cogendum, gas chlorum tamdiu transmittitur, donec color aurantius adparere cesset (nimium chlori excessum cavendo), quo Bromum a magnesio et sodio, quibus junctum erat, liberatur; dein liquor cum æthere quassando miscetur. Æther colore fusco-rubescente tinctus separatur, et liquori nova ætheris quantitas superfunditur, eodem modo procedendo. Solutiones Bromi æthereæ in unum colliguntur, et nulla data mora (ne bromidum carbonei generetur), cum potassa liquida probe miscentur et quassantur, donec æther limpidus supernatet. Solutio bromidi potassii et hydrobromatis potassæ, sic obtenta, ad siccum vaporatur et igne leniter rubente calefit. Residuum, addita tertia parte binoxydi mangani et parte una acidi sulphurici officinalis, pari aquæ pondere diluti, retortæ, collo longo instructæ, immittitur et Bromum calore lenissimo educitur, quod excipulo, aquam frigidam continente et glacie frigefacto, colligitur. *Usuale est:* Bromidum Potassii.

Q. Bromum, ad communem aëris temperiem liquidum sistit coloris fusci rubescentis; pond. spec. = 2,99. Admodum volatile est, hinc in aëre, etiamsi temperato, vapores emittit, qui illis acidi nitrosi haud absimiles sunt; bullit ad + 36° R. et congelatur ad — 16° R. in massam crystallinam, lamellosam, coloris hinc inde plumbei, metallico splendore præditam; odoris est ingrati, penetrantis; saporis adstringentis, nauseosi, urentis. Materiæ vegetabiles, et imprimis amylum, colore flavo, qui serius in fuscum abit, a Bromo tinguntur. Cutem mox destruit, sensum acerrimæ ustionis et inflammationem provocando. Vapores Bromi excitant pectoris oppressionem, tussim, cephalæam et vertiginem; quæ symptomata elapsis aliquot horis evanescunt; si autem in aëre atmosphærico parva quantitate diffusi sint, nullum adferunt incommodum.

BROMIDUM POTASSII.

KBr^2.

Hydrobromas Potassæ.

Бромистый калій.

℞. Hydratis potassæ fusi partem, quem solve in quindecim aquæ partibus; solutionem immitte vasi altiori et angusto, dein ope infundibuli longioris, quod ad fundum usque vasis pertineat, tantum bromi sensim sensimque sub continua agitatione adfunde, donec liquor aliquantulum coloratus appareat; tum in vase porcellaneo ad siccum evapora. Massam salinam in crucibulo platineo funde, et igne obscure rubente per aliquot momenta fusam sustine, dein frigefactam in aqua destillata iterum solve, et in crystallos coge.

Q. Crystalli sunt cubicæ, albæ, pellucidæ, margaritaceæ; saporis est pungentis, salini, sal culinare æmu-

lantis; in aëre non mutatur; calori adaucto expositum crepitat, et igne rubente funditur, quin discidium ferat; in aqua facillime solvitur; alcohol autem parvam illius quantitatem absumit. Centenarius constat ex: bromi 66,63 et potassii 33,37 partibus. Ob similes qualitates posset confundi cum jodido potassii; sed Bromidum Potassii, si illi acidum sulphuricum concentratum superfundatur, nullos emittit vapores violaceos.

V. Stimulans; resolvens; in glandulas eodem fere modo ac jodidum potassii virtutem exserit.

U. Novissimis temporibus laudatum fuit a Magendie in scrofulis, menostasia et hypertrophia ventriculorum cordis; bono etiam successu adhibitum fuit ab eodem in tumore lienis, quod etiam Dr Williams expertus est. Extrinsecus in usum ducitur unguenti forma ad dissipandos tumores scrofulosos, uti etiam ad profligandam tineam capitis, et herpetem madidum.

D. Grana duo ad quatuor, bis aut ter in die porriguntur adulto. Pro unguento sumitur drachma dimidia vel integra Bromidi Potassi ad unciam axungiæ, cujus scrupulus aut drachma infricatur tumori.

CALCARIA.

CaO.

Calx.

Известь.

Metallum leve Calcium, oxygenio junctum, Calcariam constituit, quæ variis corporibus in tota natura abunde inhæret. Occurrit Calcaria in fossilibus, præcipue cum acido carbonico instar cretæ, marmoris, spathi calcarei, et cum acido sulphurico, ut gypsum etc.; in vegetabilibus cum variis acidis salium instar continetur; in animalibus tandem, acido carbonico junc-

ta, varias conchas et testas, cum acido autem phosphorico et carbonico ossa constituit. *Usualia sunt:* 1) Calcaria, et Aqua Calcariæ; 2) Carbonas Calcar.; 3) Chloridum Calcii; 4) Hypochloris Calcar.

CALCARIA.

Calcaria caustica; Calx usta seu viva.

Жженая известь.

℞. Carbonatis Calcariæ nativi (Spathi calcarei, aut Marmoris albissimi) quantum lubet.

Fragmenta carbonatis calcariæ in furno reverberii cum carbonibus sic colloca, ut strata utriusque alternent; tum ignem excita initio lenem, quem sensim adauge, et per plures horas sat intensum sustine; exempta e furno fragmenta Calcariæ ustæ immitte vasi terreo sat amplo, illisque tantillum aquæ superfunde, ut in pulverem (Hydratem Calcariæ) dilabantur, quem crucibulo immissum igne candente denuo ure, ut ab acido carbonico prorsus liberetur. Calcaria caustica in vasis examussim obturatis servanda est.

AQUA CALCARIÆ.

Aqua Calcis.

Известковая вода.

℞. Calcariæ causticæ partem,
Aquæ communis partes quinquaginta.

Calcariam lagenæ immitte, illique superfunde aquam. Liquorem quasi lacteum (Lac Calcis), per vices agitandum, in lagena clausa per aliquot horas sepone; tum Aquam Calcariæ, sedimento posito, in lagenas probe obturandas, et ex toto implendas, caute effunde.

Q. Calcaria massam exhibet albam, friabilem, inodoram, igne intensissimo difficulter fusilem; saporis est caustici, urentis, amari; linguæ adhæret illamque exe-

dit. Pond. specif. = 2,3. Centenarius Calcariæ constat ex: 71,91 calcii; 28,09 oxygenii. Avidissima est aquæ et acidi carbonici; hinc aëri exposita eadem attrahit et in pulverem fatiscit. Quæ multum acidi carbonici attraxit, utpote usui medico inepta, facile cognoscitur, quod affusis acidis effervescentia suboriatur. Affusa aqua incalescit, vehementer turgescit, et in subtilissimum pulverem album, hydratem calcariæ *(Calx extincta)* dictum, dilabitur. Hydras calcariæ solvitur in 600 aquæ temperatæ partibus, calidæ autem duplam exposcit quantitatem. Solutio saturata (Aqua Calcariæ) limpida est, saporis alcalini; aëri exposita mox in superficie cuticula (carbonate calcariæ) tegitur, quæ dein fundum petit; hoc tamdiu apparet, donec ultimæ particulæ in carbonatem mutentur. In usum medicum nonnisi recens parata ducitur.

V. Aquæ Calcariæ adstringens; antacida; lithontriptica. Differt Calcaria a reliquis alcalibus imprimis eo, quod cohæsionem partium non minuat, sed potius fibras musculares et membranas mucosas roboret. Calcaria recens usta vim habet causticam.

U. Aqua Calcariæ in morbis membranarum mucosarum præ cæteris inclaruit. In acore primarum viarum, colluvie pituitosa comitato, unciæ duæ tresve cum lacte, vel infuso quolibet aromatico, bis vel ter in die sumuntur. In mucoso alvi fluxu diuturno et lienteria, in vomitu chronico pervicaci, imprimis si membranæ ventriculi et intestinorum villosæ exulcerationes sublatent, uti etiam in diarrhœa infantum, sedibus alvinis viridi colore distinctis, et muci copiam efferentibus, insigni pollet efficacia. In catarrho vesicæ urinariæ, morbo ætati senili præ cæteris proprio, stricturas ure-

thræ inveteratas plerumque concomitante, atque urina fœtida, muco purulento referta, distincto, usus illius internus maximi est emolumenti; haud raro eadem aliquantulum diluta in ipsam vesicam urinariam injicitur. A multis lithontriptica ejus virtus laudatur, dum alii e contrario vim talem improbant. Utilitatem quoque promittit in variis renum affectionibus chronicis. Minime convenit lithiasi ex phosphate vel oxalate calcariæ, aut oxydo cystico vel xantico provenienti. Sunt exempla curati ope ejus diabetis tum melliti, quam insipidi. Ad sistendam blennorrhœam chronicam injicitur Aqua Calcariæ, pari portione aquæ diluta in urethram apud viros, in vaginam vero muliebrem vel parum diluta, vel prorsus non diluta. In chronicis alvi profluviis per modum clysteris, addito aliquando opio, juvat; hoc modo adhibita ascarides cum nido mucoso expulsisse perhibetur. Ulcera flaccida, saniosa, quin imo ipsum carcinoma haud inepte lavantur Aqua Calcariæ per se, vel cum infuso chamomillæ, quo saniei fœtor minuitur, et margines ulcerum salubriter incitantur. In exanthematibus chronicis, utpote tinea capitis, psora, herpete, crusta lactea infantum, per modum lotionis admovetur, vel per se, vel cum oleo pingui, forma linimenti, quod etiam ambustis optime convenit (Videsis Linimentum Calcareum). In angina faucium ulcerosa gargarismata ingreditur, quibus tinctura opii pro re nata additur. Si alvus usu ejus comprimitur, aut clyster injiciendus est, aut rheum scopo alvum laxandi porrigendum. Sub usu Aquæ Calcariæ sedulo ab acidis abstinendum, imprimis vero iis, quæ cum Calcaria sal insolubile constituunt, qualia sunt: acidum sulphuricum, phosphoricum, oxalicum, tartaricum, nec non a salibus, quæ hisce acidis constant.

D. Ab initio duæ vel quatuor unciæ, aliquoties de die propinantur, ut selibra vel libra per diem epotetur. Datur cum lacte vel jusculo carnium tepefacto.

CARBONAS CALCARIÆ.

CaO, CO^2.

Углекислая известь; Мѣлъ; Мраморъ.

In variis Rutheniæ oris reperitur, uberrimus vero ejusdem melioris notæ proventus est in cretaceis collibus circa Tanaim, Volgam, Borysthenem, uti etiam penes oppidum Bielgorod et Schigri, Curscensis Gubernii. *Spathum calcareum, Marmor album, Creta alba, Testæ Ostreæ edulis (Conchæ), Lapides* seu *Oculi Cancri Astaci, Testæ ovorum* avium etc. referunt quæcunque Carbonatem Calcariæ plus minusve purum; hinc recte alterum pro altero sumi potest; postrema tamen concrementa animalia, utpote puriora et gelatinam animalem continentia, quo facilior redditur eorum conjunctio cum humoribus animalibus, usui interno aptiora esse videntur fossilibus, quæ iterum pharmaceutico scopo, ad paranda scilicet alia remedia, dum pura sunt, præferri merentur.

Carbonas Calcariæ præparatus.

Testas Ostreæ edulis, in aqua prius coctas, ut a sordibus liberentur (vel deficientibus his, Marmor albissimum), in mortario ferreo aut lapideo redige in pulverem tenuem, quem vasi amplo immitte, eique multam aquæ communis copiam superfunde; dein agitato sæpius vase, linque per aliquot momenta, ut crassiora subsidant, et aquam turbidam, polline onustam, effunde. Hoc adfusa nova aqua tamdiu repete, donec partes tenuissimæ separatæ sint. In aquis effusis pulvis subtilissimus, tali elutratione obtentus, subsidet; hunc illico

siccatum in vase clauso usui servabis. Pulvis crassus, cui aqua non est sustinendo, iterum contusus, eodem modo tractari potest.

Q. In aqua pura minima quantitate solvitur, requirit enim 1600 partes ejusdem; in aqua autem acido carbonico saturata solubilior est; hoc modo aquis mineralibus solutus inest. Cum acidis effervescit; igne intensius candente acido carbonico orbatur. Centenarius constat ex: calcariæ 56,39; acidi carbonici 43,61.

V. Absorbens; exsiccans; antacida.

U. Carbonas Calcariæ præparatus concoctionis vitiis, ex acido subortis, imprimis convenit; quo in casu ad semiscrupulum vel integrum cum lenioribus aromaticis datur. In vomitu et diarrhœa infantum, quæ sedibus alvinis mucosis, virescentibus notatur, vel solus per se dosi 10 granorum, aut addito grano vel duobus pulv. radicis rhei, bis vel ter in die propinatur. In rachitide, nimia ossium mollitie distincta, usus Carbonatis Calcariæ, diu continuatus, a nonnullis magni æstimatur.

D. Grana decem, triginta et amplius, ter aut sæpius in die.

CHLORIDUM CALCII.

Ca, Cl^2.

MURIAS CALCARIÆ SICCUS.

Хлористый кальцій; Солянокислая известь.

℞. Acidi Hydrochlorici quantum vis,
Carbonatis Calcariæ, in fragmenta divisi, quantum opus sit.

Carbonatem calcariæ parvis portionibus in acidum injice, nimiam evitando effervescentiam; acido prorsus saturato, solutionem per chartam cola, et in vase por-

cellaneo ad siccum evapora. Massam immitte crucibulo, eamque igne sensim adaucto liqua; tum super tabulam lapideam effunde. Chloridum Calcii adhuc calidum in pulverem crassum redige, et in vase vitreo probe clauso serva.

Chloridum Calcii crystallisatum.
$CaCl^2 + 6aq.$

Chloridum Calcii aqua solutum ad spissitudinem syrupi evapora, tum in locum frigidum sepone, ut crystalli surgant, quas inter chartam bibulam exsicca, et in vase examussim obturando in loco frigido serva.

Chloridum Calcii raro tamen paratur in officinis pharmaceuticis compositione partium constituentium, quum plerumque sit residuum ex præparatione ammoniæ liquidæ.

Q. Massam exhibet solidam, albam, pellucidam; saporis est amari, acris, salini; igne incandescente facile funditur, sed ne intensissimo quidem discidium fert. Centenarius sicci constat ex: chlori 63,36 et calcii 36,64 partibus. Aëri expositum deliquescit; aqua madefactum incalescit. Chloridum Calcii, aqua crystallisationis non orbatum, glacie contusa vel nive commixtum, intensum frigus producit. In alcohole facile solvitur. Centenarius Chloridi Calcii crystallisati constat ex: chlori 32,23; calcii 18,64; aquæ 49,13.

V. Stimulans; resolvens; diuretica; systema lymphaticum, glandulas et membranas mucosas potenter incitans. Majori dosi assumptum nauseam et vomitum excitat, quem variæ nervorum turbæ, exitum vitæ minantes, subsequuntur.

U. In morbis systematis lymphatici et glandularum, quo morbus scrofulosus imprimis referendus est, cum

successu adhibetur; hinc infarctis glandulis mesaraicis, tumentibus glandulis colli et inguinum, uti etiam ulceribus et impetiginibus opponitur. Exsudationes lymphaticæ, in hominibus leucophlegmaticis obviæ, interno Chloridi Calcii usu aliquando profligantur. In chronicis affectionibus membranarum mucosarum, mucum tenacem, viscidum secernentium, puta: catarrho vesicæ urinariæ et leucorrhœa, uti etiam in ischuria renali, dum lotium muco et pure refertum est, si diutius propinetur, efficax esse remedium nonnulli adseverant. Sundelin laudat balnea ex Chloridi Calcii sescuncia, et chloridi sodii libris tribus, sufficienti aquæ quantitate ad implendum labrum balnearium solutis; balnea hæc non modo enumeratis morbis apta esse, sed etiam in phthisi laryngea, quantumvis provectiori, haud spernendam afferre utilitatem contendit. Inhibetur usus Chloridi Calcii statu febrili, phthisi pulmonali, fracto vigore organorum concoctionis, uti etiam dyscrasia scorbutica vel putrida in organismo latitante. Chloridum Calcii siccum, ob vim aquam absorbendi, vario usui pharmaceutico inservit.

D. Datur plerumque aqua solutum, guttularum forma, dosi trium, quinque vel decem granorum aliquoties in die. Ad præcavendam ventriculi irritationem decoctum mucilaginosum superbibendum est.

HYPOCHLORIS CALCARIÆ.

CaO, Cl^2O.

Calcaria chlorata; Chloretum Calcariæ; Oxymurias Calcis.

Хлористокислая известь.

℞. Calcariæ, recens ustæ, libras duas et uncias octo,
Binoxydi Mangani libras duas,

Acidi Hydrochlorici venalis libras octo,
Aquæ communis quantum satis.

Calcariam aqua extingue, ut in pulverem dilabatur, et si opus sit, adhuc tantum aquæ adjicies, ut pondus hydratis calcariæ pulverulenti æquetur tribus libris cum dimidia; tum per aliquot horas eum sepone, dein per setaceum trajice. Pulverem hydratis calcariæ stratis tenuibus super tabulas extende, quas in arca, undique claudenda, sic collocabis, ut altera alteri superimposita sit, et circiter spatium pollicis illis intercedat. Clausa probe arca, et parvo foramine in parte ejus inferiori facto, gas chlorum per superiorem arcæ partem intromitte. Chlorum elicies e retorta, balneo arenæ imposita, cui binoxydum mangani cum acido hydrochlorico immissum sit, illudque per aquam, in lagena bi-tubulari contentam, transmittendo prius elues. Evolutio chlori quam lenissima sit; quamobrem balneum arenæ, ineunte operatione, frigidum maneat, serius vero, dum evolutio ægre procedit, modice calefaciendum est.

Elapsis aliquot horis, postquam omnis chlori evolutio cessaverit, apparatum disjunge, et varia strata Hypochloritis Calcariæ simul intime misce, illumque in vasis probe obturandis serva.

Q. Est pulvis albus; acidum hypochlorosum redolet; saporis adstringentis, amari; aëri expositus humescit, et, absorbendo acidum carbonicum, chlorosos emittit vapores. Chloreto Calcariæ venali, perperam ita dicto, nimia inest calcaria.

V. Antiseptica; fœtorem corrigit; colores vegetabiles dissipat.

U. Hypochloris Calcariæ uni fere usui externo, vel tollendi contagii, vel corrigendi fœtoris gratia, hucus-

que dicatus fuit. Ulcera fœtida, gangrænescentia, sæviente gangræna nosocomiali, nec minus carcinomatosa, et quæ ex bubonibus pestilentibus ortum ducunt, vel etiam, ut alii contendunt, ulcera syphilitica, ejus auxilio salubriter incitantur; quem in finem duæ tresve drachmæ in aquæ libra solvuntur, et linteum carptum, hac solutione madidum, ulceribus superdatur, renovato sæpius ipso linteo. In angina aphthosa, imprimis infantum, quam haud raro gangræna subsequi solet, teste Percy, multum valet. Bouneau suadet penicillo, vel cylindro ex charta convoluto, aqua madefacto, et in Hypochloritem Calcariæ siccum prius immisso, ulcera aphthosa, in interna buccarum superficie sita, attingere, exhibendo subinde collutorium quodlibet mucilaginosum. Alii hoc in casu præferunt linctum ex drachma dimidia Hypochloritis Calcariæ, uncia mucilaginis g. acaciarum, et uncia dimidia syrupi simplicis confectum. Convenit forma collutorii, quibus ob dentis cariem, vel gingivarum exulcerationem, anima fœtet, nec non iis, qui, fumo nicotianæ imbuti, spiritum edunt ingratum; paratur hujusmodi collutorium drachmam dimidiam in aquæ destillatæ libris tribus solvendo, additis duabus spiritus vini unciis; liquor per chartam coletur. Ad restituendum dentibus flavescentibus, impuris, naturalem candorem Magendie suadet pulverem dentifricium, ex Hypochloritis Calcariæ scrupulis quatuor et pulveris subtilissimi coralliorum rubrorum drachmis sex compositum. Dum per modum lotionis adhibetur, pruritum vulvæ et sudores pedum fœtentes tollere dicitur. Venena animalia destruere creditur, hinc rabiei caninæ et morsui viperarum obponitur. Vapores acidi Hypochlorosi destruendis emanationibus noxiis, et contagiis quibusdam pares sunt. Eliciuntur autem hujusmodi

vapores, dum pares portiones Hypochloritis Calcariæ et sulphatis potassæ in vase aperto miscentur, addito aquæ tantillo, ut pultis speciem nanciscantur; vel sponte evolvuntur ex Hypochlorite Calcariæ aëri exposito, quum acidum carbonicum in aëre contentum absorbeat; hinc insigni pollet efficacia ad corrigendum fœtorem ex cadaveribus, latrinis et piscium mercatibus emanantem. Dum Acidi Hypochlorosi vapores in conclavi evolvere necessitas urserit, circumspecte procedendum, ne aër atmosphæricus, nimiis ejusdem vaporibus oneratus, noxius evadat; quamobrem pro conclavi mediocris capacitatis drachmæ duæ Hypochloritis Calcariæ cum totidem sulphatis potassæ sufficient. Cimicibus et pulicibus profligandis idoneum fertur. Magna præterea est illi vis in destruendis coloribus vegetabilibus.

D. Drachmæ duæ tresve ad aquæ libram pro usu externo.

CARBO.

Уголь.

Corpora vegetabilia et animalia, si in vase clauso, quin aër aut oxygenium accedant, urantur, in Carbonem convertuntur, qui pro ratione substantiæ, e qua obtinetur, peculiari insignitur nomine. Inter fossilia parimodo occurrit. Carbo autem, dum purus, merum est carboneum. *Usuales sunt:* 1) Carbo ligneus; 2) C. animalis; 3) C. Spongiæ (quem videsis in parte tertia).

CARBO LIGNEUS.

C. VEGETABILIS.

Древесный уголь.

Ad varios usus pharmaceuticos seligantur frusta majora Carbonis lignei vulgaris, e lignis levioribus, imprimis tiliæ, obtenti, nitore expertia, et rejiciantur

nitentia, vitri ad instar in fractura splendentia; hæc in vase fictili clauso, operculo perforato, denuo urantur, donec nullum amplius fumum edant; tum supra laminam ferream ab adhærente cinere, follis ope, liberentur, et priusquam ex toto refrixerint in pulverem redigantur, qui in lagenis probe obturatis in loco sicco servandus est.

Fuligo purificata, Carbo ferme purus, sequenti modo paretur: Fuligo communis ope alcoholis in massam pultaceam redigatur, et in crucibulum infarciatur; dein obtecto crucibulo, per horæ dimidium, in furno reverberii, igni intensius candenti exponatur; tandem exempto et frigefacto crucibulo, ut præcedens servetur.

Q. Coloris est nigri; odoris et saporis expers; igne non funditur; calorem ægre transmittit. Recens ustus Carbo saporem et odorem in liquidis vegetabilibus et animalibus, quin imo colorem in illis demit; varia gasa et vapores absorbet, et eo magis, quo porosior est. Salia plumbi, stibii, zinci et argenti e solutionibus absumit. Carbo ligneus communis præter carboneum varia heterogenea continet; interdum nonnisi pars, interdum vero quatuor vel quinque partes horum centenario insunt; talia sunt: potassa, calcaria, magnesia, quæ acido carbonico, phosphorico, sulphurico et chloro junctæ obveniunt; præterea oxydum mangani et ferri, nec non silicea.

V. Antiseptica; fœtorem corrigens.

U. Ad tollendam sordium putredinem ex prava alimentorum indole, pulvis Carbonis lignei recens usti, et gasa evoluta absorbendo, et processum putrefactionis inhibendo prodest; hinc etiam juvat in diarrhœa, dum alvus est fœtidissima, quo in casu forma clysteris

cum infuso seminum lini adhibetur. Infantibus, præsente ventriculi acore, alvo viridi et vomituritione laborantibus, recte datur.

Externus ejusdem usus multo latius patet et tutior est. In ulceribus gangrænosis et sphacelo, decubitum diuturnum sequente, juvat pulverem Carbonum larga manu adspergere, superadditis aliquot guttis olei terebinthinæ; alii pastam e fermento panis (aut farina seminum lini) cum aqua et pulvere Carbonum præferunt. Vel solus, vel cum cortice cinchonæ, optimum sistit pulverem dentifricium. Carbo pulveratus, atque cum æquali furfurum triticorum portione mistus, si tibialibus aut calceis inspergatur, sudorem plantarum pedum acrem, fœtentem, cohibere dicitur. Adhibetur ad purificanda et decoloranda varia liquida empyreumatica colorata, utpote: spiritum frumenti, acetum, acidum tartaricum, tartarum crudum, aliasque solutiones salium. Carnem et cadavera animalium, visceribus liberata, si pulvere Carbonis lignei recens usti probe obtegantur, et vasis hermetice clausis, eodemque pulvere replendis, immittantur, per plures menses posse servari, quin putrescant, experientia docet. Filtra Carbonem ligneum, vel solum, vel sabulo puro intermixtum continentia, purificandæ aquæ maxime idonea sunt; impedit etiam Carbo quominus aqua putrescat, hinc interna doliorum superficies, conservandæ aquæ inservientium, a classiariis in Carbonem convertitur. Immittitur quoque sellis familiaricis et latrinis ad retinendos vapores fœtidos ex iis erumpentes.

D. Adulto scrupulus ad drachmam vel duas; infantibus grana quinque ad decem, ter quaterve in die. Pro clystere uncia dimidia, ad integram.

CARBO ANIMALIS.

Животный уголь.

Obtinetur qua residuum in vase destillatorio, dum ossa animalium destillationi siccæ subjiciuntur. Carbo hujusmodi, ut a salibus calcareis liberetur, cum acido hydrochlorico digerendus est, et quidem: decem partes Carbonis animalis digerantur per biduum sub frequenti agitatione cum acidi hydrochlorici officinalis parte, duodecim aquæ partibus diluti; hoc facto, tamdiu aqua pura lavetur, donec aqua lotionis nulla salium vestigia manifestet.

Q. Coloris est nigri; splendoris expers. In pulverem redactus ne sit coloris rufi, neve cinerei; rufus color carbonem non satis ustum fuisse indicat; cinereus vero, ustionem nimis diu fuisse protractam. Si pulvis Carbonis animalis cum aqua destillata coquatur, liquor per chartam colatus sit coloris expers. Centenarius Carbonis animalis, qui cum acido hydrochlorico non fuerat digestus, continet 6, et raro 8 partes carbonis puri; reliquum constituunt phosphas, fluas ac carbonas calcariæ.

U. Carbo animalis potissimum adhibetur in Pharmacia ad absumendam materiam colorantem, quæ productis crystallinis vegetabilium adhæret, hinc ad decolorandum hydrochloratem morphiæ, disulphatem chiniæ aliaque salia alcaloidum.

CHINIA.

$N^2C^{20}H^{24}O^2$.

Хининъ.

Materia alcaloides peculiaris, quæ in cortice omnium cinchonæ specierum, imprimis vero cinchonæ cordifoliæ (cortice cinchonæ flavo seu regio) sat co-

piosa occurrit. Methodus illam obtinendi primo a Pelletier et Caventou anno 1820 publici juris facta fuit. Chinia cum acidis salia constituit; acido sulphurico duplici modo jungitur, et refert: Disulphatem (Subsulphatem) Chiniæ — ex 2 at. Chiniæ et 1 at. acidi sulphurici, nec non Sulphatem Chiniæ, ex pari atomorum numero utriusque constantem. *Usualis est:*

DISULPHAS CHINIÆ.

$$2(N^2C^{20}H^{24}O^2) + SO^3 + 10aq.$$

Sulphas Chinini.

Сѣрнокислый Хининъ.

℞. Corticis Cinchonæ cordifoliæ libras quatuor,
Acidi Hydrochlorici officinalis uncias tres,
Aquæ communis libras quadraginta quinque,
Calcariæ causticæ uncias quatuor cum dimidia.

Corticem cinchonæ contusum coque cum acidi hydrochlorici uncia et aquæ libris quindecim; liquorem limpidum effunde, et residuum binis adhuc vicibus cum pari aquæ et acidi quantitate decoque. Decoctis simul mixtis, et calefactis adjice calcariam, duabus aquæ fervidæ libris antea dilutam; præcipitatum inde exortum, chiniam cum partibus calcareis continens, sæpius adfusa aqua elue, super linteum expande et, fortiter compressum, leni calore exsicca; tum alcohole purissimo (pond. specif. = 0,83) fervente chiniam extrahe; quod cum novis alcoholis quantitatibus quinquies aut sexies iterabis, donec a præcipitato calcareo omnis chinia absumatur. Liquorem per chartam cola; alcohol destillatione elice; residuum fusco-rubescens, resinosum, est *Chinia impura;* hanc solve in aqua destillata fervida, cui acidi sulphurici officinalis $\frac{1}{15}$ pars prius addita fuit, et adjectis

Carbonis animalis (ossium) pulverati partibus
triginta,

ad ebullitionem calefac, atque liquorem adhuc fervidum per chartam cola, ex quo frigefacto crystalli Disulphatis Chiniæ surgent.

Si carbo nimium acidi sulphurici absumeret, et eo ipso chiniam, in liquore etiamsi fervido dejiceret, tantillum acidi esset addendum, antequam liquor coletur; necesse est enim, ut charta heliotropio tincta ab eodem leviter tantummodo rubescat.

Crystalli Disulphatis Chiniæ, dicto modo obtentæ, necdum ex toto puræ et albæ sunt; ut tales fiant, iterum in aqua leviter acido sulphurico acidulata solvendæ, et carbonis animalis auxilio depurandæ sunt. Residuum liquidi, quod ultra in crystallos cogi nequit, ammonia liquida resolvendum est, et Chinia dejecta denuo in disulphatem explicato modo convertenda. In vasis probe clausis, a luminis accessu muniendis, servetur.

Q. Crystallos sistit aciculares, albas, odoris expertes, saporis amari. Aquæ ad + 12° R. temperatæ 740 partes, bullientis vero 30 necessariæ sunt ad solutionem; pars Disulphatis Chiniæ solvitur in alcoholis purissimi frigidi 80 partibus, in fervido autem multo copiosius. Aëri expositus fatiscit, partem aquæ crystallisationis amittendo. Centenarius constat ex: chiniæ 71,66; acidi sulphurici 8,73; aquæ 19,61.

Sæpe adulteratur saccharo, gummi, amylo, sulphate vel acetate calcariæ, nec non steatino. Saccharum detegitur, sal suspectum in aqua solvendo, et chiniam potassa liquida præcipitando, quo sapor emergit dulcis, si saccharum fuerat admixtum. Gummi et amylum innotescunt sal in alcohole purissimo digerendo: Disulphas Chiniæ solvitur, heterogenea autem manent.

Sulphas et acetas calcariæ sale combusto præbent residuum. Steatinum dignoscitur, si sal leni exponatur calori, ex quo materia animalis diffluit, Disulphate Chiniæ manente; vel etiam si in acido sulphurico diluto solvatur, quo steatinum habetur residuum. Si salicinum eidem esset substitutum, hoc eo patefit, quod salicinum ab acido sulphurico rufetur, Disulphas Chiniæ vero colorem non mutet.

V. Tonica; in plexum hepatico-splenicum, totumque nervorum systema agens; antifebrilis præstantissima; antiperiodica.

U. Præparatum hoc, quod duobus abhinc decenniis, usui medico dicatum fuit, iisdem ferme morbis convenit, ac cortex cinchonæ; quum vero exiguæ molis sit, nam vix decimam partem corticis constituit, a ventriculo commodius fertur, hinc sæpissime ejus loco adhibetur. Nihilo tamen secius cautelarum et contraindicationum, sub Cinchonæ rubrica uberius expositarum, memores esse oportet medentes, validum hocce remedium in usum vocaturos.

D. Grana duo, tria, quatuor, pro dosi, vix cessante stadio caloris porriguntur, ita quidem, ut ter quaterve per nychthemeron, usque ad sequentis paroxysmi horam, talis dosis exhibeatur.

CHLORUM.

Cl.

Хлоръ.

Chlorum, quod anno 1774 a Scheele primo detectum fuit, ab eodem Acidum Muriaticum dephlogisticatum nuncupabatur; serius a Bertholetto nomine Acidi Oxymuriatici designatum est; tandem vero anno 1810 a Celeb. Davy, qui inter elementa illud retulit, Chlo-

rum seu Chlorinum fuit appellatum. *Usualia sunt:* 1) Chlorum; 2) Aqua Chlori; 3) Vapores Chlori.

CHLORUM.

Gas Oxymuriaticum.

℞. Chloridi Sodii partes sexdecim,
Binoxydi Mangani partes undecim cum dimidia,
Acidi Sulphurici officinalis partes triginta duas cum dimidia,
Aquæ partes sexdecim.

Chloridum sodii et binoxydum mangani, in pulverem tenuem redacta et probe mixta, immitte retortæ vel cucurbitæ vitreæ tam amplæ, ut capacitate sua sexies vel octies molem contentorum superet; his superfunde acidum, aqua prius dilutum et refrigeratum. Collum retortæ vel cucurbitæ, tubo vitreo incurvato munitum, hermetice obtura, et initio absque ullo caloris augmento, sub finem vero balneum arenæ, cui retorta vel cucurbita insidet, calefaciendo, gas super aquam calidam, vel super solutionem saturatam chloridi sodii in balneo pneumatico in lagenis probe obturandis collige. Eliciendo gase occupatus spongiam marinam humefactam ori et naribus habeat præfixam, ne vapores inspirati noxam pulmonibus inducant.

Q. Solita aëris temperie et atmosphæræ pressione est gas coloris flavi virescentis, ponderis specifici $= 2{,}470$, si aërem atmosphæricum $= 1$ ponas. Secundum experimenta Faraday, in liquidum densatur, si ad temperaturam $+ 12°$ R. pressioni quatuor atmosphæris æquiparandæ subjiciatur. Nec respirationi, nec combustioni sustentandæ aptum est; odoris peculiaris ingrati; parva quantitate inspiratum excitat tussim, quam haud raro hæmoptysis subsequitur, phthisi ansam præ-

bens. Pro antidoto Chlori habentur vapores aquei protinus inspirandi. Centum pollices cubici Chlori, teste Davy, pondus habent 77 gr. Troy-W. vel ferme 80 granorum med. Norimb.

U. Ad conficienda quædam præparata chemico-pharmaceutica adhibetur.

AQUA CHLORI.

Aqua Oxymuriatica; Acidum Oxymuriaticum.

Chlorum elice modo supra dicto, et retortæ vel cucurbitæ collum apparatui Woulfeano lege artis junge. Lagenas ad ⅔ aqua destillata imple; tubi communicantes in aquam sint immersi; lagena prima munita sit tubo securitatis, parimodo in aquam merso; lagena ultima ope tubi vitrei communicet cum vase, solutionem hydratis calcariæ (lac calcis) continente, ut, quod Chlori nimium est, ibidem absorbeatur. Ad properandam absorptionem lagenæ aqua vel nive frigefaciendæ sunt. Ad communem temperaturam aqua binas Chlori mensuras recipit. Sexdecim unciæ chloridi sodii largiuntur 5000 pollices cubicos Chlori, hinc sufficiunt saturandis 2500 pollicibus cubicis aquæ, vel circiter 100 libris.

Q. Coloris est pallide flavescentis, tantillum virescentis; odoris ingrati, Chloro similis. Colores vegetabiles demit, et Chlori ad instar fœtorem tollit. Hydrogenium absumit plerisque corporibus organicis, illo abundantibus, et mutatur in acidum hydrochloricum; hinc cave misceas illud cum syrupis compositis, extractis et mucilaginosis. Servanda est Aqua Chlori in lagenis opacis, vel in loco obscuro et frigidiusculo, nam potentia lucis solaris discidium fert: Chlorum jungitur hydrogenio aquæ, et mutatur in acidum hydrochloricum, quod solutum manet, oxygenio avolante.

Ad indagandam quantitatem Chlori aqua soluti, auctore DUFLOS, sic procedendum: chloridum barii solvitur in decem partibus aquæ, gase acido sulphuroso (spiritu sulphuris per campanam) saturatæ. Hujusmodi solutio tamdiu adfunditur Aquæ Chlori disquirendæ, donec odor illius prorsus evanescat, et liquor turbari cesset. Sulphas barytæ, qua præcipitatum obtentus, in filtro aqua destillata lavatur, et dein siccatur; 20 grana hujus præcipitati sicci designant 6 grana Chlori, vel si mavis, septem cum dimidio pollices cubicos ejusdem.

V. Stimulans; antiseptica.

U. Adhibetur in iisdem fere casibus, ac acidum hydrochloricum, scilicet in morbis putridis et gangræna. In febri, sic dicta, nervosa et typho abdominali, a nonnullis magni æstimatur; sed quum Aqua Chlori, si diutius servata, vel si cum mucilaginosis et syrupis præscripta fuerit, partim resolvatur in acidum hydrochloricum: multa pars virtutis hujusce salutaris acido potius in acceptis referenda videtur. Ingreditur gargarismata, anginæ gangrænosæ adcommoda; inservit lotionibus, quæ ad tollendum fœtorem ulcerum efficacia sunt.

D. Guttæ 15 ad 20 vel 30, bis in die, cum aqua destillata exhibentur adulto; vel drachmæ duæ tresve, ad unciam, cum semuncia sacchari unciis octo aquæ destillatæ adduntur, cujus misturæ quavis hora cochlear mensale propinatur.

VAPORES CHLORI.

℞. Chloridi Sodii uncias decem,
Binoxydi Mangani uncias quatuor,
Acidi Sulphurici officinalis,
Aquæ communis, utriusque uncias octo.

Chloridum sodii cum binoxydo mangani et aqua in vase vitreo aut fictili misce, et subinde acidum sulphuricum adfunde.

Suffumigatio hæc, a Guyton Morveau proposita, efficaciter adversus effluvia putrida potest; num vero habito respectu ad morbos epidemicos famam, qua gaudebat, jure promerita sit, valde dubitamus, quum nec in febri flava, quæ a. 1828 ad Fretum Herculeum invaluit, nec in cholera morbo, nuperrime in Europa sæviente, virtutem ullam antimiasmaticam manifestaverit. Vapores Chlori adhibentur imprimis ad purificandas vestes et merces, quibus contagium inhærere creditur, uti etiam ad corrigendum aërem in valetudinariis, carceribus et navibus. Quum autem Chlori Vapores, si inspirati fuerint, magnum adferant sanitati detrimentum, suffumigatio hujusmodi, nonnisi remotis antea ægrotis, in conclavi quolibet est suscipienda. Quantitas vaporum in præcedenti formula, e decem unciis chloridi sodii elicienda, æquatur 3600 pollicibus cubicis Chlori, illaque sufficiens censenda est ad purificandum conclave, quod 6 arschin altum, 5 arschin latum et 10 arschin longum foret, ideoque 300 arschin cubicorum capax esset. Generatim scire licet, mensuram unam (capacitate) Vaporum Chlori sufficere ad dissipandum quodvis effluvium putridum in 1800 mensuris (capacitate) aëris corrupti. Remotis itaque ægrotis, clausis fenestris ac portis, vas emittens vapores in medio collocandum. Conclave maneat clausum per duarum horarum spatium, quo elapso, vas auferendum, cunctaque aperienda, ut perflatus accedat.

CREOSOTUM.

$C^{15}H^{25}O^{4}$.

Креозотъ.

Liquor æthereo-oleosus, coloris expers, recentissimis temporibus a Reichenbach detectus, et ab eodem Creosotum (ex Græco *κρέας* **caro, et** *σώζω* **conservo) nuncupatus, quum principium hocce, quo fumus, acidum pyrolignosum et pix liquida scatent, conservandis carnibus maxime idoneum sit. Modus illud parandi sequens est:**

Pix liquida (e ligno fagi, minime vero e pini speciebus obtenta) tamdiu destillatione tractatur, donec residuum spissitudinem picis Burgundicæ acquirat (ut e centum partibus picis liquidæ 40 remaneant); dum autem vapores pallide flavescentes (paraffinum indicantes) prodire incipiunt, operatio protinus sistenda; in excipulo conspicua fiunt duo strata, supremum et infimum, medio liquore aquoso divisa. Stratum supremum abundat eupione; liquor aquosus medius scatet acidis; stratum vero infimum multum Creosoti, paraffino et picamaro juncti, continet. Stratum infimum a supernatantibus, quæ rejicienda sunt, sedulo separatur ac, leniter calefactum et agitatum, carbonate potassæ saturatur.

Liquore frigefacto, oleum ponderosum, a solutione salina separatum, ***secundæ destillationi*** **subjicitur, nunquam tamen ad siccitatem usque. Destillatum initio prodiens, interdum aquæ supernatat, quod eupion abundare testatur, quapropter tamdiu rejicitur, donec aqua gravius et fundum excipuli petens productum obtineatur, quod, destillatione finita, potassa liquida (pond. spec. 1, 12) solvitur. Pars producti insolubilis est, et liquori supernatat, quæ, ut heterogenea continens, abjicitur. Solutio alcalina in vase aperto sensim calefit,**

donec fervescat, quo fuscum induit colorem, oxygenium absorbendo. Liquore frigefacto, Creosotum (impurum), addito acido sulphurico diluto, liberatur, quod separatum, et potassæ liquidæ aliquantulum excedenti junctum, cum aqua ex retorta vitrea *tertiæ destillationi* subditur. Aqua initio prodiens, et pauxillum Creosoti continens, iteratis vicibus ex excipulo in retortam, jacturæ præcavendæ gratia, refundenda est. Liquore diutius fervente, calor enim 100° excedere potest, operatio tandem sistenda est. In retorta manent: difficilius destillatu picamarum, sulphas et acetas potassæ, nec non materia fusca. Creosotum (impurum) in excipulo obtentum, et ab aqua separatum, iterum potassa liquida solvitur; oleum supernatans rejicitur. Solutio alcalina iterum in vase aperto fervefit, et dein refrigeratur. Addito denuo acido sulphurico diluto, aliquantulum excedente, Creosotum liberatum iteratis vicibus aqua frigida tamdiu abluitur, donec acidi vestigia evanescant, atque *quartæ* jam cum aqua ex retorta vitrea *destillationi* submittitur, dein iterum potassa liquida solvitur. Si operationes modo dictæ ex voto processerint, Creosotum potassæ liquidæ ex toto jungitur, et nullum eupion amplius secernitur, neque calori expositum fusco tingitur colore, sed leviter tantum rubescit. Sin secus, adhuc *quinto* et *sexto* potassa liquida solvendum et destillatione purificandum est. Tandem Creosotum, potassa liquida solutum, addito acido phosphorico liberatur, probe lavatur et, cum aqua ex retorta vitrea destillatum, elicitur purum. Hic obiter notandum, retortam, sub indicatis operationibus, nunquam profundius ipso fluido in ea contento in balneum arenæ immergendam, eamque in parte superiori accurate panno crasso et villoso obtegendam esse, ne Creosoti

vapores intempestive densentur, priusquam retortæ collum attingant. Servandum est in lagenis probe clausis, charta nigra obductis.

Creosotum censetur esse principium, cujus ope cadavera condita veterum Ægyptiorum, nomine Mumiarum nota, tot seculorum discrimini exposita, ad hoc usque tempus sarta tectaque remansere. Compertum est etenim, corpora mortuorum in Ægypto, substantiis bituminosis impleta, aucto calori exposita fuisse (quod combusta in hisce cadaveribus membra testantur); hoc modo Creosotum fuisse generatum, vero videtur simillimum. Experimentis a CORMACK institutis probatum est, carnes esculentas, solutioni illius (Creosoti pars, aquæ partes 100) per 12 horas, vel duo nychthemera immersas, et dein calore solis vel ignis siccatas, diutissime servari posse. Secundum quosdam virtus hæmostatica *Aquæ Binelli* huic principio in acceptis est referenda. Plantæ aqua Creosoti irrigatæ fatiscunt, pisces insectaque eidem immersa brevi intereunt.

Q. Spissitudinis est oleosæ, pellucidum, coloris expers; odoris peculiaris, fumum vel carnes suffitas redolentis, qui tamen, habita ratione variarum picis specierum, e quibus elicitur, aliquantulum varius esse solet; saporis urentis, sub finem dulcescentis. Pond. specif. $=$ 1,037. Effervescit ad $+$ 162° R., non congelatur ad — 22°. In aëre libero ardet flamma vivida, multum fumi emittendo. Jungitur aquæ duplici proportione: vel pars Creosoti in 400 aquæ partibus solvitur; vel 10 aquæ in 100 Creosoti diffunduntur. Alcohol, æther, sulphuretum carbonei, eupion, petroleum, acidum aceticum et alcalia quavis proportione illud recipiunt. Nec alcalium, nec acidorum potentiam manifestat. Adulteratur oleo picis ponderoso, sæpius recti-

ficato, ex pice pini obtento; fraus facilis est detectu: Creosotum solvitur in acido acetico et potassa liquida, oleum vero remanet immutatum.

V. Stimulans; narcotica. Vis ejus albumen coagulandi, notatu dignissima est, utpote cui virtus antiseptica et hæmostatica debetur.

U. Inter remedia, quæ ad sistendum vomitum propinantur, nullum esse valentius hocce, testantur Elliotson, T. Thomson, Bodington, imprimis dum malum a nervorum debilitate, non autem a vitio ventriculi originem repetit; feminis hystericis, quin imo ipsis gravidis, absque noxa dari potest; inhibetur vero strenue gastritide suspicata. In lotii secretionem incerto modo agit, quam interdum minuit, interdum vero auget; secretæ tamen urinæ, terebinthinæ ad instar, odorem sibi proprium impertitur. Multi virtutem ejus in cancere aperto salutarem experti sunt; multi vero contraria referunt. In pernione recenti vel exulcerato utile est remedium; quem in finem vel aqua solutum, vel cum oleo olivarum (guttæ 5—10 ad unciam olei) forma linimenti adhibetur; hoc modo applicatum etiam prodesse dicitur in mammarum excoriatione. Ad curanda ulcera scrofulosa, phagedænica et venerea, uti quoque ad sedandam gingivarum irritationem, ex prægresso mercurialium usu, aqua Creosoti efficax esse fertur, vel penicillo partibus adfectis admota, vel forma lotionis aut collutorii cum quolibet liquido mucilaginoso. Valet ad sistendum e vasis capillaribus sanguinis stillicidium; in vulneribus autem, per primam intentionem curandis, linteum Creosoto madidum, hæmorrhagia silente, protinus amovendum, ne inflammationi adhæsivæ obstaculo sit. Quoad vim illius in cohibendo e vasis majoribus sanguinis fluxu, multorum opiniones hucus-

que discrepant. In menorrhagia aqua Creosoti dilutior, injectionis modo adhibita, profuisse visa est. Laudatur in odontalgia a carie dentis orta; priusquam vero remedium applicetur, ipsa dolorifici dentis cavitas sedulo purganda et siccanda est, partesque vicinæ gossypio vel linteo muniendæ, ne affluens saliva in dentis cavitatem irruat, tum demum tenuioris penicilli ope, Creosoti puri gutta una alterave in dentem corrosum immittitur, isque gossypio impletur, cavendo, ne linguæ, buccis et labris noxa inferatur. Dum odontalgia rheumaticæ indolis est, testante Fremanger, juvat collutorium ex quatuor guttis Creosoti puri et duabus aquæ destillatæ unciis compositum.

D. Porrigitur aqua solutum, vel mucilaginoso liquido exceptum, vel forma pilularum cum quovis extracto, a gutta, ad duas, vel tres, caute dosin augendo ad sex guttas, bis vel ter in die.

CUPRUM.

Cu.

Мѣдь.

Cupri mineræ frequentissimæ sunt: oxydum, chloridum, sulphuretum, sulphas, phosphas, carbonas, nec non arsenias ejusdem; invenitur etiam nativum. In Rossia exstant Cupri fodinæ in Nertschinsk, alpibus Uralensibus et Altaicis, præprimis vero (magnis glebis) in Werchotursk. Occurrit præterea sat copiosum in variis regionibus Europæ et Americæ. Ad obtinendum metallum mineræ ustulantur, dein addito carbone igni intensiori funduntur. *Usuales sunt:* 1) Sulphas Cupri crystallisatus; 2) Sulphas C. biammoniatus; 3) Acetas C. crystallisatus.

Q. Coloris est rubidi, nitore insigni præditum, durum, sonorum, laminatum resilit, in fila ductile, in

bracteas tenuissimas extendi potest, et tunc colore e rubro flavescente insignitur. Pond. spec. = 8,87. Nonnisi igne candente, scilicet ad 27° Wedgwood, vel circiter ad 850° R. funditur, qui caloris gradus inter fusionis punctum argenti et auri medius est; calore magis adaucto in vapores abit. Aëri humido diu expositum crusta virescente obducitur, quæ carbonas cupri est. Igne rubente calefactum suboxydo tegitur. Cuprum dum purum est, in acido nitrico ex toto solvitur; solutio hujusmodi nec addito acido sulphurico nec quolibet chlorido solubili turbatur, et adfusa ammonia liquida coloris fit cæsii intensioris, nullum dejiciendo sedimentum. Si in solutionem nitratis cupri lamina ferrea immergatur, omne Cuprum forma pulveris dejicitur, qui prius acido sulphurico diluto, dein aqua probe ablutus, et igne fusus, refert Cuprum ex toto purum.

V. Cuprum metallicum, non oxydatum, vitæ animali non tam est infestum, ut passim creditur. Todd Thomson vidit duos infantes, quorum uterque monetam cupream minorem deglutiverat; hac forma metallum apud unum per duos, apud alterum vero per sex menses in intestinis remanserat, quin ullum sanitati detrimentum attulerit. Quum vero Cuprum ex quolibet acido, etiamsi vegetabili, imprimis dum pulveratum est, oxydari et formam salis assumere aptissimum sit, haud raro venenum fit, si deglutitum fuerit. Symptomatum series hoc in casu plerumque sequens est: sapor fit stypticus, æruginosus, vix in ore et lingua delebilis; insequitur cibi fastidium, nausea et vomitus; accedunt dolores modo regionem epigastricam, modo abdomen, modo pectus adficientes; serius insinuatur agrypnia cum continua animi agitatione; ægri tandem, sub labentium virium signis, deliramenta loquuntur, et con-

vulsionibus excruciantur, quæ interdum, exorta paralysi, hemiplegia vel etiam apoplexia, vitam funditus evertunt. Aliquando observatur etiam exanthema lepræ simillimum. Antidota sunt: albumen, nec non subphosphas sodæ, quoniam subphosphas cupri insolubilis est.

Dum Cuprum in liquido quolibet suspecto detegendum est, sequenti modo procedendum: liquidum coquatur cum aceto destillato, dein per chartam coletur, quo Cuprum a partibus vegetabilibus et animalibus separatur. Hoc facto per illud transmittatur gas hydrogenium sulphuratum; præcipitatum exortum (bisulphuretum cupri) siccetur, et in tubulo vitreo comburatur; combusto addantur aliquot guttæ acidi sulphurici, et sulphas cupri exorietur, qui, aqua uberius adfusa, diluendus est; si in solutionem sulphatis cupri lamina ferrea nitens immergatur, Cuprum metalli instar illi adhærebit. Vel, si in solutionem sulphatis cupri ammonia liquida exuberans instilletur, color solutionis læte cæruleus Cuprum prodit. Vel etiam: si solutioni sulphatis cupri gutta una alterave borussiatis potassæ ferrosi, aqua soluti, instilletur, mox dejicitur præcipitatum fuscum (cyanidum ferri et cupri).

U. Est Cuprum consueta vasorum materia, in quibus alia, atque alia, tum medicamenta, tum alimenta ac potulenta, parantur, coquuntur, adservantur; hæc culinaris suppellex, nisi rite stanno obducatur, labem contentis communicat, et perniciosa fit. Dum liquida diutius in vasis cupreis aut æneis aëri exponuntur, crustam tenuem virescentem in superficie exhibent; hæc carbonas cupri est; si autem liquidum acetum continet, acetas cupri generatur. Solent coqui interdum ad impertiendum variis leguminibus lætum viridemque colorem, monetam cupream inter coquendum adjicere: quam

perniciosum hoc sit, sponte patet. Præstat in laboratorio pharmaceutico ad paranda imprimis extracta, vasis e stanno puro confectis uti.

SULPHAS CUPRI CRYSTALLISATUS.

$CuO, SO^3 + 5aq.$

VITRIOLUM CÆRULEUM.

Сѣрнокислая окись мѣди; Мѣдный купоросъ.

Venalis plerumque educitur ex sulphureto cupri nativo; quem in finem mineræ aëri humido diutius exponuntur, dein elixantur et in crystallos coguntur. Quum Sulphas Cupri, hoc vel alio modo in officinis chemicis obtentus, sæpe inquinatus obveniat, sequenti modo parari potest:

℞ Ramentorum Cupri quantum vis.

In vase aperto consperge per vices acido sulphurico diluto, et totum tamdiu libero aëris accessui expositum linque, donec omne metallum corrosum sit. Massam salinam in acido sulphurico diluto solve, et ad crystallisationis punctum evapora.

Q. Crystalli plerumque sunt prismata hexagona, coloris cærulei, et aëri expositæ fatiscunt. Pond. spec. = 2,2. Saporis est adstringentis, nauseosi, metallici; tincturam heliotropii rufat. Nonnisi ad 200° R. omni aqua crystallisationis orbatur, calore autem intensiori discidium fert, oxydo cupri residuo. Sulphas Cupri crystallisatus solvitur in duabus partibus aquæ bullientis, et quatuor aquæ frigidæ. In alcohole non solvitur. Centenarius salis crystallisati constat ex: oxydi cupri 31,8; acidi sulphurici 32,14; aquæ 36,06. Venalis disquirendus est, utrum ferro vel zinco inquinatus sit. Solvatur in ammonia liquida; si ferrum continet, hoc

erit residuum. Zincum innotescit, si Sulphas Cupri venalis in aqua solvatur, et per solutionem aliquantulum acidulatam gas hydrogenium sulphuratum, quousque præcipitatum appareat, transmittatur; liquidum, a sedimento separatum et per chartam colatum, sulphatem zinci continebit, si zincum admixtum erat.

Insociabilis est Sulphas Cupri salibus sequentibus: carbonatibus alcalinis et ipsis alcalibus; biborati et subphosphati sodæ; acetati ammoniæ, nec non acetati et subacetati plumbi; præterea acetati ferri; nitrati argenti; bichlorido hydrargyri; chlorido calcii; tartrati potassæ, et generatim adsociari nequit infusis et tincturis vegetabilibus, principio adstringente pollentibus.

V. Emetica; adstringens; hæmostatica.

U. In angina membranacea (Croup), octava grani pars omni quadrante horæ infanti annum, ad septem annos nato, vomitus ciendi et membranæ spuriæ educendæ causa propinatur; ne tamen plus, quam grana duo consumat. Opio potionatis grana decem, duabus aquæ unciis soluta, forma haustus emetici, porrigi solent.

Extrinsecus virtute stimulante prodest in ulceribus torpidis et impuris, forma unguenti aut solutionis. Qua escharoticum adhibetur ad corrodendas excrescentias fungosas. Splenia, solutione Sulphatis Cupri madefacta, vi qua pollent styptica, in epistaxi et aliis hæmorrhagiis utilia sunt. Ingreditur etiam collyria, quæ in ophthalmiis chronicis, purulentis, non sunt despicatui habenda.

D. Infantibus ab $\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{4}$ grani, sæpius in die, scopo emetico; adultis a grano ad grana decem. Extrinsecus: grana duo, vel quatuor, ad aquæ unciam.

SULPHAS CUPRI BIAMMONIATUS.

$CuO, SO^3, 2N^2H^6 + aq.$

Cuprum ammoniacale.

℞. Sulphatis Cupri quantum vis,
Ammoniæ liquidæ concentratæ quantum opus sit.

Sulphatem cupri in pulverem tenuem contere, et in ammonia liquida solve. Liquorem per chartam colatum vasi amplo immitte, eique æqualem mensuram alcoholis purissimi superfunde. Vas obturatum sepone per hebdomadam, dein absumpto alcohole crystallos collectas inter chartam bibulam exsicca, et in vase vitreo probe obturando serva.

Q. Prismata sistit tetragona, rhomboëdra, coloris læte cærulei; saporis ingrati, metallici; alcalium indolem manifestat. Aëri si exponatur discidium patitur, ammonia avolat, et oxydum cupri, attracto acido carbonico, in carbonatem cupri abit; hinc colorem induit virescentem. Solvitur in aquæ parte cum dimidia. In alcohole non solvitur. Centenarius constat ex: ammoniæ 27,92; oxydi cupri 32,2; acidi sulphurici 32,58; aquæ 7,3.

V. Irritans; adstringens; antispasmodica.

U. Interno usu profuisse fertur in epilepsia, chorea, aliisque spasmodicis morbis. Celeberrimus Cullen docet, remedium hoc nunquam ultra mensem esse continuandum. Extrinsecus solutionis forma cum successu ulceribus flaccidis admovetur; collyria quoque, ophthalmiis chronicis idonea ingreditur.

D. A quarta grani parte ad grana tria vel quatuor, dosin sensim augendo, bis in die, datur adulto, pilularum forma. Pro solutione, extrinsecus ulceribus ad-

movenda, granum, vel quatuor, in aquæ uncia solvuntur. Pro collyrio grani dimidium ad integrum, ad unciam liquidi.

ACETAS CUPRI CRYSTALLISATUS.

$CuO, \overline{A} + aq.$

ÆRUGO CRYSTALLISATA.

Уксуснокислая окись мѣди.

℞. Æruginis venalis quantum vis,
Aceti destillati quantum opus ad solutionem.

Liquorem per chartam colatum in crystallos coge, quas exsicca, et in vase obturato serva.

Nisi Ærugo præsto foret, parari etiam potest sequenti modo:

℞. Sulphatis Cupri crystallisati uncias sex cum dimidia,
Acetatis Plumbi crystallisati uncias novem et drachmas septem.

Utrumque sal sufficienti aqua solve, et solutiones misce. Liquorem colatum in crystallos coge.

ÆRUGO seu VIRIDE ÆRIS *(Ярь мѣдянка)*, artis productum est, ex acido acetico et oxydo cupri, varia proportione junctis. *Ærugo cærulescens* paratur in regionibus viniferis; quem in finem laminæ cupri calefactæ vinaceis, fermentationem acidam subintrantibus, cooperiuntur, et per mensem et ultra corrodendæ relinquuntur. Ærugo derasa cum aceto in massam pultaceam conteritur, et variis compressa formis venum datur. Est hujusmodi Ærugo plerumque *Disacetas Cupri* $= (CO)^2 \overline{A} + 6aq.$ Centenarius illius constare dicitur ex: oxydi cupri 43,34; acidi acetici 27,45; aquæ 29,21. *Ærugo virescens* obtinetur, dum laminæ cupri, pannis aceto madidis tectæ, aëri exponuntur.

Hujusmodi Æruginis species continet acetatem cum disacetate et trisacetate cupri varia proportione mixtos.

Q. Acetas Cupri crystallisatus sistit prismata rhomboëdra obliqua, pellucida, coloris viridis intensioris; saporis est ingrati, metallici. Solvitur in 13 temperatæ et 5 bullientis aquæ partibus; solvitur parimodo in alcohole. Centenarius salis neutri constat ex: oxydi cupri 40; acidi acetici 51; aquæ 9 partibus.

V. Adstringens; escharotica.

U. Intus raro exhibetur, nec est commendandus usus illius. Extrinsecus forma solutionis ulceribus atonicis superdatur. Ingreditur quoque collyria, blepharophthalmiæ chronicæ purulentæ aliisque adcommoda.

D. Pro solutione extrinsecus admovenda, granum, vel duo, ad unciam liquidi; pro collyrio eadem quantitas in quatuor unciis solvitur.

FERRUM.

Fe.

Желѣзо.

Ferrum raro invenitur nativum, sed plerumque oxydatum et minerarum forma, unde eliquatur crudum (Ferrum fusum, *Чугунъ*), quod ulteriori tractatione in Ferrum ductile, imo etiam in chalybem convertitur. In vegetabilibus et animalibus ejusdem vestigia non desunt. *Usualia sunt:* 1) Ferrum limatum; 2) F. pulveratum; 3) Oxydo-Sesquioxydum Ferri; 4) Sesquioxydum F.; 5) Hydras Sesquioxydi F.; 6) Carbonas F. cum Hydrate sesquioxydi; 7) Chloridum F. crystallisatum; 8) Sesquichloridum F.; 9) Hydrochloras Ammoniæ ferrosus; 10) Sulphas F. crystallisatus; 11) Sulphuretum F.; 12) Jodidum F.; 13) Cyanidum F. et Potassii; 14) Sesquicyanidum F. cum Cyanido Potassii; 15) Cyanido-Sesquicyanidum F.; 16) Tartras F. et Potassæ; 17) Carbonas F. mellitus (quem videsis in parte tertia).

Q. Coloris est ex cinereo albescentis, nitore insigni præditum; durissimum omnium metallorum; per-

quam ductile, hinc in fila tenuissima duci potest, non tamen auri et argenti instar in folia tenuissima extendi. Pond. specific. = 7,788. Igne nonnisi intensissimo funditur; priusquam fundatur mollescit, quo in statu accudi potest. A magnete attrahitur, quin imo ipsum vim magneticam assumit. In aëre sicco Ferrum manet immutatum, in aëre autem humido sensim sensimque superficies ejus rubigine tegitur, quæ ex hydrate sesquioxydi ferri et ammonia constare dicitur.

V. Ferrum, varia præparati forma, homini sano per unam alteramve hebdomadam quotidie porrectum, orgasmum sanguinis et sensum ægritudinis provocat; vis concoctionis imminuitur; observantur ructus nidorosi; alvus interdum fit naturali frequentior, interdum autem adstricta; sedes alvinæ constanter nigro tinguntur colore, quem alii ex acido gallico, alii ex sulphure, cum cibo ingestis repetendum esse censent. Urina, revelantibus disquisita, Ferri vestigia manifestat. Maxima pars auctorum in eo consentiunt, Ferrum absorberi et massam sanguinis ingredi, quod verisimile esse videtur, quum e libra sanguinis humani, experimentis sæpius repetitis, grana septem vel novem illius obtenta fuerint. Propinato diutius Ferro, cruorem et fibrinam in sanguine adaugeri, multi ac fide digni viri contendunt. Fibræ muscularis tonum intendit, et restaurata vi functionum animalium, roborando in systema nervorum agit. Etiamsi virtus omnium Ferri præparatorum una ferme eademque sit: hoc tamen scire juvabit, præparata Ferri insolubilia mitius agere solubilibus, hinc illa initio curationis magis apta censentur.

U. Jam dudum adhibetur in chlorosi, quæ uberrimum sistit morborum fontem, imprimis in sexu sequiori. Feminæ, hoc morbo laborantes, menstruorum anomalia

plerumque afficiuntur; menstrua comitantur dolore, sanguis pallidus, aquosus, parva quantitate secernitur; accedit universæ cutis et membranarum mucosarum pallor, macies, faciei et extremitatum inferiorum œdema, dyspepsia, vomitus periodici, alvus segnis, vel nimium relaxata, siccitas cutis, polydypsia, et pulsus fit præter modum frequens (febris alba virginum). Chlorosi diutius persistente menstruorum loco leucorrhœa adparet, frequentissima sterilitatis causa. Huic morbo varia Ferri præparata optime conveniunt, vel sola per se, vel aliis juncta; dum alvus segnis est, juvat addere aloën, dum vero nimium relaxata, magisterii bismuthi, vel carbonatis calcariæ præparati tantillum. Præstat Ferrum pastus tempore bis aut ter in die administrare, nam si jejuno datur stomacho multo difficilius recipitur. Profligatis chloroseos symptomatibus usu Ferri haud est supersedendum, sed danda mora ad unam alteramve hebdomadam, dein iterum porrigatur, necesse est, et sic per annum integrum et ultra continuandum; nam si protinus illi abdicetur, pristini morbi symptomata prodeunt. In stadio convalescentiæ, post morbos graves, præsentaneum est remedium, dummodo ventriculus illi perferendo par sit. In hæmorrhagiis passivis, ex vasorum inertia, vel deficiente sanguinis cruore, originem ducentibus utile est; si vero status scorbuticus illis sublatet, Ferrum debellando malo impar est. Dum ulcus canceraticum ex prava vel deficiente nutritione, aut ex prægressis hæmorrhagiis oritur, qualitatem sanguinis corrigendo, Ferrum juvat; sic quoque viscerum abdominalium infarctus et hydrops, dum ex simili causa proveniunt, Ferro interdum curantur. Bretonneau de Tours contendit, febri intermittente, a paludum miasmatibus exorta, san-

guinem immutari, illumque, æque ac in chlorosi, cruore et fibrina orbari; hinc SYDENHAMI aliorumque exemplo, in sequelis hujus morbi præparata martialia per plures menses porrexit, interpolatis quavis hebdomada drachmis duabus cinchonæ, vel granis decem disulphatis chiniæ. In blennorrhœa urethræ chronica, quæ in debilibus, leucophlegmaticis, obvenit, remedium hoc adcommodate propinatur. Hysteria aliæque adfectiones spasmodicæ, quæ feminas post partum, lactatum nimis diuturnum, vel post magnas sanguinis jacturas obruunt, martialibus plerumque cedere solent. Neuralgiæ in feminis, æque ac in viris, imprimis dum dolor vagus est, Ferro diutius propinato curantur; huc præ cæteris spectant, dolor faciei, odontalgia periodica, gastrodynia, et malum ischiaticum.

Inhibetur Ferri usus irritabili nervorum systemate et plethora, quo in casu, si diutius porrigatur, sanguinis congestiones provocat; nec minus cruore sanguinis abundante; si vero incaute propinaretur, lymphæ stagnationes, primordia infarctuum et indurationum, excitarentur. Non convenit fibra rigida præditis, parimmodo ac iis, qui hepatis aut lienis infarctum ex prægressa inflammatione perpessi sunt. Æque rejiciendus est internus ejusdem usus, dum organorum secernentium, utpote cutis, renum, aliorumque, functio imminuta est, uti etiam dum febris viget, vel organa interna suppuratione correpta sunt.

Ad conservandam aquam in navibus, diuturnum iter ingredientibus, inserviunt arcæ ex ferro in bracteas tenuato confectæ; oxydum ferri, quo abundat aqua, hoc modo servata, id imprimis boni adfert, quod, generationem infusoriorum et quamvis labem præpediendo, sanitati navitarum conducat.

FERRUM LIMATUM.

Limatura Martis.

Желѣзные опилки.

Ferrum purum, nullo alius metalli ferrumine inquinatum, limæ ope in scobem redige, quam in loco sicco, in vasis clausis serva.

FERRUM PULVERATUM.

Limatura Martis præparata.

Ferrum limatum in mortario ferreo, ope pistilli ex eodem metallo confecti, diutius contunde, pulverem obtentum, primo ope setacei densioris, ab adhærente oxydo separa; quod autem superest per setaceum minus densum trajice, et in loco sicco, in vasis probe obturatis, serva.

Si per sesquioxydum ferri anhydrum, tubo ferreo immissum, calore incandescente, gas hydrogenium siccum tamdiu transmiseris, donec aqua generari cessaverit, et sub finem gas acidum carbonicum propellas, Ferrum pulveris subtilissimi forma obtinebis.

Q. Coloris est ex cinereo nigricantis, et splendore metallico nitet; in acido sulphurico diluto prorsus solvitur, hydrogenium evolvendo; hujusmodi solutio, si Ferrum cupro inquinatum foret, acido hydrothionico saturata, præcipitatum exhibet coloris fusci intensioris (bisulphuretum cupri).

V. et U. ut Ferri generatim.

D. Adulto datur a granis duobus ad sex pro dosi, bis aut ter in die.

OXYDO-SESQUIOXYDUM FERRI.

FeO, Fe^2O^3.

ÆTHIOPS MARTIALIS.

Желѣзисто-желѣзная окись.

Ferrum limatum immitte vasi fictili, eique tantum aquæ adjice, ut pultis speciem referat, quin tamen aqua superabundet; vas sepone in locum ad + 24° R. circiter temperatum, massam per vices aqua consperge et spatha commisce, quod duarum aut trium dierum spatio continuabis. Tum massam pultaceam, in mortario ferreo contusam, super setaceum densius multa aqua tamdiu lavabis, donec aqua nullas nigrescentes miculas secum trahat. In setaceo remanet ferrum non oxydatum, aqua lotionis autem continet oxydum cum particulis ferri metallici, a quo elutrationis auxilio præparatum liberabis. Oxydo - Sesquioxydum Ferri super linteum densius excipe, charta bibula exsicca, et probe siccatum in vasis clausis serva.

Q. Dicto modo paratum speciem exhibet pulveris nigri, subtilissimi; quod autem in officinis ferrariis e metallo candente ictibus mallei separatur, squamularum nigrarum forma adparet. A magnete attrahitur et in acidis, sulphurico et hydrochlorico, dilutis prorsus solvitur, nullum evolvendo gas hydrogenium; solutio hujusmodi coloris est flavi virescentis. Cupri vestigia deteguntur, uti in ferro limato. Centenarius constat ex: oxydi ferri 30,98 et sesquioxydi ferri 69,02.

V., U. et D. ut præcedentis.

SESQUIOXYDUM FERRI.

Fe^2O^3.

COLCOTHAR; CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

Окись желѣза.

Sulphatem ferri in vase ferreo exsicca; residuum crucibulo immitte et tamdiu ure, donec nulli extricen-

tur vapores; tum ab igne remove, et aqua fervente ablue, donec aqua lotionis pura defluat; siccatum usui serva.

HYDRAS SESQUIOXYDI FERRI.

$2Fe^2O^3 + 3aq.$

Водная окись желѣза.

℞. Sulphatis Ferri crystallisati partes decem,
Acidi Sulphurici officinalis partes duas,
Aquæ partes quadraginta,
Acidi Nitrici officinalis,
Ammoniæ liquidæ, utriusque quantum opus.

Sulphatem ferri in aqua solve, eique acidum sulphuricum adde; liquori, in patina porcellanea ferventi, adde parvis portionibus acidum nitricum tamdiu, donec jam nulli extricentur vapores rubei. Liquido frigefacto pondus aquæ adjice, quod viginti illius ponderibus æquetur; tum addita ammonia exuberante Sesquioxydum Ferri dejice, quod adfusa aqua tamdiu elues, donec illa, solutione chloridi barii explorata, nil promat; tum præparatum super linteum excipe, et solito aëris tepore sicca.

Hydras Sesquioxydi Ferri, ut antidotum acidi arsenicosi adhibendus, humidus et nequaquam siccatus, gelatinæ quasi speciem referens, in vasis probe clausis servetur.

Q. Sesquioxydum Ferri pulveris speciem habet fusco-rubri, insipidi et aqua insolubilis. Hydras siccatus cohæret, et in fractura nitet. Utrumque in acido hydrochlorico prorsus solvitur, quin effervescat; dum Sesquioxydum F. purum est, solutio, addito hydrogenio sulphurato, dat sedimentum flavum (sulphur); dum vero cupro inquinatum, sedimentum fuscum. Centena-

rius anhydri constat ex: ferri 69,34 et oxygenii 30,66; centenarius hydratis ex: sesquioxydi 85,29 et aquæ 14,71.

V. Ut Ferri generatim.

U. Recentissimis temporibus BUNSEN et BERTHOLD, qua arsenici antidotum, Hydratem Sesquioxydi Ferri summis laudibus extulere. Sponte patet, remedium tunc tantummodo efficax esse, dum sine mora propinatur, quo corrodentibus veneni qualitatibus obviam itur. Si nimia arsenici quantitas deglutita esset, vel dum ventriculus ciborum copia turget, aut substantiæ tanninum continentes, uti thea, vel hydrogenium sulphuratum evolventes, uti ova vel sulphur, simul assumptæ fuerunt, tunc prius exhibeatur emeticum: sin secus, illico ad usum Hydratis Sesquioxydi Ferri accedendum. Porrigitur (aqua suspensus) omni quadrante horæ, aut singulis quinque minutis, drachma, duæ aut tres, additis, si arsenicum album ingestum sit, cuilibet dosi guttis 10 aut 15 ammoniæ liquidæ. Si emesis excitatur, remedium minori dosi dandum est. Hujusmodi medendi ratio tamdiu continuanda, donec sedes alvinæ insequantur, quæ, si ammonia non fuerat adhibita, coloris sunt albi, sub usu autem illius in rubidum vergunt. Si venenum in intestinis crassis suspicatur, injicienda sunt clysmata cum sulphate magnesiæ, et dein cum Hydrate Sesquioxydi Ferri.

CARBONAS FERRI cum HYDRATE SESQUIOXYDI.

CROCUS MARTIS APERITIVUS; FERRUM OXYDATUM FUSCUM.

Углекислая закись желѣза съ окисью.

℞ Sulphatis Ferri crystallisati partes quindecim,
Carbonatis Sodæ crystallisati partes octodecim.

Utrumque sal in aqua solve et per chartam cola; dein solutionem carbonatis sodæ parvis portionibus

sulphati ferri soluto adfunde, liquidum per vices agitando. Mox apparebit præcipitatum album (carbonas oxydi ferri); hoc multa aqua frigida elue, dein super linteum excipe, et siccum usui serva.

Carbonas oxydi ferri initio albus est; sensim vero, oxygenium absorbendo, coloris fit ex fusco virescentis, serius autem ex flavo rubescentis, quo pars illius in Hydratem Sesquioxydi Ferri mutatur.

Si sal hoc igne obscure rubente, in crucibulo calori adaucto exponatur, aqua et acidum carbonicum avolant, residuum autem est Sesquioxydum Ferri anhydrum *(Crocus Martis adstringens)*.

V. et U. ut Ferri generatim.

D. A granis quatuor ad scrupulum, bis aut quater in die datur adulto.

CHLORIDUM FERRI CRYSTALLISATUM.

$FeCl^2 + 4aq.$

MURIAS seu HYDROCHLORAS FERRI.

Дву-хлористое желѣзо.

℞. Ferri ramentorum partes tres,
Acidi Hydrochlorici venalis (P. spec. = 1,12) partes decem.

Ferrum solve in acido, lenem adhibendo calorem; solutionem calentem per chartam cola, dein vaporando confestim massam obtinebis salinam; hanc exsicca, et in vase probe obturato serva.

Q. Crystallos, ex densata solutione excussas, refert pallide virescentes, saporis adstringentis, ingrati, quæ aëri expositæ liquescunt; in pari aquæ temperatæ pondere solvitur; crystalli, vel solutio earum, attracto oxygenio, sesquioxydum ferri deponunt. In alcohole parimodo solvitur.

Cupri vestigia deteguntur, ut in ferro limato, vel immissa in solutionem Chloridi Ferri lamina ferri polita, cui cuprum adhærebit. Si solutioni Chloridi Ferri ammonia liquida uberius addatur, et liquor digeratur, limpidus sit, oportet; si autem cæruleum induerit colorem, cuprum adesse, hoc pariter indicat.

V. et U. ut Ferri generatim.

D. Spiritu vini solutum porrigitur a granis duobus ad quatuor, bis aut ter in die.

SESQUICHLORIDUM FERRI.

$Fe^2 Cl^6$.

Murias peroxydi Ferri.

Дву-шестихлористое желѣзо.

Chloridum ferri in aqua calida solve; per solutionem calentem gas chlorum tamdiu transmitte, donec absorbeatur. Quantitatem chlori necessariam obtinebis, si tantum acidi hydrochlorici sumas (addito binoxydo mangani), quantum illius impendisti, ut chloridum ferri produceres. Solutio coloris fusci intensioris, saporis adstringentis, refrigerata crystallos exhibet læte purpureas, quæ siccatæ in vase obturato servandæ sunt.

Sesquichloridum Ferri liquidum *(Oleum Martis)*, quod usui pharmaceutico imprimis aptum est, sequenti modo parabis:

℞. Hydratis Sesquioxydi Ferri partem,
Acidi Hydrochlorici concentrati partes quatuor.

Sesquioxydum in acido solve; liquorem in balneo aquæ vapora, donec syrupi spissitudinem nanciscatur. Pondere sit specifico = 1,5.

HYDROCHLORAS AMMONIÆ FERROSUS.

Flores salis ammoniaci martiales; Chloridum Ferri cum hydrochlorate ammoniæ.

Желѣзистый нашатырь.

℞. Chloridi Ferri partem,
Hydrochloratis Ammoniæ partes tres.

Salia in minima aquæ quantitate solve, et ad siccum evapora. Massam salinam in vase probe clauso serva.

Flores Salis ammoniaci martiales, olim sic dictos, obtinebis, si massam salinam in patina fictili, simili vase (in superiori parte perforato) obtecta, igne sensim adaucto sublimabis. Productum in pulverem tritum in vasis examussim obturatis serva.

Q. Massam sistit solidam, radiatam, in stratis dissimili colore variegatam, ex flavo pallescente et fusco intensiori.

V. et U. ut Ferri generatim.

D. Datur a granis tribus ad decem pro dosi.

SULPHAS FERRI CRYSTALLISATUS.

$FeO, SO^3 + 7aq.$

Vitriolum Martis seu viride.

Сѣрнокислая закись желѣза; Зеленый купоросъ.

Quum venalis cupro, zinco, mangano, alumina et magnesia inquinatus esse soleat, in usum pharmaceuticum sequenti modo parandus est:

Ferrum purum, nullo alius metalli ferrumine contaminatum, in acido sulphurico, sextupla vel octupla aquæ quantitate diluto, solve, plus quam solvi potest ferri adhibendo. Solutio hæc sub dio libero suscipienda, et candellæ aut ignis propinquitas sedulo vitanda, ne hydrogenium, quod copiosum evolvitur, flammam concipiat. Solutione peracta, liquidum a ferro non so-

luto separatum, vaporando consume (ut pond. specif. = 1,28), per chartam bibulam cola, et in locum frigidum sepone; crystallos collectas in vase clauso, intercepto luminis accessu, serva.

Q. Crystalli sunt prismata lateribus rhomboidalibus, pellucidæ, pallide virescentes, in cæsium vergentes; saporis austeri aciduli, perquam adstringentis; aëri expositæ fatiscunt, et obducuntur initio pulvere albo, qui serius in flavum, et tandem in fuscum abit. Accedente calore moderato in aqua crystallisationis funduntur, hac autem avolante, Sulphas Ferri anhydrus obtinetur, qui massam albam, salinam exhibet; intensiori calore acidum sulphuricum expellitur, et sesquioxydum ferri cum parva acidi quantitate junctum manet, olim Caput mortuum vitrioli nuncupatum. Pond. specific. = 1,82. Aquæ frigidæ partes duæ, calidæ autem tres quartæ tantum partes necessariæ sunt ad solutionem. In alcohole non solvitur. Centenarius sulphatis Ferri crystallisati constat ex: acidi sulphurici 29,00; oxydi ferri 25,42; aquæ 45,58 partibus. Heterogenea deteguntur uti in chlorido ferri et ferro limato.

V. Potentia adstringente reliquis præstat.

U. Intus ut alia ferri præparata usurpatur. Extrinsecus adhibetur forma lotionis, vel injectionis, in variis membranarum mucosarum affectionibus; in ophthalmo-blennorrhœa pro collyrio sumitur gr. 1 vel 2 ad unciam liquidi; in panno et pterygio, nec non aliis conjunctivæ excrescentiis, gr. 4 vel 8 ad unciam. Pro injectione in fluore albo quantitas multo major sumi potest. In polypis narium adhibetur interdum drachma ad unciam liquidi sensim adscendendo.

D. Grana duo, quatuor vel sex pro dosi, bis in die propinantur.

SULPHURETUM FERRI.

FeS.

FERRUM SULPHURATUM.

Сѣрнистое желѣзо.

℞. Ferri limati partes tres,
Sulphuris purificati partes duas.

Misce exactissime et immitte crucibulo satis amplo, quod initio igni leniori expone. Surgent copiosi vapores sulphurei; his cessantibus caloris gradum adauge, ut sulphuretum liquefiat; dein exime crucibulum, et massam liquefactam in tabulam ferream effunde, quam in mortario ferreo in frustula comminutam, in vase bene clauso serva.

Q. Coloris est flavo-fusci; igne intensius candente funditur; aqua non solvitur. Centenarius constat ex: sulphuris 37; ferri 63 partibus.

U. Educendo hydrogenio sulphurato inservit.

JODIDUM FERRI.

FeI^2.

FERRUM JODATUM; HYDRIODAS FERRI.

Іодистое желѣзо.

℞. Jodi uncias tres,
Ferri limati unciam,
Aquæ destillatæ libras tres.

Jodum cum aquæ libris duabus et dimidia immitte vasi ferreo, dein ferrum parvis portionibus adjice. Calefac in balneo arenæ spatha continuo movendo. Colore subviridi facto, liquorem per chartam cola, residuum libra dimidia aquæ lavando. Liquores colatos in unum collige, et calore 80° R. non excedente ad siccum evapora; massam caloris fusci, in vase probe obturando, et a potentia lucis muniendo, usui serva.

Solutio Jodidi Ferri.

℞. Jodidi Ferri sicci unciam dimidiam,
Aquæ destillatæ uncias decem.

Solve, et immitte lagenæ obturandæ, in quam prius immiseris drachmam vel duas fili ferrei purissimi contorti. Drachma hujus solutionis continet grana tria Jodidi Ferri.

Filum ferreum, suadente Todd Thomson, ad præpediendum Jodidi Ferri discidium solutioni est immittendum; quod nisi fiat, labente tempore ferrum in sesquioxydum abit et a jodo secedit; si vero metallum adsit, nova continuo generatur conjunctio, et virtus remedii nullatenus hebetatur.

Q. Saporis est austeri. Igne leniter rubente funditur, intensiori autem resolvitur. Centenarius constat ex: jodi 82,32; ferri 17,68 partibus.

V. Tonica; excitans; emmenagoga.

U. In chlorosi, suppresso menstruorum fluxu, nisi organorum pectoris vitium sublateat, vel concoctio tarda sit, magni æstimatur, et tum croco vel aloëticis jungitur. In scrofulis etiam prodesse dicitur, tam usu interno, quam extrinsecus balneorum forma adhibitum; quem in finem uncia dimidia, vel integra, in labro balneario solvitur; exhibentur autem balnea hujusmodi omni altera aut tertia die. Laudatur a Pierquinio in fluore albo ex atonia membranæ mucosæ, forma injectionis (drachma vel duæ ad libram aquæ).

D. Porrigitur forma solutionis, pulveris aut pilularum a grano ad duo, vel quatuor, bis aut ter in die. Solutionis propinantur guttæ 15 ad 40.

CYANIDUM FERRI et POTASSII.

$FeCy^2, 2KCy^2 + 3aq.$

Borussias Potassæ ferrosus; Kali ferroso-hydrocyanicum.

Желѣзисто-синеродистый калій.

Potassæ liquidæ, in vase ferreo bullienti, cæruleum Berolinense, in fragmenta divisum, tamdiu injicies, quoad color cæruleus evanescet; sesquioxydum ferri subsidet, liquidum vero Borussiatem Potassæ ferrosum solutum continebit. Solutionem, coloris fusci, per chartam cola, et vaporando in crystallos coge. Sal hoc venale prostat.

Q. Crystalli ejus sunt pellucidæ, coloris citrini, tabulatæ, tetraëdræ, rectangulares; odoris est expers; saporis initio dulciculi, tandem aliquantulum amari; aëri tepido expositum fatiscit, et colore citrino orbatur. Solvitur in octo partibus aquæ temperatæ; alcohole insolubile est. Centenarius constat ex: cyanidi ferri 25,28; cyanidi potassii 61,96; aquæ 12,76. Solutio Cyanidi Ferri et Potassii cum salibus oxydi ferri dat præcipitatum album, quod sensim cæruleo tingitur colore; cum salibus autem sesquioxydi ferri mox apparet sedimentum intensius cæruleum.

SESQUICYANIDUM FERRI cum CYANIDO POTASSII.

$Fe^2Cy^6 + 3KCy^2.$

Sal rubrum Gmelini.

Per solutionem cyanidi ferri et potassii (borussiatis potassæ ferrosi) chlorum tamdiu transmittes, quoad illa coloris fiet rubri, et nullum sedimentum promet. Liquorem (sal rubrum Gmelini cum chlorido potassii

continentem) vaporando in crystallos coge, quas denuo in aqua destillata solve, et iterum elice.

Q. Crystalli sunt purpureæ, pellucidæ, nitentes. Solvitur in 4 partibus aquæ temperatæ; ægre autem in alcohole. Centenarius constat ex: sesquicyanidi ferri 40,42; cyanidi potassii 59,58.

In solutione salium sesquioxydum ferri continentium nullam producit mutationem, cum salibus vero, quæ oxydo ferri constant, sedimentum refert cæruleum (Berolinense), estque revelans chemicum.

CYANIDO-SESQUICYANIDUM FERRI.

$3FeCy^2 + 2Fe^2Cy^6$.

CÆRULEUM BEROLINENSE PURUM.

Берлинская лазурь; Желѣзисто-синеродное желѣзо.

Venale sequenti modo paratur: partes animalium (corium, cornua vel sanguis) addito carbonate potassæ igne candente uruntur; residuum, in pulverem tritum, aqua frigida eluitur; aqua ab eodem eliquata *(Lixivium sanguinis)*, cum æthiope martiali digesta, dein colata, addito acido sulphurico ad statum neutrum reducitur; solutionem sulphatis ferri sensim addendo, præcipitatum cæruleum apparet, quod elotum siccatur.

Cæruleum Berolinense purum sic conficies: in solutionem cyanidi ferri et potassii sesquichloridum ferri liquidum, multa aqua dilutum, paulatim instilla, curando, ut pars aliqua cyanidi ferri et potassii immutata exuberet. Præcipitatum aqua destillata elue et sicca.

Q. Substantia est friabilis, cærulea, in fractura rubens; saporis expers; aqua, alcohole et acidis dilutioribus non solvitur. Centenarius constat ex: cyanidi ferri 37,56 et sesquicyanidi ejusdem 62,44. Quod venale prostat, et nomine ***Cœrulei Berolinensis, Parisien-***

sis, vel *Cœrulei mineralis* obvenit, potissimum alumina, magnesia vel oxydo zinci inquinatum esse solet.

Nonnulli asserunt, illud valde prodesse in epilepsia, febribus intermittentibus et dysenteria, a grano ad quatuor pro dosi, ter in die exhibitum (Zollikoffer, a Hildebrand).

TARTRAS FERRI et POTASSÆ.

$$4KO\overline{T} + Fe^2O^3\overline{T}.$$

Tartras Potassæ ferrosus.

Виннокислое кали съ окисью желѣза.

℞. Bitartratis Potassæ partem,
Aquæ communis partes sex,
Hydratis Sesquioxydi Ferri quantum opus.

Bitartratem potassæ in patina porcellanea aqua solve; solutioni fervefactæ tantum adjice hydratis sesquioxydi ferri, quantum solvi potest; dein cola, et calore leni ad siccum evapora. Massam salinam in pulverem contere, et in vase probe clauso usui serva.

Globuli Tartari ferrosi seu martiati.

℞. Ferri limati partem,
Bitartratis Potassæ impuri venalis (Tartari crudi) pulverati partes quatuor.

Mixta in vase fictili sufficienti aqua humecta, ut pultis speciem exhibeant, quam, in balneo arenæ leniter calefactam, sepone per nychthemeron; subsequenti die iterum aqua humecta, misce et calefac, et denuo per nychthemeron sepone. Hicce procedendi modus tertia adhuc vice erit repetendus. Tum massam nigram, addito pauxillo aquæ, caloris ope, efformandis globulis, unciæ dimidiæ pondus habentibus, aptam redige. Globulos in aëre libero exsicca, et usui serva.

Q. Coloris est ex rubro in fuscum vergentis vel virescentis; saporis styptici; in aqua facillimo solvitur. Centenarius constat ex: potassæ 31,26; sesquioxydi ferri 12,99; acidi tartarici 55,75. Globuli Tartari ferrosi continent præterea oxydum ferri, principio tannino et partibus extractivis, in tartaro crudo contentis, junctum; hinc coloris sunt nigricantis.

V. et **U.** ut ferri generatim. Globuli Tartari ferrosi in usum externum ducuntur, et in balneo soluti præscribuntur.

D. Tartras Ferri et Potassæ datur adulto a granis tribus ad sex, bis aut ter in die, forma solutionis aut pilularum. Globulorum Tartari martiatorum sumitur pro balneo uncia vel duæ.

HYDRARGYRUM.

Hg.

MERCURIUS; ARGENTUM VIVUM.

Ртуть; Живое серебро.

Hydrargyrum provenit in variis Europæ, Americæ et Asiæ regionibus. Occurrit in Hungaria, uberius profertur Idriæ in Carinthia, maxima vero ejus copia effoditur in Hispania, haud procul a Cordova, in viciniis oppidi Allmadini, cujus vetustissima fodina toti Europæ cinnabarem suppeditat. Invenitur in Peruvia (non procul ab urbe Potosi), insulis Philippinis, nec non in Imperio Chinensi et Siberia. Rarius occurrit nativum (Hydrargyrum virgineum), raro etiam argento vel chloro junctum (amalgama nativum et Hydrargyrum corneum), plerumque vero minerarum instar communiter cum sulphure (Cinnabaris). *Usualia sunt:* 1) Hydrargyrum purificatum; 2) Binoxydum Hydrargyri; 3) Nitras Binoxydi H. liquidus; 4) Subnitras H. ammoniatus; 5) Chloridum H.; 6) Bichloridum H.;

7) Hydrochloras Ammoniæ cum Binoxydo H.; 8) Bijodidum H. (Videsis Jodum); 9) Sulphuretum H. nigrum; 10) Sulphuretum H. stibiatum nigrum; 11) Bisulphuretum H.; 12) Bicyanidum H.

Q. Est metallum solita temperie fluidum, nitore constanti præditum, et argento (calore liquefacto) aspectu simillimum. Si cum materiis in pulverem redactis aut pinguibus conteratur, forma liquida et nitore metallico orbatur (extinctio Hydrargyri); a his autem liberatum, pristinas qualitates recuperat. Pondus specificum = 13,59. Calore notabiliter expanditur; in vase aperto ad temperaturam + 252° R. oxydatur; ad 288° R. forma vaporum avolat, et, apparatu idoneo inclusum, destillat. Intensissimo frigoris gradu ad — 32° R. congelatur, in crystallos octaëdras solidescit, et malleis obsequitur; congelati pondus specificum = 14,39.

Emporeticum haud raro metallis vilioribus, scilicet: plumbo, bismutho, aut stanno adulteratum occurrit. Superficies impuri, accedente aëre, nitorem amittit, cinerea fit et cuticula tegitur: globuli ejus non sunt sphærici, sed quasi caudati, nigra vel cinerea vestigia relinquentes. Hydrargyrum, quod plumbo, perniciosissima omnium labe, inquinatum est, acido acetico saporem dulcem impertitur, et acido sulphurico tractatum, sedimentum nanciscitur, forma pulveris albi; quod bismuthi particulas habet admixtas, in acido nitrico solutum, adfusa ubertim aqua, sedimentum album (subnitratem bismuthi) promit; quod stannum continet, acido nitrico exploratum, pulvere albo (binoxydo stanni) tegitur. Dum Hydrargyrum, quod metallo non volatili adulteratum suspicatur, in cochleari ferreo prunis candentibus exponitur, ipsum avolat, relictis heterogeneis non volatilibus, eidem admixtis, quo fraus detectu est facilis. Tale experimentum sub dio, vel potius sub

camini spiraculo, vapores noxios educente, instituendum est.

V. Vis, quam Hydrargyrum in corpus humanum exserit, tum a methodo, qua usurpatur, tum ab ipso præparato pendet; nihilominus tamen observatur quædam symptomatum series, quæ ab omnibus illius compositis æque provocatur. Methodi Hydrargyrum adhibendi, re generatim considerata, duæ sunt: vel enim organismus tanta saturatur Hydrargyri copia, ut quam brevissimo tempore symptomata, ejus absorptionem testantia, appareant, quo virtutem prodit antiphlogisticam. Vel parvis insistendo dosibus, metallum hoc diutius porrigitur, quo potentia ejus antisyphilitica, lenta quidem, sed penetrans conspicua fit.

Usu Hydrargyri uberiori serius ocius insequitur siccitas oris et faucium; ægrotus conqueritur de sapore metallico, ingrato; gingivæ, initio anteriores inferiores, dein superiores, leviter intumescunt, livent et dolent; si vero ægrotus dentem carie affectum habet, tumor et dolor in ejus gingiva primo manifestantur; lingua obducitur muco albo, spisso; velum palatinum intense rubet, leviterque dolet; ægrotus spiritum edit peculiari modo fœtentem; glandulæ salivales intumescunt, magnam salivæ copiam fundentes; subsequitur ciborum aversio et haud raro alvus relaxatur; pulsus frequentia increscit (febris mercurialis), qui tamen digito prementi facile cedit; vires ægrotantis plus minusve infringuntur; cutis haud raro profusis madet sudoribus, et innumeris obtegitur vesiculis acuminatis (eczema mercuriale). Dum, hisce symptomatibus jam prolatis, Hydrargyrum incaute ultra propinatur, gingivæ exulcerantur, dentes vacillant, quin imo haud raro excidunt; lingua et omnes internæ oris partes valde intu-

mescunt, et ulcusculis (ansam cariei alveolarum et necrosi maxillarum interdum præbentibus) obsiduntur. Hoc rerum statu ægrotus pallorem contrahit, facies et palpebræ tument, subsequitur œdema extremitatum inferiorum et hydrops, quem cardiopalmus persæpe comitatur (cachexia mercurialis). Sanguis hoc tempore, e vena missus, seri aquosi magnam copiam, cruoris autem parvam exhibet quantitatem, facile conquassandam; organismus tali modo Hydrargyro infectus, perquam pronus fit in hæmorrhagias passivas. Hæc est symptomatum caterva, quæ Hydrargyri abusum, haud diu protractum subsequi solet.

Aliter autem se res habet, dum organismus lente, per diuturnum temporis spatium vel continuum, vel intervallis distinctum, Hydrargyro imbuitur: vigor organorum concoctionis pedetentim infringitur; sanguis dissolutus, et vestigia metalli hujusce continens, non est alendis, sed potius irritandis partibus organicis; hinc cardiopalmus, tremores artuum, mentis hebetudo et hallucinationes, phantasmatum terribilium visionibus sustentatæ. Hujusmodi symptomatibus obnoxii fiunt artifices, inaurandis metallis occupati, Hydrargyri minerarum fossores, nec non ægroti, curationibus mercurialibus diuturnis subjecti.

Sunt quædam hydrargyroseos symptomata, quæ obiter considerata, cum illis morbi syphilitici magnam similitudinem æmulantur: accuratius tamen ponderata, valdopere differunt; sic *erythemata et pustulæ impetiginosæ* in hydrargyrosi sub ipsa salivatione observantur, et morbi acuti instar decurrunt; — in syphilide vero chronicam induunt formam. *Ulcera* in hydrargyrosi obsident gingivas, commissuras maxillarum, pone ultimum dentem molarem, linguam, et internam buccarum

superficiem, apparent sub ipso Hydrargyri usu, et plerumque fœtorem exhalant ac dolent; — ulcera vero in syphilide secundaria occupant velum palatinum, membranam mucosam narium et laryngis, nonnisi morbi inveterati sequelæ sunt, et vix fœtorem aut dolorem proferunt. *Caries et necrosis* in hydrargyrosi subsequuntur partium mollium exulcerationem, attingunt imprimis alveolas et apophysin coronoideam maxillæ inferioris; — in syphilide vero vel nulla præcedit partium mollium exulceratio, vel ulcus vicinum ad partem carie infectam proserpit; ossa palati et vomeris præ cæteris afficiuntur. *Dolores nocturni* in hydrargyrosi plerumque matutino tempore sæviunt, nullis comitantur exostosibus, et potius rheumatici dicendi sunt; — in syphilide vero in ossibus sedem figunt, hinc osteocopi dicti, exostoses habent comites, et sub vesperas insinuantur.

Hydrargyrum, utcunque varia ingeratur via in corpus humanum, semper protracto usu symptomata commemorata, uberius nunc discutienda, provocat. *Fœtor animæ* semper præcedit salivationem, interdum duodecim horarum spatio, interdum 5 vel 6 dierum. Quidam arbitrantur, fœtorem una cum aëre exspirato e pulmonibus provenire, idque absorptum, et massam sanguinis permeans Hydrargyrum testari. Si fœtor animæ repentino modo cessaverit, mortem intra duodecim horas subsequi, Neumann contendit. S*alivatio* interdum minima Hydrargyri quantitate excitatur in feminis debilibus vel infantibus; viri autem, robusta compage corporis præditi, minus proni sunt ad hanc secretionem; vix autem quisquam, diutius mercurialibus utens, eam effugiet. Veteres Medici necessariam opinabantur salivationem in omni cura mercuriali; quidam vero neotericorum eandem præpeditam esse volunt; sic Ricord

suadet, ut acido hydrochlorico fumante, penicilli auxilio, intumescentes ante salivationem gingivæ attingantur, et linteo dein sicco partes abstergantur, ne dentibus noxa inferatur; nec ab ista procedendi ratione (quotidie repetenda) abstinendum esse, censet, quoad ægrotus potentiæ Hydrargyri obnoxius erit. Velpeau hunc in finem jubet ægrotos supersulphate aluminæ et potassæ pulverato gingivas digiti ope perfricare, idque ter quaterve in die iterare. Juvat pari ratione, nostra experientia teste, gingivas nitrate argenti fuso vel solutione ejus attingere. Nec desunt alia ad præcavendam salivationem laudata, scilicet: camphora, opium et cinchona. Laudant alii evacuantia Hydrargyro interpolata; cavendum tamen, ne modum excedamus, nam alvo nimis citata salutares remedii eluduntur effectus. Quamquam adlata non sint despicatui habenda, præstat tamen curam eo modo dirigere, ut ægrotus levem tantummodo salivationem experiatur; hinc dosibus potius parvis utendum, et si gingivæ observentur tumidiusculæ, aliquid moræ curationi inferendum. Avertit parimodo nimiam salivationem moderata cutis functio, quamobrem cubiculi temperatura, in quo detinetur ægrotus, ne sit infra + 18° R. Varia decocta, sudorem moventia, huic scopo imprimis conveniunt. Salivatio nimis diuturna febri hectica et morte haud raro terminatur; repentino modo suppressa nonnunquam brevissimo temporis spatio ægrotis interitum adfert. *Eczema mercuriale*, cujus causa esse solent frictiones nimiæ, unguento Hydrargyri perfectæ, sudores profusos subsequitur, et teste Alley, haud est periculi expers. Ad compescendam hancce impetiginem suadent balnea tepida emollientia, gelatinosa, addita libra dimidia disacetatis plumbi liquidi ad labrum balnearium, uti etiam

frictiones linimento calcariæ. Varia mala chronica, ex abusu Hydrargyri originem ducentia, puta: tremor artuum, mentis hebetudo, epilepsia, chorea et mania, opio ad tempus quidem mitigantur, sed notis hucusque artis medicæ adminiculis prorsus tolli nequeunt. ***Cachexia mercurialis,*** quæ Hydrargyri usu, quantumvis modico, perfacile evolvitur in infantibus et feminis debilibus, inde chlorosin contrahentibus, remedia exposcit tonica, quorum princeps ferrum prædicatur.

Inhibetur Hydrargyri usus: cachexia scorbutica, chlorosi, gangræna et hæmorrhagiis passivis. Feminæ gravidæ a metallo hoc prorsus abstineant, nam vel abortum provocat, vel fœtum, diutius porrectum, enecat; entozois et epizois inimicum est.

HYDRARGYRUM PURIFICATUM.

Ртуть очищенная.

Hydrargyri venalis retortæ fictili, ferreæ, aut vitreæ loricatæ, tantum infunde, ut dimidium illius impleat. Collo retortæ linteum humidum, quod repetitis gyris in tubum convolutum sit, sex circiter pollices longum, apta. Retortam, inclinato collo, in furnum impone, et excipulum aquam continens sic admove, ut tantummodo extremum lintei convoluti in aquam mersum sit. Calore gradatim aucto Hydrargyrum in aquam destillabit, quod siccatum per linteum densius coge.

Si miculas bismuthi, zinci, aut stanni contineret, per aliquot temporis momenta cum solutione nitratis hydrargyri foret agitandum, quo a hisce heterogeneis liberetur.

U. Metallum purum propinatur in ileo, dosi duarum vel quatuor unciarum ad selibram usque. A nonnul-

lis etiam in usum ducitur, scopo anthelminthico, infusum vel decoctum Hydrargyri (Aqua mercurialis: libra Hydrargyri ad libras sex aquæ), ad libram spatio nychthemeri. Revelantibus chemicis disquisitum, nulla exhibuit metalli vestigia.

Unguentum Hydrargyri cinereum, vulgo *Unguentum mercuriale* s. *Neapolitanum*, quod, metallum cum adipe ad extinctionem usque triturando paratur, externæ corporis superficiei infrictum, perfacile absorbetur et interiora penetrat. Summum præstat subsidium methodi antiphlogisticæ in variis morbis acutis organorum membranaceorum et glandulosorum. Sic in angina membranacea Neumann et Basedow suadent unciam, quin imo interdum duas, intra sex horas, suris et femoribus infricare, præmissis ingruente morbo topicis sanguinis detractionibus, et non neglectis post hoc emeticis et vesicantibus, habita tamen semper ratione constitutionis et ætatis ægroti. In peritonitide puerperali, in hydrocephalo acuto infantum, in hepatitide, enteritide aliisque inflammationibus, curam, quæ chlorido hydrargyri inchoanda est, magnopere adjuvat. In rheumatismo acuto, membranas synoviales articulationum occupante, Unguentum Hydrargyri dosi unciæ dimidiæ vel integræ quotidie femoribus et abdomini infrictum, intra duos tresve dies salivationem provocare, et morbum tollere dicitur; hic tamen curationis modus, ob summam cautionem, quæ respectu cubiculi temperaturæ adhibenda est, haud semper susceptu est facilis. In erysipelate faciei et partis capillatæ capitis, uti etiam in variolis, suadent nonnulli partem affectam inungere. In variis tumoribus et indurationibus glandularum chronicis, imprimis vero dum hujusmodi mala ex prægressa syphilide ortum ducunt, Unguentum Hydr-

argyri, vel solum per se, vel extractis narcoticis, scilicet: conii maculati vel belladonnæ junctum, et parti affectæ superdatum, salutares exserit effectus; hoc modo indurationes testiculorum, mammarum, parotidum, aliarumque glandularum resolutas fuisse, constat.

In lue syphilitica secundaria, Unguentum Hydrargyri, dum ad *methodum* Louvrier superficiei corporis infricatur, est remedium perquam efficax, quod tamen nonnisi summa circumspectione, ac tantummodo in casibus gravioribus adhibendum est; methodus hæc a Rust modificata, sequentibus absolvitur: cubiculi temperatura ægrotantis ne sit infra + 20° R. et diu noctuque eadem. Pro victu ægrotus habeat jus ex carne (ad libram dimidiam) cum quolibet additamento farinaceo, quater in die exhibendum, et quartam libræ partem panis albi; pro potu sit decoctum bardanæ, althææ et glycyrrhizæ. Primis octo diebus, omni altero die, immergatur balneo ad + 30° R. tepido; post quartum balneum exhibeatur laxans. Nona die post inceptam curam ægrotus manu propria infricet suris sesquidrachmam unguenti, quo peracto, assumat indusium et vestes ex toto laneas, nonnisi ad finem vergente cura deponendas. Die 10ma frictio nulla. Die 11ma sesquidrachmam unguenti femoribus matutino tempore infricet. Die 14ta sesquidrachma brachiis est infricanda. Die 17ma eadem quantitas dorso inungenda. Die 23tia iterum suris sesquidrachma infricetur mane. Hoc curationis tempore plerumque insinuatur febris et sudores profusi, pulsus fit tardus. Die 24ta ad vesperas drachmæ duæ femoribus inungantur. Die 27ma, 30ma et 33tia curationis, quovis vesperi drachmæ duæ unguenti inungendæ sunt. Die 34ta mane ægrotus immergatur balneo, ex quo exiens vestes induat mundas, et committa-

tur lecto tepefacto in alio cubiculo, aër purum, sed tepidum continente; in conclave etenim, quod curationi dicatum est, aër nonnisi parce, et quidem tepidus, est inducendus. Hæc tamen methodus pro variis circumstantiis varias subit modificationes; sic urgente necessitate balneis aliquando supersedere licet. Ægroti, habitu apoplectico vel phthisico præditi, huic methodo non sunt subjiciendi, ut etiam feminæ gravidæ, vel quæ metrorrhagiis obnoxiæ sunt. Si durante cura periculum vitæ, pulsu celeri præ cæteris sese manifestans, immineat, ab illa protinus abstinendum.

Ad enecandos pediculos Unguentum Hydrargyri efficax est; parti corporis obsessæ drachma vel duæ infricantur, et subsequenti die corpus in balneo saponaceo lavatur. Gallandat laudibus extollit frictiones mercuriales ubi filaria dracunculus in membro quolibet nidulatur.

D. Scopo antiphlogistico: drachma vel duæ bis in die inunguntur adulto; scopo resolvendi: grana decem, scrupulus, ad drachmam, semel in die.

BINOXYDUM HYDRARGYRI.

HgO.

Oxydum Hydrargyri rubrum; Mercurius præcipitatus ruber.

Красная ртутная окись.

℞ Hydrargyri purificati uncias quatuor,
Acidi Nitrici officinalis,
Aquæ destillatæ utriusque uncias tres.

Acidum cum aqua misce (ut sit ponderis specifici = 1,21) et superfunde hydrargyro, quod cucurbitæ fundo plano instructæ immissum sit. Digere in arenæ balneo sub initium tepido, donec metallum ex toto sol-

vatur; dein calorem sensim sensimque adauge, ut massa fiat sicca. Nitratem binoxydi hydrargyri, hoc modo obtentum, calori adhuc magis adaucto subjice, et quum vapores rubei non amplius apparent, totum refrigerationi committe. Sequenti die Binoxydum Hydrargyri exime, et lævigando in pulverem subtilissimum redige, quem, in loco obscuro siccatum, usui servabis.

Si calorem nimium, vel nimis protractum adhibebis, binoxydum discidium patietur; si autem nimis debilem, præparato subnitras hydrargyri inerit.

Q. Squamulis minutis, rubicundis, splendentibus adparet; initio insipidum, subinde saporis ingrati, metallici. Pond. spec. = 11,00. Centenarius Binoxydi Hydrargyri constat ex: hydrargyri 92,68; oxygenii 7,32 partibus.

V. Corrodens; antisyphilitica.

U. Interne porrigitur in adfectionibus syphiliticis secundariis, præcipue ossa et cutem infestantibus, forma pulveris et pilularum, ab $\frac{1}{8}$ grani parte caute ad semigranum adscendendo, bis terve in die cum opio (Hufeland). Extrinsecus in usum ducitur forma unguenti vel pulveris escharotici. Ulcera inveterata, margine calloso circumdata, imprimis dum syphiliticæ sunt indolis, unguento Binoxydi Hydrargyri salubriter incitantur. Pares portiones Binoxydi Hydrargyri, supersulphatis aluminæ et potassæ exsiccati (aluminis usti), nec non sacchari, constituunt pulverem escharoticum, ulceribus fungosis, luxuriantibus adcommodum. Varia unguenta ophthalmica ingreditur, quæ chronicis palpebrarum inflammationibus conveniunt. Beer hunc in finem suadet unguentum ex Binoxydi Hydrargyri granis 15, sulphatis cupri gr. 4, camphoræ, oleo subactæ, gr. 6 et butyri cacao drachmis duabus compositum. Ad

enecandos pediculos in parte capillata capitis, idoneum est unguentum ex scrupulo Binoxydi Hydrargyri et uncia adipis, adjectis guttis quatuor olei cujuslibet ætherei.

D. Homini adulto porrigitur grani $\frac{1}{10}$ vel $\frac{1}{8}$ pars caute ad semigranum, bis aut ter in die. Pro unguento ophthalmico granum ad sex cum drachma adipis, vel butyri recentis insulsi, exactissime conteritur. Dum ulceribus extrinsecus admovetur, scrupulus ad drachmam cum uncia adipis, vel unguenti simplicis, terendo miscetur; aut per se inspergitur.

NITRAS BINOXYDI HYDRARGYRI LIQUIDUS.
Азотнокислая ртутная окись.

℞. Hydrargyri purificati unciam,
Acidi Nitrici officinalis sescunciam,
Aquæ destillatæ unciam dimidiam.

Hydrargyrum in acido nitrico aqua prius diluto solve, dein leni calore evapora, donec pondus totius liquoris æquetur drachmis octodecim.

Pars hujus liquoris, sex partibus aquæ diluta, constituit solutionem Nitratis Binoxydi Hydrargyri (Liquorem Bellostii).

V. Corrodens.

U. Nonnisi in usum externum ducitur. Ulcera fungosa, carne luxuriante repleta, uti et carcinomatosa, fundo lardaceo, marginibus duris, elevatis prædita, penicilli auxilio, solutione Nitratis H. attinguntur; hoc modo adhibitus coërcet cariem et necrosin ossium. Unguentum ejusdem convenit ulceribus flaccidis, impuris, indolentibus, vel margine duro circumdatis. Juvat interdum unguentum Nitratis Hydrargyri, pari portione unguenti simplicis mixtum, ulceribus nimium sensibilibus imponere.

SUBNITRAS HYDRARGYRI AMMONIATUS.

$N^2H^6, N^2O^5 + 3Hg^2O.$

MERCURIUS SOLUBILIS olim dictus.

Азотнокислая аммоніакальная ртутная окись.

℞. Hydrargyri purificati uncias tres,
Acidi Nitrici officinalis (pond. spec. = 1,42) uncias duas cum dimidia,
Ammoniæ liquidæ officinalis sescunciam,
Aquæ destillatæ libras sex cum dimidia.

Hydrargyro superfunde acidum nitricum, quod prius dilue unciis septem cum dimidia aquæ; calore leni digere, donec dimidium hydrargyri solutum sit, dein solutioni adjice libram aquæ; liquori adhuc calido, per chartam colato, adfunde libras quatuor aquæ destillatæ, eique tandem adjicies sub continua agitatione ammoniam liquidam, octo unciis aquæ prius dilutam. Sedimentum nigrum aqua destillata elue, inter chartam bibulam comprime, et tepore lenissimo in loco obscuro sicca. In pulverem contritum in vasis clausis extra luminis accessum serva.

Q. Exhibet pulverem subtilissimum, nigrum, insipidum; aqua non solvitur. Centenarius Subnitratis Hydrargyri ammoniati constat ex: acidi nitrici 7,71; oxydi hydrargyri 89,85; ammoniæ 2,44. Igne discidium fert et ex toto avolat; insociabilis est omnibus acidis.

V. Aliis Hydrargyri præparatis analoga.

U. In ophthalmiis infantum chronicis, et variis cutis fœditatibus, a $\frac{1}{10}$ ad $\frac{1}{5}$ grani ter quaterve in die propinatur; si tamen nauseam et vomitum excitet, usu ejus protinus supersedendum est. Neonatis syphilide affectis quartam grani partem, bis vel ter in die WENDT exhibitam esse vult. In dysmenorrhœa, dum vel chro-

nica uteri inflammatio, vel infarctus systematis glandulosi sublatet, utile perhibetur remedium. Forma unguenti, teste BLASIO, prodest in ophthalmia blennorrhoica, præmissa venæsectione et topicis sanguinis detractionibus.

D. Infantibus a $\frac{1}{10}$ ad $\frac{1}{4}$ grani partem, bis vel ter in die; adultis granum dimidium ad duo sensim adscendendo. Pro unguento ophthalmico grana decem, ad drachmam butyri recentis insulsi, additis interdum duobus camphoræ granis.

CHLORIDUM HYDRARGYRI.

HgCl.

SUBMURIAS HYDRARGYRI; HYDRARGYRUM MURIATICUM MITE; CALOMEL.

Однохлористая ртуть; Каломель.

℞. Bichloridi Hydrargyri (Mercurii Sublimati corrosivi) partes quatuor,
Hydrargyri purificati partes tres.

Hydrargyrum metallicum cum bichlorido ejus in mortario lapideo contere, donec omnes globuli evanuerint, massam spiritu vini per vices humectando, ne pulvis inspirando noxius moveatur. Massam homogeneam immitte in cucurbitam vitream, vel dum parva quantitas paratur in lagenam pharmaceuticam, cujus orificio obturaculum e creta confectum leviter impositum sit. Cucurbitam vel lagenam ad dimidium tantummodo impletam, balneo arenæ immitte, quam sub initium operationis arena ex toto obtege; serius vero, dum abundi vapores Chloridi Hydrargyri apparuerint, arenæ cucurbitam obtegentis tantum absume, ut pars illius vacua extra arenæ balneum emineat, vel si lagenam habebis, hanc ad illud usque punctum ex arena extrahe;

tum sensim calorem adauge, ut cucurbitæ fundus igne rubeat. Cucurbitam vel lagenam adhuc calidam exime, et linteo madido circumvolve, quo vitrum fissuras experiatur, et Chloridum Hydrargyri fracto vase facilius ab illo separetur; hoc a strato supremo, bichloridum hydrargyri aliquando continente, separatum, in tenuem pulverem redige, quem elutriatione subtilissimum obtinebis; tum aqua destillata repetitis vicibus lotum, super linteum collige, et in loco obscuro sicca.

Ad redigendum Chloridum Hydrargyri in pulverem subtilissimum, quidam Pharmacopolæ aquæ vapores adhibent; apparatus huic operationi inserviens sic ordinatur: retorta fictilis, collo amplo instructa, fere tota impletur Chlorido Hydrargyri in frustula comminuto; hæc in furno reverberii ita collocatur, ut minima tantum colli pars promineat. Collo retortæ aptatur excipulum amplum vitreum, triplici apertura tubulata munitum, quarum duæ laterales et una inferior, quæ in vas aquam destillatam continens immersa est. Apertura lateralis excipuli, retortæ fictili e diametro opposita, jungitur vasi vel retortæ, e qua vapores aquæ commode evolvi possint, et totius apparatus juncturæ luto obducuntur. Sub initium aqua calefit, ut excipulum continuo vaporibus repletum habeatur, dein retortæ fictili ex omni parte ignis sensim admovetur. Quamprimum Chloridum Hydrargyri in vapores actum, in excipulum aquæ vaporibus impletum penetrat, floccorum forma densatur, et pulverem exhibet subtilissimum, qui aqua destillata probe lavandus, in loco obscuro siccandus, et per sericum a glomeratis particulis separandus est. Tali modo obtentum, Calomel vapore paratum dicitur.

Q. Massam exhibet cohærentem, albam, vel ex cinereo flavescentem, pellucidam, splendentem, ex crystallis prismaticis, tetraëdris constantem; quod autem vapore paratum fuit, refert pulverem subtilissimum album, vix aut ne vix flavescentem. Pondus specificum = 7,17. Insipidum; aqua et alcohole calidis parva quantitate solvitur. In aqua diutius ebulliente partim resolvitur in hydrargyrum metallicum, et bichloridum hydrargyri. Ad communem temperaturam, teste Faraday, non avolat; calore autem adaucto in vapores abit. Centenarius Chloridi Hydrargyri constat ex: chlori 14,88; hydrargyri 85,12 partibus. Luci expositum leviter cinereo colore tingitur et discidium patitur; acidum hydrochloricum, uti etiam solutiones aquosæ hydrochloratis ammoniæ, chloridi sodii, aliorumque chloridorum, dum simul cum Chlorido Hydrargyri fervefiunt, vel digeruntur, illud resolvunt in bichloridum et hydrargyrum metallicum; cum acido sulphurico ebullitum præbet sulphatem binoxydi hydrargyri, et bichloridum ejusdem; cum acido nitrico refert nitratem binoxydi et bichloridum h. Solutiones alcalinæ item resolvendo agunt, et oxydum hydrargyri dejiciunt. Acidum hydrocyanicum ejusque solutiones (aqua amygdalarum, cerasorum etc.) illud sic disjungunt, ut inde bicyanidum hydrargyri, acidum hydrochloricum, et hydrargyrum metallicum gignantur (Riauz).

Dum cum alcohole frigido digeritur, insolubile sit, oportet; si autem particula in alcohole frigido solvitur, liquor per chartam colatus ex adfusa aqua hydrosulphurata nigrum promet sedimentum; ex quo patet, bichlorido hydrargyri Calomel inquinatum fuisse.

V. Pro ratione doseos varia; sic magna dosi (grana 6 ad 10 homini adulto) semel exhibitum, alvum du-

cit, et interdum, sed raro, emesin ciet. Dum magna dosi semel quotidie, vel omni altera die per aliquod tempus porrigitur, præter effectum drasticum, symptomata hydrargyroseos brevi excitat, puta: fœtorem animæ, salivationem etc.; si vero duæ tresve doses magnæ in nychthemero dentur, insequitur etiam alvi profluvium, sed hydrargyroseos symptomata serius apparent.

Parva dosi (granum ad duo homini adulto) omni altera hora porrectum, alvum quidem movet, sed brevi etiam symptomata, absorptionem hydrargyri testantia, provocat; hoc modo datum summa pollet virtute antiphlogistica. Parva dosi (granum) semel vel bis in nychthemero datum, nec alvum ducit, nec exserit virtutem antiphlogisticam, salivationem autem citius provocat; hac ratione exhibitum, potest ad debellandam syphilidem, dum morbus forma mitiori apparet, et recens est.

Dum initio parvis exhibetur dosibus, et intervallo unius alteriusve nychthemeri semper majoribus datur, salivatio tardius insequitur; hoc modo porrectum Chloridum Hydrargyri summa præditum est virtute antisyphilitica, morbo jam inveterato; hujusmodi dispensatio æquiparari potest methodo inunctionibus (Videsis Ung. Hydr.) perficiendæ, sed non tanti est periculi plena.

U. Maxima pars morborum acutorum, qui inflammatione membranarum serosarum, vel viscerum glandulosorum comitantur, Chloridi Hydrargyri usum exposcit. In peritonitide puerperali, præmissa venæsectione, imminente stadio exsudationis omni altera hora dosi duorum vel trium granorum exhibetur, infrictis eodem tempore in internam femorum superficiem drachmis duabus unguenti hydrargyri, bis in die, donec levis salivatio appareat. In hydrocephalo acuto infantum, et quidem in prima periodo (inflammatione tunicæ

arachnoideæ), quæ morositate, somnolentia, repentina e somno excitatione, narium siccitate continua, et indolentia sese prodit, juvat Chloridum H., applicitis simul pone aures hirudinibus; sic etiam in periodo exsudationis, dum ægroti frequenti vexantur nausea et emesi, stupidi, somno orbati, in latus decumbunt, et dum pulsus fit celer et irregularis, respiratio autem profunda et placida, salutares exserit effectus; porrigitur in hoc morbo omni altera hora granum infanti 4 aut 6 annorum et eodem tempore scrupulus unguenti hydrargyri collo bis in die infricatur; in tertia autem hydrocephali acuti periodo, pupillæ dilatatione et convulsionibus manifesta, morbus remedio valentior esse solet. Anginæ membranaceæ recte obponitur Calomel, nam generationem membranæ spuriæ præpedit (simul cum topica sanguinis detractione), vel jam formatam mobilem reddit, ut exinde emetica, ad eliminandam, cum fructu adhiberi possint. Compescendæ dysenteriæ, tum sporadicæ, tum endemicæ aut epidemicæ idoneum est; exhibentur hunc in finem grana decem aut quindecim mane ac vesperi, quibus pro re nata opii granum addere licet. Curandis febribus typhodibus, imprimis typho intestinali, aptum esse remedium, quidam asserunt. In enteritide (inflammatione superficiei peritonealis intestinorum) abdomine tenso, duro, calido, ad attactum dolente, vomitu bilioso et supino ægroti decubitu, divaricatis cruribus, distinguenda, cura iisdem Chloridi H. dosibus absolvitur, ac in peritonitide puerperali. In hepatitide tum phlegmonode, sensu gravitatis et dolore sub attactu in præcordiis, tumore (sub costas digitum subducere impediente) et pulsu molli, irregulari dignoscenda; tum etiam in hepatis inflammatione superficiali (superficiei inferioris), quæ nausea,

siti, cephalæa, ructibus, gustus amaritie, tensione præcordiorum, colore cutis flavescente et febre nullatenus remittente manifestatur, Chloridum Hydrargyri summum fert auxilium; dantur hoc in casu omni bihorio grana quatuor ad sex, præmissis venæsectione et hirudinibus. Ad curandam pneumonitidem, fracto jam primo inflammationis impulsu, grana duo omni bihorio porriguntur, quibus apte additur granum polysulphureti stibii et granum dimidium opii vel extracti hyoscyami.

In primo stadio variolarum licet interdum vel scopo alvum ducendi, si adstricta foret, Chloridi H. dosin porrigere, vel si sub eruptione vomitus appareat, paucas hujusce remedii doses exhibere, cavendo, ne salivatio ex usu hydrargyri provocetur, quæ salivationi, in variolis sponte obventuræ, obstaculo foret. Dum morbilli ægre erumpunt, et convulsionibus ac sopore comitantur, applicitis pone aures hirudinibus, Chloridum H. dosi granorum duorum omni altera hora propinatur. Variæ impetiginum species, exhibito mane ac vesperi Chlorido H. cum polysulphureto stibii (utriusque grano), adcommode debellantur, addito interdum camphoræ grano vel duobus. In rheumatalgia chronica juvant pulveris ipecacuanhæ opiati grana decem cum Chloridi H. granis duobus ad noctem. Ad enecandam ascaridem lumbricoidem majori dosi datur; sed solum per se impar est propellendæ tæniæ. In trismo, tetano, eclampsia, aliisque nervorum turbis, prodest cum moscho vel camphora.

Chloridum Hydrargyri, quod vapore paratum est, quum pulverem exhibeat subtilissimum, usu externo, variis ophthalmiis profligandis idoneum est. Auctore Mayor et teste Fricke convenit ophthalmiis scrofulosis, rheumaticis, catarrhalibus, aliisque chronico modo

decurrentibus, et excrescentiis fungosis conjunctivæ ac iridis, exsudationibus in pupilla, maculis corneæ, et quæ aliis læsionibus comitantur; rubor, dolor et photophobia brevi evanescere dicuntur; methodus illud adhibendi est sequens: penicillus tenuissimus leviter humectatus pulvere subtilissimo Chloridi H. illinitur, eoque bulbus oculi attingitur; hicce applicationis modus semel aut pluries in nychthemero iterandus est.

D. Scopo antiphlogistico homini adulto granum ad duo, quatuor vel sex, omni altera hora; infantibus a grani $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{4}$ parte ad granum dimidium vel integrum omni bihorio, vel quater in die. Doses, scopo resolvendi vel antisyphilitico propinandas, virtutem Chloridi Hydrargyri perlustrando exposuimus.

BICHLORIDUM HYDRARGYRI.

$HgCl^2$.

OXYMURIAS HYDRARGYRI; HYDRARGYRUM MURIATICUM CORROSIVUM; MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Двухлористая ртуть; Сулема.

℞. Hydrargyri purificati partes quinque,
Acidi Sulphurici venalis partes sex,
Chloridi Sodii exsiccati partes quinque cum dimidia,
Binoxydi Mangani partem cum dimidia.

Hydrargyrum et acidum sulphuricum immitte lebeti ferreo probe mundato, et initio lenem calorem adhibe, ut hydrargyrum solvatur, dein vero calorem nonnihil adauge, donec massa siccetur; hanc, quum refrixerit, exime, et contritam misce cum chlorido sodii ac binoxydo mangani. Pulverem homogeneum immitte cucurbitæ vitreæ, fundo plano instructæ, quæ tamen non ultra dimidium implenda est. Cucurbitam arenæ

balneo sic impone, ut pars illius vacua extra arenam emineat; orificium illius vase fictili minori, inverso, leviter obtege, et ignem initio lenem subde, quem serius autem sic adauge, ut fundus balnei arenosi rubeat; hunc caloris gradum per octo aut decem horas sustine. Sub finem operationis totam cucurbitam arena calente tamdiu obteges, quoad fusio Bichloridi Hydrargyri manifestari cœperit, ut massa soliditatem acquirat. Frigefacto apparatu, cucurbitam confringe, etBichloridum Hydrargyri, superiorem imprimis partem occupans, exime.

Q. Solutio vaporata crystallos refert, formam prismatis quadrangularis habentes; inodorum; saporis acris, caustici, metallici. Emporeticum massam exhibet albam, pellucidam, cohærentem; facile in pulverem redigitur. Pond. spec. = 5,42. Solvitur in aquæ frigidæ partibus 16; bullientis 3; alcoholis frigidi $2\frac{1}{2}$; alcoholis bullientis $1\frac{1}{6}$; ætheris 3. Solutiones acidam habent indolem, et luce solis resolvuntur in chloridum hydrargyri et acidum hydrochloricum liberum; additamentum hydrochloratis ammoniæ discidio obstat. Hydrogenium sulphuratum in solutione Bichloridi Hydrargyri promit initio sedimentum album, dein cinereum, tandem vero, exuberante hydrogenio sulphurato, nigrum (bisulphuretum hydrargyri nigrum). Solutio aquosa sedimentum prodit album, floccosum ex nitrate argenti, quod, si nitras argenti exuberet, in ammonia liquida facile solvitur.

Alcalia fixa dejiciunt hydratem binoxydi hydrargyri, coloris ex aurantio citrini; ammonia liquida gignit sedimentum album; jodidum potassii præcipitatum rubrum, phœniceum. Carbonates et bicarbonates alcalini fixi producunt sedimentum coloris lateritii intensioris. Calore adaucto varia metalla illud disjungunt, scilicet:

stannum, bismuthum, zincum, stibium, uti etiam sulphur et phosphorus. Sub communi aëris temperie inferunt illi discidium variæ substantiæ vegetabiles, uti: saccharum, gummi, farina, olea ætherea ac pinguia, et generatim quæcunque gluten vegetabile et albumen continent. Centenarius Bichloridi Hydrargyri constat ex: chlori 25,91; hydrargyri 74,09 partibus.

V. Excitans; antisyphilitica; putredini obstans; corrodens.

Parva dosi ($\frac{1}{10}$ vel $\frac{1}{8}$ grani) diutius porrectum incitando agit, pulsum accelerat, et cutis functionem promovet; protracto usu concoctioni officit, febrim inducit, quæ in debilioribus hecticæ ad instar decurrit. Dum, hisce symptomatibus obvenientibus, usus ejusdem ultra continuatur, subsequitur macies, visus et auditus hebetudo, tunicæ intestinorum villosæ exulcerationes et phthisis. Majori dosi datum excitat nauseam, vomitum, haud raro cruentum, gastrodyniam, diarrhœam, oppressionem pectoris, tussim siccam, hæmoptysin et interdum hæmaturiam. Magna quantitate ingestum atrocissimum est venenum. Mox insequitur dolor vehementissimus in ventriculo et intestinis, anxietas, cephalæa, congestiones sanguinis ad caput, diarrhœa cruenta, dyspnœa, lipothymia et convulsiones, obitum præcedentes.

Iis, qui venenum hoc combiberunt promptissime antidoto succurrendum. Exhibeatur omni altero horæ minuto albumen ovi unius, multa aqua dilutum. Albumen ovi unius, teste Peschier, infringit noxiam potentiam 4 granorum Bichl. H. Si albumina præsto non forent, farinam vel simpliciter aqua dilutam, vel potius coctam, pultis dilutioris ad instar, sacchari vel mellis solutionem, aquam saponaceam, jusculum carnis aut

lac exhibere convenit. Compositum, quod ex 10 atomis albuminis et 1 atomo Bichloridi Hydrargyri coalescit, teste LASSAIGNE, Bichloridum Hg. non mutatum continet, et in solutionibus variorum chloridorum, bromidorum et jodidorum, uti etiam in solutionibus alcalinis solubile fit. Si hæc ita sint, omni cura enitendum, ut venenum albuminis ope innocuum redditum, excitata protinus emesi, eliminetur, ne conjunctio Bichl. Hg. cum albumine, accedentibus substantiis sal culinare continentibus, dissolvatur et noxam inferat.

Dum veneficii causa Bichloridum Hydrargyri eruendum est, nisi jam cum materiis vegetabilibus et animalibus mutuam conjunctionem iniverit et insolubile factum sit, ex qualitatibus chemicis, jam adlatis, in liquidis suspectis dignosci potest. Si vero liquida hujusmodi perquam exiguam continerent veneni quantitatem, per chartam prius colata, leni vaporatione densentur. Suadet ORFILA, ut liquidum cum quarta parte (quoad mensuram) ætheris sulphurici puri in vase vitreo clauso, per quatuor minutorum spatium, simul agitetur. Æther absumet solutioni aquosæ Bichloridum H. et lente avolans relinquet materiam salinam, quæ, revelantibus chemicis explorata, Bichl. H. prodit. Methodus a SMITHSON proposita ad eruendum venenum hoc, minima quantitate in liquido quolibet solutum, sequentibus componenda: liquido suspecto instillentur aliquot guttæ acidi hydrochlorici, dein illi immergatur annulus aureus, lamina stanni partim obvolutus; si Bichloridum Hydrargyri adsit, superficies annuli induet colorem cinereum-albescentem; annulus, absumpta stanni lamina, aqua destillata lavetur et inter chartam bibulam siccetur, dein immittatur tubo vitreo, una extremitate clauso, et super lampadem alcoholicam calefiat; hydr-

argyrum in vapores actum globulorum forma densatum adparebit; annulus autem, dum ex auro puro confectus est, intactus manet et flavum auri colorem recuperat.

Quum vero Bichloridum Hyd. facillime conjunctionem ineat cum substantiis vegetabilibus et animalibus, persæpe in liquidis, ob veneficium suspectis, detegi nequit; hinc materiæ solidæ, vomitu ejectæ, vel in ventriculo contentæ, quin imo ipse ventriculus, instituta cadaveris sectione, disquisitioni chemicæ subjiciantur. Substantiæ hæ, cum pauxillo potassæ causticæ commixtæ, siccentur in patina porcellanea. Residuum post vaporationem calcinetur igne rubente in parva retorta vitrea loricata, cui excipulum aptatum sit. Fracta retorta, vel ad fornicem ejus, vel in excipulo, hydrargyri globuli, vel concretum ex metallo hoc, nimium diviso, apparent; si hæc in acido nitrico solvantur, hydrargyri vestigia manifesta fiunt. Orfila et Lesueur contendunt, hoc modo, non quidem Bichloridum Hydrargyri, sed metallum ipsum, præterlapsis aliquot annis, ex materiis animalibus posse extricari.

U. In syphilide secundaria, quæ eruptionibus cutaneis, coloris cuprei, plerumque orbiculatis, coacervatis manifestatur, comprobatæ est efficaciæ. Ulcera syphilitica secundaria in velo palatino, membrana mucosa narium (ozæna syphilitica) et laryngis, nec non ulcera cacoëthea, corporis superficiem obsidentia, uti etiam caries et necrosis, imprimis ossium palati ac vomeris, Bichlorido Hydrargyri, cui opium sæpe jungitur, debellantur. Osteocopi, qui exostosibus in cranio vel in media ossium cylindricorum parte comitari solent, interno hujus remedii usu profligantur. In syphilide primaria, remediis lenioribus rebelli, ad usum Bichloridi H. accedendi fas est. Impetigines et herpetes, quamvis ori-

ginem non ducant syphiliticam, uti etiam scabies inveterata, illo feliciter curantur. Variæ neuroses chronicæ, puta: epilepsia, paraplegia, hemiplegia, amaurosis, cophosis et mania, dum illis sublatet syphilitica labes, et exostoses ossium cranii vel excrescentias duræ matris suspicari licet, hocce medicamen exposcunt. In prosopalgia et rheumatalgia, imprimis dum mala hujusmodi periodis recurrunt, vel per se, vel cum opio, belladonna aut conio maculato laudatur. Burdach exhibet in rheumatalgia omni bihorio $\frac{1}{15}$ — $\frac{1}{12}$ — $\frac{1}{10}$ grani partem, et in intervallis vinum colchici. Adhibentur aliquando balnea, Bichloridum Hydrargyri solutum continentia; ast ubi inconsulto in usum ducuntur, symptomata gravissima, ex nimia quantitate absorpti remedii, subsequi solent; quamobrem sub usu hujusmodi balneorum respicienda sunt: 1° quantitas aquæ in labro balneario contentæ, et quantitas Bichloridi Hydrargyri, 2° facultas cutis fluidum absorbendi, et 3° temperatura fluidi et spatium temporis in balneo transigendi. Quantitas aquæ ad implendum labrum balnearium necessaria, est 12 vedro Rossicorum; quantitas hæc æquatur 360 libris ponderis Rossici, vel 408 libris ponderis medici Norimbergensis; ad hanc aquæ quantitatem sumantur drachmæ duæ Bichloridi Hydrargyri. Tali proportione, vel dimidio minori, balnea initio sunt instituenda, et si res postularit, quantitas aliquantulum augeri potest. Bichloridum Hydrargyri prius in aquæ destillatæ, vel alcoholis, libra solvendum est. Ægroti, ulceribus affecti, vel qui cutem habent in sudores proclivem, per brevius temporis spatium in balneo remaneant, ne nimium absorbeatur. Temperatura balnei sit + 28° vel 30° R. Ægrotus maneat in balneo per quartam horæ partem, vel ad summum per horæ dimidium, nam diu-

turniori immersione nimia liquidi quantitas absorberi posset. Adhibentur vel semel in die, vel omni altera die; si vero gingivæ leviter intumescant, vel erythema adpareat, intervallis temporis majoribus distent, vel plane ab iis abstinendum est. Wedekind suadet additamentum hydrochloratis ammoniæ. Commendantur balnea hæc in syphilide secundaria, herpete, rheumatalgia, in morbis articulationum apyreticis, tumoribus albis, nec non in rachitide. Methodus hæc cæteris eo imprimis præstare dicitur, quod raro salivationem provocet.

Forma collyrii multum valet in variis ophthalmiis chronicis, et opio plerumque jungitur (V. Collyr. Bichl. Hyd. opiatum). Exulcerationes aphthosæ, in faucibus sedem figentes, etiamsi syphiliticæ non semper sint indolis, externo Bichloridi H. usu salubriter incitantur; hinc paratur linctus e granis sex Bichl. H. et mellis uncia, cui adcommode tincturæ opii drachma additur; vel si necessitas urserit gargarisma in usum ducere, tunc additamentum hydrochloratis ammoniæ non est alienum (V. Gargarisma Bichl. Hyd.). Ad enecandas ascarides, dum infans sex vel octo annorum est, Koop suadet enema ex sescuncia infusi cacuminum santonici (e drachmis duabus parati), in quo quinta grani pars Bichl. H. solvenda est, additis drachmis duabus mucilaginis gummi acaciarum. In blennorrhœa urethræ chronica juvant interdum injectiones Bichloridi H., granum ad aquæ libram continentes. In acne simplici, uti etiam in indurata, faciem, frontem et tempora plerumque obsidente, et tuberculis distinctis, in suppurationem et desquamationem pronis, sese manifestante, utilitatem præstat solutio Bichloridi H. ex grano dimidio vel integro ad unciam liquidi, lotionis instar ad-

hibita; remedium arcanum, in hac cutis fœditate laudatum (extrinsecus adhibendum), cujus Gowland inventor esse dicitur, ex scrupulo Bichloridi H., libra emulsionis amygdalinæ, et uncia sacchari componitur. Unguentum, quod ab auctore Cyrillo nomen habet, constat ex Bichl. H., hydrochloratis ammoniæ, cujusvis drachma, et adipis suillæ uncia; in syphilide secundaria infricabatur plantis pedum drachma dimidia, ad integram.

D. Homini adulto exhibetur pro dosi $\frac{1}{16}$, $\frac{1}{8}$, vel $\frac{1}{4}$ grani pars semel vel bis in die; hinc non ultra grani dimidium spatio nychthemeri porrigendum; dum vero morbi vehementia cogimur, illud dosibus sensim auctioribus propinare, quantitas grani unius spatio nychthemeri non est excedenda. Usus internus Bichloridi H., ob corrodentem remedii qualitatem, ætati infantili non convenit. Urgente necessitate feminis gravidis præstat administrare Bichloridum, quam chloridum Hydrargyri. Datur forma solutionis vel pilularum cum succo liquiritiæ.

HYDROCHLORAS AMMONIÆ cum BINOXYDO HYDRARGYRI.

$N^2H^6, Cl^2H^2 + 2HgO.$

Mercurius præcipitatus albus.

Хлористая аммоніакальная ртуть; Бѣлая осадочная ртуть.

℞. Bichloridi Hydrargyri,
Hydrochloratis Ammoniæ, utriusque libram.

Salia simul mixta solve in: Aquæ destillatæ fervidæ libris duodecim.

Liquori frigefacto et per chartam colato tamdiu paulatim adfundes:

Carbonatem Sodæ in sufficienti aqua destillata solutum, quoad præcipitatum adparere cessabit. Pulverem albissimum filtro separa, et aqua frigida ablue; dein in loco obscuro siccatum, usui serva.

Q. Pulverem exhibet album, saporis nauseosi, acris, metallici. In aqua parum solubilis; in alcohole autem plane insolubilis; in acidis: hydrochlorico et nitrico ex toto solvitur; cum potassa liquida contritus ammoniam evolvit. Centenarius constat ex: binoxydi hydrargyri 80,31; hydrochloratis ammoniæ 19,69 partibus.

V. Corrodens.

U. Nonnisi in usum externum ducitur, et quidem forma unguenti. Ex drachma illius cum uncia vel duabus adipis, cui interdum camphoræ drachma additur, fit unguentum, quod in tinea capitis et herpete, dum parvis portionibus infricatur, idoneum est. Pro unguento ophthalmico sumitur granum ad drachmam butyri recentis insulsi, additis pro re nata tincturæ opii guttis decem; convenit hoc unguentum in ophthalmiis catarrhalibus chronicis, magnitudine lentis oculo inditum.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM cum SULPHURE; ÆTHIOPS MINERALIS vel MERCURIALIS.

Черная сѣрнистая ртуть.

℞. Hydrargyri purificati partem,
Sulphuris purificati partes duas.

Simul contere in mortario lapideo, donec omnes hydrargyri globuli evanuerint, et massa fiat homogenea, coloris nigri.

Q. Est pulvis niger, ponderosus, splendore orbatus.

V. Chlorido hydrargyri suppar.

U. In chronicis cutis adfectionibus, puta: tinea capitis et herpete, opportunum est remedium. Convenit etiam rheumatalgiæ, et datur cum extracto dulcamaræ, resina guajaci vel opio, forma pulveris aut pilularum.

D. Adulto exhibentur grana tria, quinque ad decem, semel, bis aut quater in die.

SULPHURETUM HYDRARGYRI STIBIATUM NIGRUM.

ÆTHIOPS ANTIMONIALIS.

Черная сурьмяно-сѣрнистая ртуть.

℞. Hydrargyri purificati,
Sulphuris purificati, utriusque partem,
Sesquisulphureti Stibii partes duas.

Mixta contere in mortario lapideo, donec pulvis fiat niger, homogeneus, in quo nulli hydrargyri globuli conspiciantur.

V. U. et D. ut præcedentis.

BISULPHURETUM HYDRARGYRI.

HgS.

SULPHURETUM HYDRARGYRI RUBRUM; CINNABARIS FACTITIA.

Красная сѣрнистая ртуть; Киноварь.

℞. Hydrochloratis Ammoniæ cum Binoxydo Hydrargyri (Merc. præcipit. albi) quantum lubet.

Immitte in cucurbitam vitream, eique superfunde ammoniæ liquidæ, hydrogenio sulphurato prorsus saturatæ (bihydrosulphatis ammoniæ liquidi), quantum opus sit, ad obtegendum pulverem. Cucurbitam sepone in locum ad 40° R. tepidum, donec pulvis, initio niger, colorem puniceum nactus fuerit; hunc aqua tepida ablue, et sicca.

Q. Est pulvis coloris læte punicei purpurascentis. Pondus specificum = 8,124. Saporis et odoris est expers; calore adaucto forma vaporum avolat; in aqua, alcohole, acidis dilutioribus et alcalibus non solvitur; in acido hyponitrico chlorato (aqua regia) et in acido nitrico fumante partim solvitur. Centenarius constat ex: sulphuris 13,71; hydrargyri 86,29 partibus.

U. Sulphuretum Hydrargyri rubrum in usum præcipue externum ducitur. Olim propinabatur in epilepsia (Magnes epilepsiæ veterum) et in morbis chronicis cutis, forma pulveris et pilularum a granis 5 ad 10—20. Adhibetur aliquando ad suffumigandum. Si Medicus opportunam censeret hujusmodi curam, ægrotus tali modo arcæ, hunc in finem adcommodatæ, esset includendus, ut caput ex perforato superiori arcæ latere emineat, ne vapores deleterios sulphurico-hydrargyricos respiret. Huic apparatui substitui potest pallium, ex linteo cerato confectum, et collo strictius adaptatum. Quantitas Sulphureti Hydrargyri pro singula suffumigatione sit scrupulus ad drachmam. Ægrotus per horæ quadrantem, et nunquam ultra horæ dimidium, vaporibus est exponendus, quo peracto, lecto committendus. Vapores eliciuntur, Bisulphuretum Hg. in laterem candentem, sub sella ægroti positum inspergendo. Ægrotus quotidie, vel omni altera die hisce vaporibus exponitur, et peracta cura balneo simplici, vel cum gelatina parato, immergitur. Cullerier et Lalouette imprimis laudant hujusmodi suffumigationes in variis cutis fœditatibus syphiliticis, uti etiam in ulceribus secundariis, corporis superficiem obsidentibus, in ozæna, osteocopis et exostosibus. Ingreditur quoque unguenta (scrupulus vel duo ad unciam unguenti), quæ in malis cutaneis chronicis utilia dicuntur.

BICYANIDUM HYDRARGYRI.

$HgCy^2$.

CYANETUM HYDRARGYRI; BORUSSIAS HYDRARGYRI.

Синеродистая ртуть.

℞. Cyanido-Sesquicyanidi Ferri (Cærulei Berolinensis puri) uncias quatuor,
Binoxydi Hydrargyri uncias tres,
Aquæ communis libras tres cum dimidia.

Cæruleum Berolinense, in tenuem pulverem redactum, immitte vasi ferreo aptæ capacitatis illudque cum aqua superfusa exacte commisce; tum binoxydum hydrargyri pulveratum (aqua tepida prius elotum) adjice. Commista sub continua agitatione bulliant per horæ dimidium. Si liquor turbidus etiam nunc cæruleum præ se fert colorem, adhuc parvis portionibus binoxydum hydrargyri addes, donec color fusco-ruber, sesquioxydo ferri proprius, manifestetur; tum cola per linteum, et sedimentum aqua destillata fervida repetitis vicibus super linteum lava. Liquores colatos in unum collige, et in vase porcellaneo ad balneum vaporis consume, ut in refrigerato liquore crystalli surgant, quas collige; dein iterum evapora, ut novæ excutiantur crystalli; super chartam bibulam leni tepore siccatas, in vase obturato et loco obscuro serva.

Q. Crystalli sunt prismaticæ quadrangulares; saporis acris, metallici, nauseam moventes. Solvitur in 8 partibus aquæ temperatæ; in alcohole ferme insolubile est. Centenarius constat ex: cyanogenii 20,68; hydrargyri 79,32 partibus. Venenum est vehemens.

V. Antisyphilitica.

U. In syphilide inveterata, ulceribus veli palatini et exostosibus manifesta, a nonnullis laudatur. BRERA suadet gargarisma, scopo antisyphilitico, ex granis de-

cem Bicyanidi Hg., libra decocti hordei et mellis rosati uncia.

D. Forma solutionis aut pilularum a $\frac{1}{16}$, $\frac{1}{8}$ et $\frac{1}{4}$ grani parte ad granum dimidium bis aut ter in die.

JODUM.

I.

Іодъ; Іодинъ.

Materia peculiaris, simplex, a Courtois anno 1811 in residuo salino, e cineribus fucorum quorundam obtento, primitus observata, et ob violaceum vaporum colorem, quibus se manifestavit, Jodum seu Jodinum (a græco ἰώδης violaceus) dicta. Disquisitionibus ulterioribus, a variis Chemicis, imprimis vero a Gay-Lussac, institutis, innotuit, Jodum non tantum fucorum cineri inesse, sed illud quoque in plerisque ulvis, in spongia marina, in variis aquis mineralibus, nec non in quibusdam mineris inveniri; sunt etiam, qui illius vestigia in substantiis animalibus observarunt, e. g. in oleo jecoris aselli. *Usualia sunt:* 1) Jodum; 2) Jodidum Amyli; 3) Jodid. Potassii; 4) Bijodid. Hydrargyri; 5) Jodid. Plumbi; 6) Jodid. Ferri (Vid. Ferrum).

Modus, quo Jodum educitur, a Soubeiran propositus, sequens est: Soda cruda, ex cineribus fucorum et ulvarum obtenta (*Varech* et *Kelp*), aqua elixatur, et vaporando paulatim densatur, ut a salibus, qui in crystallos cogi possunt, liberetur. Reliquo lixivio, crystallos haud amplius proferente, eousque additur solutio ex sulphatis cupri parte et sulphatis ferri partibus duabus cum quadrante constans, donec præcipitatum album (quod jodidum cupri est) jam nullum subsideat; hoc, leni calore siccatum, et cum pari portione binoxydi mangani mixtum, in retorta aucto calori subjici-

tur. Jodum forma vaporum violacei coloris exsurgit et frigidioribus retortæ parietibus adhæret. Aqua destillata elotum, charta bibula siccatum et iterata sublimatione purificatum, in vasis probe clausis servatur. Simili quoque ratione Jodum ex aqua marina elici potest.

Q. Sublimatione paratum, exhibet squamulas nitentes; dum vero in acido acetico vel hydrojodico solutum, quiete frigescit, in crystallos coit octaëdras, exiguas. Coloris est nigro - cærulescentis, graphiti haud absimilis; odoris gravis, chlorum quodammodo æmulantis, attamen debilioris; saporis perquam irritantis, acris, calefacientis. Pond. specif. = 4,948. Ad + 84° R. liquatur; ad + 140° vero effervescit et forma vaporum coloris violacei avolat, qui frigore protinus densantur. Nonnisi in 7000 aquæ partibus solvitur, eique leviter fuscum impertitur colorem; multo solubilius est in alcohole, æthere, petroleo, oleo terebinthinæ et oleis pinguibus. Hydrogenium vehementer appetit, illique junctum acidum hydriodicum constituit; cum oxygenio autem acidum jodicum efficit. Jodum præterea chemicam init conjunctionem cum carboneo, chloro, potassio, sodio, sulphure, phosphoro, nec non metallis. Notatu dignissima est mutua potentia, inter Jodum et amylum intercedens, quo fit, ut alterum alteri revelando inserviat. Si liquidum, in quo jodidum quodlibet vel acidum hydriodicum suspicatur, cum amylo, aqua bulliente soluto, misceatur, et dein illi tantillum acidi hydrochlorici vel nitrici addatur, læte cæruleus color Jodum prodit; quin imo si charta, pulte amylacea oblita, in vase clauso suspensa, vaporibus hujusmodi liquidi exponatur, post horas aliquot cæruleum induit colorem. Hoc modo $\frac{1}{450000}$ Jodi Gaultier de Claubry detexit. Tinctura Jodi ad revelandum amylum adhibetur.

Jodum venale adulterari interdum solet sesquisulphureto stibii, graphite, oxydo mangani, carbone et aliis, quæ, Jodo alcohole soluto, non solvuntur, vel illo sublimato, immutata manent, et fraudem patefaciunt.

V. Est Jodum imprimis stimulans, sensum caloris in ore, gutture et stomacho excitans, micatum arteriarum intendens, aliaque irritationis symptomata inducens. Cibi appetentiam auget; brevi tamen intima penetrans, vasa capillaria et totum vasorum absorbentium systema tam potenter adficit, ut exinde vis ejus in glandulis exseratur. Non est cur inficiemur Jodi impulsu genitalia excitari, illudque, testante Neljubin et multis aliis, maribus esse aphrodisiacum, feminis vero emmenagogum. Hisce virtutibus inclaruit Jodum, nec nocuit unquam, nisi dosi incongrua, et præpostero consilio datum; tunc enim nauseam, vomitum, cardialgiam et diarrhœam producit, vel alvum pertinaciter adstringit; dein succedit anxietas, vertigo et cephalæa. His in conspectum venientibus, usu Jodi plane supersedendum, ne paralysis aliaque gravia symptomata, exitum vitæ minantia insequantur. Haud raro post ejus usum observari solent: pallor cutis flavescens; macies corporis, mammarum in feminis, et testiculorum in maribus atrophia. Inhibetur Jodi usus: statu febrili, debilitate organorum concoctionis et incitamento nervorum, potatoribus proprio.

U. Doctor Coindet omnium primus Jodum in curanda strúma tentavit. Etsi vero brevissimo tempore vis ejus in profligando glandulæ thyreoïdeæ tumore admodum inclaruisset: subsequentium tamen temporum experimenta, in variis regionibus suscepta, sensim infregere ingentem remedii famam. Convenit omnino Jodum in struma lymphatica recenti, ægroto viribus

non exhaustis, nec dyscrasia qualibet infecto, absente statu inflammatorio et proclivitate ad hæmoptysin, dum malum tantummodo ex hypertrophia glandulæ originem ducit; si autem morbus est inveteratus, scyrrhosæ potius indolis, et dolore stipatur, inutile est remedium, quin imo malum haud raro exasperavit. In variis morbis scrofulosis, scilicet: in tumoribus et ulceribus glandularum colli lymphaticarum, obstructione glandularum mesaræi, fungo articulorum et ovarii induratione a multis laudatur. Lugol et Magendie asseverant, scrofulosos, qui Jodo cum successu usi sunt, opimos serius fuisse factos. Num in scyrrho uteri suppetias ferat, nec ne, nobis necdum experiri licuit, a Hufeland tamen et Elliotson commendatur, ut remedium, ad sublevandos saltem dolores idoneum. Gardner in hydrope ovarii Jodum utile fuisse commemorat. In aliis quoque hydropis speciebus, cum scilla, digitali aut bitartrate potassæ datum, horum vim intendere dicitur. In ascite imprimis enitendum, ut collecta in cavo abdominis aquarum colluvies prius educatur, et irritatio debitis adminiculis dissipetur, ne vasa absorbentia, stimulante remedii virtute opressa, inertia fiant. In chronicis lienis et hepatis obstructionibus, ubi jam hydrargyri præparata incassum tentata fuere, Jodi emicat efficacia. In amenorrhœa, fluore albo et impotentia virili a nonnullis commendatur; sic etiam in blennorrhœa urethræ chronica et strictura unguentum ejus, ad decursum urethræ infricatum, profecisse dicitur. In quibusdam impetiginum speciebus, Jodum sarsaparillæ junctum cum successu adhibuit Thomson. Ad sistendam salivationem diuturnam, a nonnullis fuit propinatum. Extrinsecus adhibetur forma unguenti vel tincturæ ad resolvendos tumores glan-

dularum aut lymphaticos. In hydrocele Ricord cum successu in usum duxit tincturam Jodi, duodecim vel octo partibus aquæ dilutam; splenia hocce liquore madefacta bis vel ter in die scroto adplicita fuere; subsequens cutis desquamatio absorptionem promovere dicitur.

D. Porrigitur tincturæ instar a sexta grani parte, vel grani dimidio, ad granum integrum, bis in die homini adulto, ex aqua saccharata vel syrupo.

JODIDUM AMYLI.

Іодистый крахмалъ.

℞. Jodi grana viginti quatuor.

Contere in mortario lapideo cum aliquot guttis alcoholis; dein triturando sensim sensimque admisce:

Amyli unciam.

Q. Exhibet pulverem coloris læte cærulei.

V. Ut jodi, sed multo mitior.

U. Iisdem morbis convenit, quibus jodum, sed teste Buchanan dosibus multo majoribus dari potest absque ulla noxa.

D. Initio propinantur adulto grana decem ad scrupulum, bis vel ter in die; dein vero drachmam, duas, quatuor, quin imo unciam ter in die porrigi posse, Buchanan adseverat.

JODIDUM POTASSII.

KI^2.

Hydriodas Potassæ; Kali hydriodicum.

Іодистый калій.

℞. Jodi uncias tres,
Carbonatis Potassæ uncias duas,
Ferri limati unciam,
Aquæ destillatæ libras sex.

Jodum cum ferro limato immitte vasi ferreo, illisque superfunde libras tres aquæ; spatha agitando liquidum calefac, donec color fusco-virescens evanescat; tum carbonatem potassæ in sesquilibra aquæ solutum adde, et liquorem per chartam cola. Residuum in filtro adhuc sesquilibra aquæ destillatæ bullientis elue. Liquores colatos simul misce, et vaporando calore lenissimo crystallos elice, quas in vase vitreo clauso usui serva.

Q. Crystalli sunt cubicæ (vel prismata quadrangularia), albæ, pellucidæ, aliquantulum splendentes; saporis acris, salini, sal culinare æmulantis. Igne leniter rubente funditur, et frigefactum concrescit in massam crystallinam coloris margaritacei; igne intensiori avolat, quin discidium patiatur. Partes tres solvuntur in aquæ temperatæ partibus duabus; in alcohole parimodo facile solvitur. Acido sulphurico, nitrico, uti etiam chloro et bromo resolvitur. Centenarius constat ex: jodi 76, 33; potassii 23, 67 partibus.

Jodidum Potassii venale adulteratur interdum chlorido potassii; fraus innotescit sequenti modo: Jodido Potassii, aqua soluto, sensim additur solutio nitratis argenti; effuso liquore supernatante, præcipitato superfunditur ammonia liquida, qua chloridum argenti absumitur, jodidum argenti autem immutatum manet; cavendum tamen, ne exuberans ammonia addatur; ammoniæ caute effusæ acidum sulphuricum additur, quo chloridum argenti iterum dejicitur, e cujus pondere quantitas chloridi potassii dignoscitur: 100 grana chloridi argenti designant 51 granum chloridi potassii. Vel etiam: Jodido Potassii, aqua soluto, acidum nitricum adfunditur; liquor igne intensiori ad siccum vaporatur, ut omne jodum avolet; residuum salinum, aqua

solutum, cum nitrate argenti, promet sedimentum (chloridum argenti), si chlorido potassii sal erat inquinatum.

V. et U. ut Jodi.

D. Aqua vel alcohole solutum propinatur adulto a grano ad tria, bis aut ter in die. Pro unguento drachma, duæ aut tres, ad unciam adipis.

BIJODIDUM HYDRARGYRI.

HgI^2.

Двухъ-іодистая ртуть.

℞. Hydrargyri purificati unciam,
Jodi drachmas decem,
Alcoholis purissimi quantum satis.

Hydrargyrum et jodum simul tere in mortario lapideo, alcoholis tantillum per vices addendo, donec globuli hydrargyri prorsus visum fugiant, et massa fiat homogenea. Pulverem lenissimo calore in loco obscuro sicca, et in vase probe obturando serva.

Si ad unciam hydrargyri, quinque drachmas jodi sumpseris, Jodidum Hydrargyri obtinebis.

Q. Bijodidum Hydrargyri exhibet pulverem coloris læte coccinei; pond. specif. = 6,32; facile funditur, et sub ipsa fusione colorem induit flavum; adaucto calore avolat; si sublimetur, in tabulas rhomboëdras concrescit, et tum coloris citrini est, contritum autem iterum coccinei fit. Centenarius Bijodidi H. constat ex: jodi 55,51; hydrargyri 44,49. In aqua non solvitur; in acidis autem, alcalibus, et variis jodidis solubilibus, uti etiam in alcohole solvitur.

Jodidum Hydrargyri pulvis est coloris flavi virescentis, qui calefactus ad tempus quidem rubescit, dein iterum flavum induit colorem; pond. specif. = 7,75; calore aliquantulum adaucto funditur et dein avolat; in

aqua et alcohole non solvitur. Centenarius constat ex: jodi 38,42; hydrargyri 61,58.

V. Stimulans; antisyphilitica.

U. Bijodidum Hydrargyri intus porrigitur in syphilide secundaria. Extrinsecus forma unguenti imponitur ulceribus flaccidis, margine calloso distinctis. Jodidum Hydrargyri intus exhibitum fuisse fertur in casibus, ubi syphilis cum scrofula complicata obvenit.

D. Bijodidum Hydrargyri datur a $\frac{1}{12}$ ad $\frac{1}{4}$ grani, semel aut bis in die, forma pilularum cum mica panis; Jodidum Hydrargyri autem ab $\frac{1}{8}$ grani usque ad grani dimidium. Pro unguento sumuntur grana decem Bijodidi Hydrargyri ad unciam adipis.

JODIDUM PLUMBI.

PbI^2.

Hydriodas Plumbi.

Іодистый свинецъ.

℞. Acetatis Plumbi crystallisati uncias novem,
Jodidi Potassii uncias septem,
Aquæ destillatæ libras duodecim.

Acetatem plumbi in libris novem, et jodidum potassii in libris tribus aquæ separatim solve, et tum parvis portionibus solutionem jodidi potassii in illam acetatis plumbi infunde. Præcipitatum pauca aqua frigida elue, et sicca.

Q. Pulvis est coloris læte flavi. In aqua bulliente solvitur; hac autem frigefacta forma lamellarum splendentium, coloris aurantii adparet. Centenarius constat ex: jodi 54,96; plumbi 45,04 partibus. Calore adaucto discidium fert; jodum avolat, et plumbum metallicum manet.

V. In glandulas obstructas resolvendo agit.

U. In scrofulis intus porrectum fuisse, fertur. Multo magis convenit usui externo ad dissipandos tumores glandulosos, nullo dolore stipatos. Suadente TODD THOMSON, unguentum ex sesquidrachma Jodidi Plumbi ac uncia adipis potenter resolvit hujusmodi tumores, si eodem tempore alia jodi præparata intus exhibeantur.

D. Pro dosi porrigitur adulto grani dimidium, ad grana duo.

MAGNESIA.

MgO.

Магнезія.

Oxydum metalli levis, quod Magnium, Magnesium, seu Talcium nuncupatur. Magnesia nonnisi cum acidis: sulphurico, phosphorico, carbonico et nitrico juncta occurrit. *Usuales sunt:* 1) Magnesia; 2) Carbonas Magnesiæ; 3) Sulphas Magnesiæ.

MAGNESIA.

MAGNESIA USTA; MAGNESIA CALCINATA.

Жженая магнезія.

℞. Carbonatis Magnesiæ quantum lubet. In crucibulo, probe tegendo, per sesquihoram igne fortiori rubescat, vel donec particula exempta ex adfuso acido acetico jam non effervescit; dein frigefacta lagenæ obturamento vitreo muniendæ immittatur, usuique servetur.

Q. Pulverem exhibet levem, album, insipidum et inodorum; pondus specif. = 2,3; in aqua parum solvitur. Aqua si madefiat, sensim illam absorbet, et in centenario 30 partes aquæ, hydratis instar continentur. Aëri exposita acidum carbonicum et aquam attrahit; hinc in vasis probe obturatis servanda. Centenarius constat ex: magnii 61,25; oxygenii 38,75 partibus.

Dum calcaria inquinata est, in acido sulphurico diluto ex toto non solvitur; dum carbonatem magnesiæ admixtum continet, adfuso acido effervescit. Minimæ etiam calcariæ particulæ deteguntur, si Magnesiæ, in acido sulphurico solutæ, oxalas ammoniæ addatur, quo oxalas calcariæ insolubilis dejicitur.

V. Absorbens, quin ructus, ut carbonas ejusdem excitet; laxans, adtracto in primis viis acore.

U. Ad subigendum succi gastrici acorem, in adfectionibus hinc pullulantibus, uti soda, pyrosi, aliisque, recte commendatur; hypochondriacis, qui hujusmodi concoctionis vitio plerumque laborant, aptum est remedium, eique tunc elæosaccharum fœniculi, aut menthæ jungitur, et, si alvus naturali tardior, pulvis rhei. Monentibus Wollaston, Marcet et Brande, efficax est remedium adversus urolithiasin, dum acidum uricum nimia quantitate generatur.

D. Plerumque forma pulveris, rarius liquido mucilaginoso suspensa, datur Magnesia, a granis quinque ad decem vel scrupulum, bis aut quater in die.

CARBONAS MAGNESIÆ.

$3(MgO, CO^2) + MgO + 4aq.$

MAGNESIA ALBA; SUBCARBONAS M.

Углекислая магнезія; Бѣлая магнезія.

℞. Sulphatis Magnesiæ libras quatuor,
Carbonatis Sodæ crystallisati libras quatuor et uncias quatuor.

Utrumque sal seorsim solve, et quidem, sulphatem magnesiæ in aquæ libris quadraginta, carbonatem sodæ autem in libris quadraginta quatuor. Solutiones colatas simul misce et per biduum sepone; præcipitatum super linteum aqua destillata tamdiu elues, quoad de-

fluens nulla salium vestigia manifestabit. Massam humidam in formas, e lapide non denso, creta, vel gypso confectas, leviter infarcito et, dum sat cohærentiæ adepta fuerit, in aëre libero exsicca. Hoc modo Carbonatem Magnesiæ levem obtinebis; si vero sulphatem magnesiæ et carbonatem sodæ in dimidiis, ac dictum fuit, aquæ portionibus solutos, calentes commisceas, et supra linteum exsiccationi committas, ponderosiorem et pulverulentum Carbonatem Magnesiæ habebis.

Magnesia alba venalis parari solet magna copia ex solutione chloridi magnii, quæ post salis culinaris crystallisationem, ex aqua marina, superest. Liquor residuus chloridi magnii ad + 80° R. calefit, eique solutio carbonatis potassæ impuri adfunditur, quo facto refrigerationi committitur.

Q. Pro vario modo, quo paratur, vel massam exhibet levem, friabilem, vel est ponderosior, et quasi sabulosa; utraque tamen insipida est. Secundum Fyfe pars Carbonatis Magnesiæ solvitur in 2500 frigidæ et 9000 bullientis aquæ partibus; multo solubilior est Carbonas Magnesiæ in aqua acidi carbonici, cujus 48 partes tantummodo requiruntur, et tunc mutatur in bicarbonatem magnesiæ, qui tamen in crystallos cogi nequit, quum in aëre discidium ferat. Centenarius Carbonatis Magnesiæ constat ex: acidi carbonici 35,86; magnesiæ 44,69; aquæ 19,45 partibus.

Dum calcaria inquinatus est, in acido sulphurico diluto ex toto non solvitur. Si nimia quantitas carbonatis sodæ ad disjungendum sulphatem magnesiæ sumpta fuerat, Magnesia alba, tali modo obtenta, continet carbonatem magnesiæ sodicum, sal ferme insolubile; hujusmodi magnesia, si calcinetur et aqua diluatur, colore fusco tingit chartam curcumæ.

Insociabilis est Carbonas Magnesiæ acidis, alcalibus et plerisque salibus, quæ in aqua quidem solvuntur, sed quorum carbonates insolubiles sunt; discidium etiam infert chlorido et bichlorido hydrargyri.

V. Antacida; majori dosi et acore in ventriculo prævalente, blande purgans.

U. Idem ac Magnesiæ. Notandus hic obvenit ***Pulvis puerorum*** Hufelandi, qui componitur ex: Carbonatis Magnesiæ drachmis duabus, radicis rhei drachma dimidia, radicis valerianæ granis octo, et elæosacchari fœniculi drachma; datur bis aut ter in die ad cuspidem cultri; laudatur in colica flatulenta, exuberante muco primarum viarum, diarrhœa, alvo præ cæteris viridi, nec non in aliis levioribus affectionibus, ætati infantili propriis. Plurimi æstimatur a quibusdam *Aqua* vulgo *Magnesiœ* dicta, quæ bicarbonatem illius solutum continet; parari facile potest, si lagenæ, librarum duarum capaci, aqua acidi carbonici impletæ, immittantur drachmæ duæ Carbonatis Magnesiæ, vas firmiter obturando. Vi pollet diuretica.

D. Carbonas magnesiæ datur adultis, absorbendi scopo, a scrupulo ad drachmam; alvi purgandæ ergo, a drachma ad duas, plerumque forma pulveris, ex aqua sumendi.

SULPHAS MAGNESIÆ.

$MgO, SO^3 + 7aq.$

Sal amarum; Sal Sibericum; Sal Anglicanum; Sal Seidlitzense; Sal catharticum.

Сѣрнокислая магнезія.

Obtinetur magna copia ex aquis mineralibus Epsomensibus in Britannia, Seidlitzensibus et Seidschützensibus in Bohemia. Paratur etiam ex aqua marina, se-

quenti modo: chlorido magnii, post crystallisationem salis culinaris in liquore residuo, solutio sulphatis ferri adfunditur, ex quo Sulphas Magnesiæ et chloridum ferri oriuntur; salia sicca, vaporando excussa, addito acido sulphurico in vasis ferreis destillationi subjiciuntur, quo acidum hydrochloricum producitur, et Sulphas Magnesiæ, sesquioxydo ferri mixtus, qua residuum manet; subsequenti calcinatione et crystallisatione a ferro liberatur. Apud nos in confinibus Irkutsk et Astrachaniæ in primis reperitur.

Sulphas Magnesiæ venalis, ut ab admixtis heterogeneis liberetur, in pari aquæ bullientis pondere solvendus, et in crystallos cogendus est. Ferrum absumitur, dum solutioni carbonas magnesiæ additur.

Q. Lenta refrigeratione in prismata tetragona concrescit; saporis est frigerantis, amari, salsi. Aëri expositus non deliquescit, nisi chloridum magnii admixtum contineat. Leni calore funditur in aqua crystallisationis; dum vero igni intensius candenti exponitur, sal siccum iterum funditur, quo partim dirimitur. Ad 0° R. solvitur in quatuor aquæ partibus; ad + 12° R. in tribus, et ad + 80° R. in parte cum dimidia. Centenarius constat ex: acidi sulphurici 32,40; magnesiæ 16,70; aquæ 50,90 partibus.

Sulphas Magnesiæ venalis, dum purus est, aqua solutus et solutione carbonatis sodæ (videsis carbonatem magnesiæ) præcipitatus, sedimentum referat album, copiosum; quo in casu, si carbonas sodæ solutus debita quantitate adfunditur, 100 grana Sulphatis Magnesiæ producant 37 grana carbonatis magnesiæ, in aëre libero exsiccati. Ad detegendam quantitatem sulphatis sodæ, quo haud raro adulteratur, sequenti modo procedendum: Sulphati Magnesiæ, aqua soluto, adfunda-

tur solutio sesquicarbonatis ammoniæ; dein liquidum calefiat, ut omnis carbonas magnesiæ dejiciatur. Liquor supernatans, per chartam colatus, ad siccum vaporetur, et residuum in crucibulo igne leniter rubente calcinetur, quo sulphas sodæ admixtus profertur (Lassaigne). Cuprum innotescit addito hydrosulphureto ammoniæ liquido.

V. Cathartica.

U. Ab aliis catharticis salibus, e potassa vel soda compositis, eo differt, quod cito exserat efficaciam, neque adeo facile vires ventriculi tubique intestinorum convellat. Adcommodus est præcipue hypochondriacis, et hystericis, æquo irritabiliori fibra præditis. Effectus ejus salutaris expectandus est præsertim in iis malis, quæ prompto auxilio egent; hinc apte datur in colica plumbea, et non male conjungitur cum oleo olivarum, vel ubi spasmi, ut causa alvi adstrictæ arguuntur, cum opio. In febribus inflammatoriis, ut laxans, cruditates auferendo prodest. Abstinendum tamen ab eo in gastritide, enteritide et dysenteria; ventriculo etiam admodum debili vix convenit. Valet etiam qua antidotum contra barytam et plumbi salia.

D. Ad solvendam leniter alvum scrupulus ad drachmam aliquoties in die propinatur; scopo cathartico datur uncia, ad duas, solutionis instar.

MANGANUM.

Mn.

Magnesium; Manganesium.

Марганецъ.

Metallum hoc plerumque invenitur oxygenio junctum in metallifodinis Nertschinscensibus, Kolyvano-Voscresensibus, Ecatherinopolitanis et Olonetzensibus,

sed neutiquam magna copia; adfertur proinde e Thuringia, aliisque locis. Reperitur etiam in montibus Uralensibus *(Орлецъ)*. *Usuale est.*

BINOXYDUM MANGANI.

MnO^2.

OXYDUM MANGANI NIGRUM; MAGNESIA VITRIARIORUM.

Перекись марганца.

In variis regionibus sat purum obvenit, et Mineralogis *Pyrolusites* audit.

Q. Nativum exhibet prismata rhomboëdra, vel massas radiatas, fasciculatim discretas. Coloris est nigri, ferrei; splendore metallico gaudet; pond. specif. $= 4{,}8$; saporis expers; aqua insolubile. Igni rubenti expositum oxygenium evolvit, et pro gradu caloris adhibiti vel oxydum vel sesquioxydum manet residuum; cum acido sulphurico calefactum parimodo oxygenium emittit, sulphate oxydi mangani residuo; cum acido hydrochlorico autem chlorum profert. Centenarius Binoxydi Mangani constat ex: mangani 63,36 et oxygenii 36,64 partibus.

Binoxydum Mangani venale raro purum est et vario nomine insigniri solet, utpote: *Magnesia nigra, Sapo vitriariorum, Lapis spurius.* Interdum admixtum continet hydratem oxydi mangani; si tale in pulverem redigatur, non est coloris nigri, sed fusci dilutioris. A calcaria et baryta, quæ aliquando admixtæ esse solent, liberatur, si cum acido nitrico diluto digeritur. Ex quantitate oxygenii, quam Binoxydum Mangani largitur, dum acido sulphurico leni calore tractatur, qualitas illius innotescit.

V. Censetur esse tonica, ferro quam proxime accedens.

U. Obsoletis adnumerandum est remediis. Laudabatur in variis cutis fœditatibus, uti psora et herpete; sic etiam in ulceribus canceraticis. Oppositum fuit hydropi a causa chloroseos originem ducente. Extrinsecus forma unguenti (e tribus drachmis Binoxydi Mangani et adipis uncia) tentatum fuit in variis morbis cutaneis.

Ad conficienda quædam præparata pharmaceutica imprimis adhibetur.

D. In pulverem subtilissimum redactum a granis tribus ad sex pro dosi exhibitum fertur.

MORPHIA.

$N^2C^{34}H^{36}O^6$.

Морфинъ.

Materia vegetabilis alcaloides ex Opio elicita, cujus indolem SERTUERNER primus descripsit. *Usuales sunt:* 1) Morphia; 2) Hydrochloras Morphiæ.

MORPHIA.

MORPHIUM; MORPHINUM.

Морфинъ.

℞. Hydrochloratis Morphiæ unciam,
Ammoniæ liquidæ officinalis drachmas quinque,
Aquæ destillatæ libram cum dimidia.

Hydrochloratem Morphiæ in aqua solve, eique adfunde ammoniam liquidam, uncia aquæ prius dilutam. Præcipitatam Morphiam aqua destillata ablue et leni calore exsicca.

Q. Crystalli, ex solutione ejus alcoholica surgentes, sunt aciculares, seu prismata hexagona splendentia. Saporis est amari; in aqua et æthere sulphurico non solvitur; sed solubilis est in 40 partibus alcoholis

absoluti frigidi, et in 30 partibus ejusdem bullientis; solvitur parimodo in oleis pinguibus et æthereis, uti etiam in potassa vel soda liquidis; minus solubilis est in ammonia liquida. Cum acidis: sulphurico, hydrochlorico et acetico salia constituit, quæ in crystallos cogi possunt. Centenarius constat ex: nitrogenii 4,90; carbonei 72,20; hydrogenii 6,24; oxygenii 16,66.

V. Venenifera; perquam narcotica.

U. Intus non adhibetur. Extrinsecus jungitur unguentis ad sedandos dolores vel spasmos.

D. Grani dimidium, vel ad summum granum integrum, cum unguento cuti sanæ infricatur; vel eadem quantitate emplastrum respergitur.

HYDROCHLORAS MORPHIÆ.

$N^2C^{34}H^{36}O^6 + Cl^2H^2$.

MURIAS MORPHII.

Солекислый Морфинъ.

Opium in pulverem redactum, et cum arena purissima mixtum, super linteum aqua destillata frigida tamdiu elues, quoad hæc saporis ex toto expers erit. Opii solutionem ad spissitudinem syrupi evapora, eique tum quadruplam aquæ destillatæ quantitatem adfunde, et linque, ut fæces subsidant. Liquidum caute effunde et residuum aqua destillata probe elue. Liquori cum aqua loturæ mixto, solutionem saturatam chloridi barii tamdiu adfundes, quoad nullum præcipitatum (meconas barytæ) adparebit; hoc super filtrum aqua destillata elue. E liquido colato leni calore excute crystallos, quas, inter bibulam compressas, iterum in aqua destillata solve et cum carbone animali leni calore + 30° R. digere; dein liquidum per chartam cola, et carbo-

nem aqua destillata ablue; tandem e liquoribus commistis elice crystallos puras Hydrochloratis Morphiæ.

Methodus hæc, quæ Todd Thomson in acceptis referenda est, cæteris ob simplicitatem, nec non ob majorem producti copiam merito præfertur; cavendum tamen, ne solutioni opii aquosæ nimium chloridi barii addatur, quo in casu productum foret inquinatum; hoc facile posset dignosci, additis solutioni ejus aliquot guttis acidi sulphurici diluti, ex quo præcipitatum album (sulphas barytæ) oriretur.

Q. Crystallos exhibet aciculares, in fasciculos simul junctas, ferme coloris expertes, inodoras, saporis amari. Ægre solvitur in alcohole, sed multo facilius in aqua, scilicet: aquæ ad + 12° R. temperatæ necessariæ sunt 20 partes, bullientis vero 10. Centenarius constat ex: morphiæ 88,78; acidi hydrochlorici 11,22. Discidium patitur ab alcalibus fixis, ammonia, nitrate argenti et salibus plumbi, hinc cum illis præscribi nequit.

V. Remedium narcoticum, opio suppar.

U. Iisdem casibus ac ipsum opium convenit.

D. A $\frac{1}{8}$ grani parte ad grani dimidium datur adulto.

PHOSPHORUS.

P.

Фосфоръ.

Phosphorus, cujus notitiam primus omnium (a. 1669) habuit Brandt, Hamburgensis Chemicus, olim ex urina putrida parabatur; modus tamen illum obtinendi per longum temporis spatium in oculto erat, donec præterlapso seculo Scheele et Gahn aliam rationem, qua ex ossibus parari possit, publici juris fecerint.

Si methodum nunc usitatissimam adhibeas, sic operationem institues: ossa tauri vel ovis, accedente ultro

aëre atmosphærico, donec albescant ure, quo carboneum, hydrogenium, nitrogenium et oxygenium, in illis contenta, igne destruantur, et phosphatem calcariæ cum parva carbonatis calcariæ quantitate, et tantillo phosphatis magnesiæ habebis residuum; tum

℞. Ossium, dicto modo calcinatorum, libras tres,
Acidi Sulphurici officinalis libras duas,
Aquæ communis libras triginta.

Ossa calcinata in tenuem pulverem redige, iisque acidum, aqua dilutum, superfunde. Totum per dies aliquot digestioni committe. Potentia acidi sulphurici generatur sulphas calcariæ (subsidens) et biphosphas calcariæ (aqua solutus). Liquorem per linteum madefactum cola, et vaporando in lebete ferreo, cupreo, aut plumbeo ad syrupi spissitudinem consume; quum vero penitus refrixerit, sulphatem calcariæ præcipitatum cauta effusione separa, et parva aquæ frigidæ quantitate lava, quam effuso liquori adde; hanc Solutionem Biphosphatis Calcariæ iterum ad mellis spissitudinem vapora, et additis unciis novem carbonis lignei pulverati, sub frequenti agitatione, in lebete ferreo, igni tam aucto arefac, ut fundus lebetis modice rubeat. Massam coloris nigri, hoc modo obtentam, immitte retortæ fictili, igne intensissimo rimas non acturæ; collo retortæ apta tubum cupreum sat amplum, cujus alterum extremum, in angulum rectum incurvatum, in lagenam introduc; hæc autem aqua eousque impleta sit, ut tubi cuprei extremum ad duas tresve tantum lineas in illam promineat, ne si fortuito casu retorta frigefiat, aqua in illam adscendere possit. Tubum cupreum in lagenam per suberem transmitte, cui parimodo inserendus est tubulus vitreus ad emittenda gasa, quæ sub ipsa operatione evolvuntur; lagenam, quæ excipuli vices agit,

in vas aquam continens ponito, tum scopo frigefaciendi hujusmodi excipuli, tum ad præcavendum omne malum, quod ex fractura illius exoriri posset. Retortæ in furno reverberii locatæ, juncturis ejus luto illitis et siccatis, ignem ab initio moderatum subde, quem sensim sensimque (totum furnum prunis implendo) tantum excitabis, ut retorta per plures horas candeat. Hoc processu biphosphas calcariæ disjungitur in phosphatem calcariæ (in retorta residuum) nec non in acidum phosphoricum, quod carbonis adjumento oxygenii jacturam patitur et Phosphorum profert, qui, in collo retortæ et tubo cupreo formam liquidam assumens, ad fundum lagenæ accumulatur. Initio prodiens, colore est flavo, qui vero sub finem operationis educitur magis fuscus est, pro ratione impuritatum, quæ illi admixtæ sunt.

Phosphorum hoc modo obtentum, et in frustula concisum, tubis vitreis, nonnihil turbinatis, immitte, extremitate angustiore cujusvis tubi subere obturata. Quum Phosphorum tubo ingesseris, tantum aquæ superfunde, quantum tubus recipere potest (deflagrationis vitandæ gratia) et sic oneratum in aquam bullientem immerge. Phosphoro fuso tubum frigida submerge, ubi vero solidus erit factus, absumpto subere eum expelle, et sub aqua in vasis probe clausis serva. Superiorem cylindrorum partem, impuritates continentem, abscinde.

Q. Communi aëris tepore exhibet massam ceræ instar solidam, pellucidam, coloris flavi pallescentis; frigidiori temperatura fit fragilis. Aqua non solvitur; parum recipitur ab æthere et alcohole; amplius ab oleis æthereis et pinguibus; optimum vero illius solvens est bisulphuretum carbonei (alcohol sulphuris). Ex solu-

tionibus in crystallos concrescit rhombo-dodecaëdras, nec non in prismata hexagona. Pondus specificum = 1,77. Aëri expositus vapores emittit albos, allium quodammodo redolentes et in tenebris lucentes, quum tali modo oxygenium attrahat, et in acidum phosphorosum sensim abeat. Semper sub aqua servandus, et nunquam digitis attingendus, nam particulæ illius, si quæ sub ungues penetrassent, in aëre atmosphærico exardescentes, sat gravem inducerent læsionem; cavendum etiam, ne plura frustula insimul aëri exponantur, nam calor, oxydatione illius generatus, tantus esse solet, ut flamma exinde prorumpat, quæ incendio ansam præbere posset. In vase clauso funditur ad + 30° R. et exhibet liquidum oleosum, ad + 80° vaporari incipit, et ad 240° effervescit. Dum liquefactus in vase clauso cum aqua tamdiu concutitur, donec refrixerit, in pulverem redigitur tenuem, qui usui pharmaceutico inservit. Saporis est acris, nauseosi. Potentia lucis rubescit, etiamsi in vase aëre vacuo contineatur.

Phosphorus venalis haud raro sulphure et arsenico inquinatus est. Sulphur originem ducit a sulphate calcariæ non rite separato; arsenicum vero ab acido sulphurico, cui hoc inquinamentum aliquando inest. Utrumque detegitur dum Phosphorus ope acidi nitrici in acidum phosphoricum convertitur (Videsis hoc acidum). Si in illo, aqua diluto, ex solutione nitratis barytæ sedimentum adpareat album, id acidum sulphuricum testatur; si vero ex hydrogenio sulphurato liquidum (acidum phosphoricum continens) flavo tingitur colore, et post nychthemeron sedimentum exhibet, id arsenici inquinamentum designat, quod cum certitudine eruitur, si tale sedimentum variis revelantibus chemicis disquiratur (Videsis Arsenicum).

V. Parva dosi excitans; diureticum; aphrodisiacum. Majori dosi profert symptomata, quæ gastritidem et enteritidem comitantur; hinc cautissime adhibendum. Nimia dosi venenum est.

U. Datur in morbis, magna nervorum debilitate notatis, non tamen ad roborandas, sed ad excitandas vires; hinc in typho graviori, paralysi apoplexiæ pedisequa, amaurosi, surditate et febribus intermittentibus, dum hæ ex languente nervorum vi pendent. Extrinsecus forma linimenti aut unguenti (grana 12 Phosphori ad unciam adipis) in paralysi et rheumatalgia prodesse, dicitur.

D. Porrigitur ad octavam, rarius ad quartam grani partem in emulsione. *Æther phosphoratus* (ex granis tribus Phosphori et uncia ætheris constans) datur dosi decem guttarum, omni secunda vel tertia hora, aut pro re nata sæpius, ex quovis blando liquido.

PLUMBUM.

Pb.

Свинецъ.

Frequentissima Plumbi minera est Galena (sulphuretum plumbi); occurrit etiam oxygenio junctum vel salium instar. Metallifodinæ Plumbum largientes in Rossia sunt: Sibericæ, Olonetzenses, Uralenses, Ecatherinopolitanæ, Berezovienses etc. Montes metalliferi in Britannia, Saxonia et Bohemia, multum quoque Plumbi suppeditant. Reductione ex oxydo, cum carbone mixto, metallum obtinetur. *Usualia sunt:* 1) Oxydum Pb. semivitreum; 2) Carbonas Pb; 3) Acetas Pb. crystallisatus; 4) Disacetas Pb. liquidus; 5) Nitras Pb.; 6) Jodidum Pb. (Vid. Jodum).

Q. Coloris est cinerei in cæsium vergentis; splendore insigni præditum; calore liquatum et lente refri-

gescens in crystallos concrescit pyramidatas, tetraëdras; malleis obsequitur et ductile est, quin tamen in fila tenuissima distendi possit; nec resilit, nec sonorum; lamina illius, dum incurvatur, nullum edit crepitum, uti stannum purum. Pond. specif. = 11,4. Priusquam candeat, scilicet ad + 250° R., igne funditur, ast nonnisi calore intensissimo in vapores abit. Via sicca facile oxygenium adtrahit atque, pro ratione quantitatis ejus, oxyda diversi coloris constituit; sic disoxydum coloris est cinerei et vulgo *Cinis Plumbi* dicitur; si hoc diutius sub accessu aëris ustione tractetur, in oxydum transmutatur, quod *Oxydum Plumbi citrinum* seu *Massicot* appellatur; si oxydum igne intensiori liquetur, profert *Oxydum Plumbi semivitreum*, vulgo *Lithargyrum*, quod ex cupellatione argenti plerumque remanet, et inde nomen nactum est. Si vero oxydum Plumbi (Massicot vel Lithargyrum pulveratum) per biduum, accedente aëre, moderato et continuo calori exponatur, lenteque refrigeretur, in *Minium* abit, quod ex oxydo et binoxydo Plumbi, proportione non constanti, mixtis constare dicitur, et pulverem exhibet ponderosum coloris coccinei.

Ad dignoscendum, utrum Plumbum heterogeneis metallis inquinatum sit, solvatur in acido nitrico diluto; si album manet residuum, hoc binoxydum stanni vel stibii est; si solutioni addatur acidum sulphuricum, vel sulphas sodæ, subsidet sulphas plumbi, qui, addita $\frac{1}{8}$ parte carbonis lignei et $\frac{1}{2}$ carbonatis potassæ, caloris auxilio in Plumbum metallicum reducitur. Si alcalia, præcipitato jam sulphate plumbi, quidlibet dejiciant, id de heterogeneis metallis suspicionem movet. Cyanido ferri et potassii revelatur ferrum; hydrogenio sulphurato autem cuprum.

V. Plumbum, scilicet metallum purum, vitæ haud est perniciosum; oxyda autem et salia illius organismo humano infesta sunt; hinc etiam Plumbum metallicum, quum facile in oxydum transmutetur, ominosum fieri solet. Si metallum hoc ventriculo ingeratur, adtracto oxygenio et acido carbonico, venenum fit.

Haud raro pictores, aliique artifices et metalli fossores, Plumbum vel ejus oxyda aut salia per longum temporis spatium attrectantes, peculiari adficiuntur morbo (colica saturnina seu Pictonum), quem sequentia comitantur symptomata: ciborum fastidium, flatus, ructus acidi, dulces, vel et amari; sapor ingratus, metallicus; nausea, vomitus; alvus solet esse pertinaciter adstricta, vel, si cietur, dura et nigra, vel etiam ultra modum fit liquida, et tunc umbilicus cum dolore interiora versus trahitur. Tandem accenditur febris, siccitate oris sitique magna, vertigine, tremore artuum, convulsionibus, imo paralysi notata; cutis fit aspera, luridi vel lividi coloris; æger (et vasis chyliferis et glandulis obstructis) magis magisque macescit, atque demum tabe consumitur. Malo recenti medentur: oleum ricini, sulphas sodæ vel magnesiæ, opium, balnea tepida, clysmata ex jusculo carnis. Si paralysis insequatur, nux vomica vel ejus præparata in usum sunt ducenda.

U. Metallum hoc intus nunquam adhibetur. Obducuntur interdum cisternæ intrinsecus Plumbi laminis, et varii aquæductus e tubis plumbeis sæpe construuntur. Hujusmodi constructionis genus prorsus damnandum est, si aqua usui interno dicata sit, quum acidum carbonicum, quod aquæ inest, carbonatem Plumbi, sanitati perquam noxium, sensim sensimque producat. Vasa et tubi stannei, aut ferrei, omnino præferendi sunt.

OXYDUM PLUMBI SEMIVITREUM.
PbO.
Lithargyrum.
Глетъ.

Q. Exhibet squamulas splendentes, ponderosas, e rubello flavescentes, unctuosas. Quod venale prostat, inquinatur interdum pulvere laterum; si tale in aceto solvatur, pulvis laterum erit residuus. Cuprum cæruleo colore se prodit, si cum ammonia liquida digeratur. Centenarius Oxydi Plumbi constat ex: plumbi 92,83; oxygenii 7,17 partibus.

V. Intus sumptum, venenum est. Extrinsecus, emplastri forma, vim habet siccantem et adstringentem. Occurrunt interdum vina, quæ acoris compescendi gratia, subdola fraude, Lithargyro adulterantur. Ad detegendum Plumbum in hisce vinis, olim adhibebatur sic dictus *Liquor probatorius Hahnemanni* (in quatuor unciis aquæ hydrosulphuratæ, drachmam acidi tartarici solutam continebat). Præstat aquam hydrosulphuratam per se vino suspecto adfundere, et præcipitatum exortum addito acido hydrochlorico diluto explorare; si præcipitatum nigrum ex acido solvitur, ferrum in vino erat solutum; sin secus, Plumbum erat, aut cuprum. Elicitur etiam Plumbum, si vinum ad syrupi spissitudinem vaporetur, et dein in crucibulo cum pulvere carbonum igni exponatur, quo Plumbum forma metalli obtinetur.

U. Conficiendis emplastris, aliisque præparatis inservit.

CARBONAS PLUMBI.
PbO, CO^2.
Cerussa.
Углекислый свинецъ; Свинцовыя бѣлила.

Carbonas Plumbi paratur magna copia in officinis propriis, duobus potissimum modis, scilicet:

1) Plumbi laminæ in spatio undique clauso, tepore + 30° vel + 35° R., per unam alteramve hebdomadam vaporibus aceti exponuntur. Laminæ hoc modo corrosæ, Carbonatem Plumbi vario nomine designatum referunt; sic stratum superius, quod sponte secedit, optimum habetur, et Cerussa in lamellis seu Armentum album *(Шифервейсъ)* dicitur; quod autem laminis firmius adhæret, ope molæ ligneæ sub aqua separatum, elutriatione a Plumbo metallico liberatur, et ope collæ animalis in varias cogitur formas, atque Cerussa Cremnitzensis appellatur.

2) Alter modus, cujus auctor Thenard est, sequentibus absolvitur: gas acidum carbonicum per solutionem subacetatis plumbi in idoneo apparatu transducitur, quo Carbonas Plumbi dejicitur, et acetas plumbi solutus manet. Solutio acetatis plumbi, a præcipitato carbonate separata, cum oxydo plumbi digeritur, quo iterum in subacetatem plumbi mutatur. Per solutionem gas acidum carbonicum denuo transducitur, et talis operandi modus, quamdiu libuerit, continuatur. Carbonas Plumbi hac ratione obtentus conficiendo emplastro ineptus est.

Componitur etiam Carbonas Plumbi, si solutio acetatis illius cum solutione carbonatis sodæ misceatur.

Q. Massam exhibet cohærentem, friabilem; saporis est expers; aqua non solvitur, nisi hæc acido carbonico saturata fuerit; solvitur etiam in potassa liquida. Centenarius constat ex: oxydi plumbi 83,26; acidi carbonici 16,74 partibus.

Promercales sunt: Cerussa Veneta, Anglicana, Hollandica, aliæque species, quibus plerumque heterogenea insunt, scilicet: sulphas plumbi, carbonas calcariæ, sulphas calcariæ, phosphas calcariæ, et sulphas

barytæ, quapropter sequenti modo disquirantur: Cerussa venalis solvatur in acido nitrico diluto; si manet residuum album vel sulphas plumbi, vel sulphas barytæ, vel sulphas calcariæ est; sulphas plumbi in carbone ad tubum ferruminatorium ignitus, dat plumbum metallicum. Ex sulphate barytæ vel calcariæ, si in crucibulo cum tantillo pulveris carbonum uratur, obtinetur sulphuretum barii, vel sulphuretum calcii. Sulphuretum ignoti metalli solvatur in aqua fervente, illique addatur acidum hydrochloricum, et solutio colata continebit vel chloridum barii, vel chloridum calcii. Si hæc solutio chloridi barii foret, illique calidæ (non exuberans) acidum oxalicum addatur, præcipitatum (oxalas barytæ) dejicitur; liquidum colatum calens, solutione chloridi calcii exploratum, dabit adhuc sedimentum (oxalatem calcariæ), si sulphuretum barii erat indagatum; si vero sulphuretum erat calcii, ex addito sub finem chlorido calcii nullum exorietur præcipitatum. Si Cerussa carbonatem calcariæ vel phosphatem calcariæ continet, in acido nitrico diluto solvenda, et ex solutione neutra plumbum hydrogenio sulphurato dejiciendum est, quo facto soluta manet calcaria vel phosphas calcariæ. Calcaria revelatur acido oxalico; phosphas calcariæ autem solutione nitratis argenti; nam phosphas calcariæ, in acido nitrico solutus, ex nitrate argenti, si tantillum ammoniæ liquidæ addatur, promet sedimentum flavum.

V. Intus si sumatur venenum est; extrinsecus admotum exsiccans.

U. Nonnisi usui externo, conficiendis nimirum emplastris unguentisque inservit. Præparata plumbi, si per diuturnum temporis spatium extrinsecus admoveantur, sanitati noxam inferunt; hinc Cerussa pro cos-

meticis, quibus mulierculæ, adscititiam formam affectantes, delectari solent, non est commendanda.

ACETAS PLUMBI CRYSTALLISATUS.

$PbO, \bar{A} + 3aq.$

Saccharum Saturni.

Уксуснокислый свинецъ.

Sal hoc prostat venale, et paratur magna copia in officinis chemicis. Oxydum plumbi semivitreum cum exuberante acido pyrolignoso digeritur, et liquor inde obtentus vaporando in crystallos cogitur. Pro usu medico, nisi sat purum fuerit, solvatur in parte cum dimidia aquæ destillatæ ferventis, et ex solutione colata excutiantur crystalli.

Q. Crystalli sunt albæ, pellucidæ, aciculares aut hexaëdræ; saporis est dulciculi, ingrati, adstringentis. Solvitur in aquæ temperatæ parte cum dimidia; in spiritu vini parimodo solubilis est. Tincturam heliotropii rufat, et syrupus violarum ex illo virescit. Leni calore funditur, et sensim aqua crystallisationis orbatur. Aëri sicco expositus fatiscit et adtracto acido carbonico partim resolvitur. Centenarius salis crystallisati constat ex: acidi acetici 26,97; oxydi plumbi 58,71; aquæ 14,32 partibus.

Dum sal sincerum est, si, aqua solutum, acido sulphurico penitus præcipitetur, liquor colatus et vaporatus nullum dat residuum; sin aliter, heterogenea illi insunt.

V. Sedans; adstringens.

U. Licet usus illius internus sit anceps, concedendus tamen est circumspectissimis Medicis. In hæmoptysi et hæmorrhagia uterina, vel intestinali, uti etiam in sudore colliquativo, sæpe cum successu fuit usur-

patus. Auctore Todd Thomson, Acetas Plumbi semper conjunctim cum aceto vini destillato est porrigendus, ad præcavendam carbonatis plumbi generationem, qui venenis adnumerandus est. Extrinsecus multa aqua solutus, addito pauxillo aceti destillati, collyrii instar adhibetur, quod in variis ophthalmiis utile est; aliquanto minus dilutum, qua fomentum, in inflammatione superficiali proficit.

D. Porrigitur intus a quarta grani parte adscendendo ad grana duo, bis terve in die cum opio. Suadente Todd Thomson a granis tribus ad grana decem, omni sexta vel octava hora propinandus est. Pro collyrio grana decem, ad quindecim, in unciis octo aquæ destillatæ solvuntur.

DISACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

Acetum Saturni; olim Extractum Saturni.

℞ Acetatis Plumbi crystallisati libram,
Oxydi Plumbi semivitrei, subtilissime pulverati, uncias septem,
Aquæ destillatæ libras quatuor cum dimidia.

Acetatem plumbi in aqua destillata solve, dein addito oxydo plumbi per dimidiam horam coque. Solutione peracta, quantum aquæ vaporatum est, tantum destillatæ adjice, ut mensuram eandem constituat. Liquorem frigefactum per chartam cola et in vasis probe clausis serva.

Q. Solutio est coloris expers, limpida.

V. Extrinsecus adhibitus sedans est et antiphlogisticum remedium.

U. Dum aqua diluitur, solutionem constituit, quæ vulgo *Aqua Saturnina* dicitur et fomenti instar inflammationibus topicis compescendis perquam apta est.

NITRAS PLUMBI.
PbO, N^2O^5.
Азотнокислый свинецъ.

Conficitur solutione oxydi plumbi semivitrei in exuberante acido nitrico diluto. Liquor per chartam colatus vaporando in crystallos cogitur.

Q. Crystalli sunt tetraëdræ et octaëdræ, albæ, pellucidæ, saporis adstringentis. Solvitur in septem partibus aquæ frigidæ; calidæ minus requiritur; in alcohole non solvitur. Destillatione sicca largitur vapores acidi nitrosi et gas oxygenium, in retorta vero manet oxydum plumbi. Centenarius constat ex: oxydi plumbi 67,3; acidi nitrici 32,7.

In usum pharmaceuticum tantummodo ducitur.

POTASSA seu KALI.
KO.
Кали.

Alcali hoc purum nonnisi artis productum est; variis autem acidis, scilicet: sulphurico, phosphorico, nitrico, silicico, oxalico, tartarico, aliisque junctum, copiose obvenit. Experimentis a Davy anno 1807 institutis primum innotuit, illud ex metallo levi, Potassio seu Kalio et oxygenio constare. *Usuales sunt:* 1) Potassa liquida; 2) Hydras Potassæ fusus; 3) Carbonas P. impurus (Cineres clavellati); 4) Carbonas P.; 5) Carbonas P. liquidus; 6) Bicarbonas P.; 7) Nitras P.; 8) Chloras P.; 9) Sulphas P.; 10) Acetas P.; 11) Tartras P.; 12) Bitartras P.; 13) Tartras Potassæ et Sodæ; 14) Tartras Potassæ et Ammoniæ; 15) Tartarus boraxatus.

POTASSA LIQUIDA.
Liquor Kali caustici.
Растворъ ѣдкаго кали.

℞. Carbonatis Potassæ venalis libras duas,
Calcariæ causticæ libram,
Aquæ communis libras viginti quinque.

Carbonatem potassæ in lebete ferreo probe mundato libris quindecim aquæ solve. Calcariam primo aqua consperge, ut in pulverem dilabatur, dein cum quinque libris aquæ misce. Carbonati potassæ ferventi calcariam parvis portionibus adde, spatha ferrea continuo movendo. Liquor per dimidium horæ absque cessatione ferveat, curando, ut aquam vaporatione consumptam, repetita additione in integrum restituas; tum liquorem cola per linteum. Residuum in lebete aqua fervida elue, iterumque cola. Liquores commistos in lebete ferreo mundato evapora, ut libræ circiter octo maneant; liquidum lagenis probe obturandis infunde, et ubi sedimentum posuerit, caute effunde, iterumque vaporando consume, quoad unciæ ejus quatuor (pondere) vas complebunt, quod capax foret unciarum trium aquæ destillatæ. In lagenis minoribus, obturamento vitreo probe muniendis, usui serva.

Paratur etiam solutione hydratis potassæ fusi partium trium in aquæ partibus septem.

Q. Est liquor spissitudinis oleosæ, coloris odorisque expers. Pondus specific. = 1,33. Recens parata cum acidis non effervescit; diutius servata autem adfusis acidis dilutioribus gasis carbonici tantillum emittit, quod usui pharmaceutico haud obstat. Si ex adfusis acidis floccos vel sedimentum gelatinosum deponit, qua silicea inquinata, rejicienda est. Si acido nitrico ad statum neutrum reducatur, et solutione nitratis argenti vel nitratis barytæ turbetur, acidum hydrochloricum vel sulphuricum adesse, manifestum est.

V. Corrodens; cuticulam adurit eamque destruit. Potassæ liquidæ dilutioris: lotium movens; lithontriptica; antacida.

U. Vulnera a cane rabioso aut viperis apte eluuntur Potassa liquida. In lithiasi, acidum uricum producente, exhibentur interne grana 20 ad 40 in jusculo e carne vitulina; carbonates tamen alcalini præferri merentur; injecta etiam fuit a RITTERO in vesicam urinariam solutio, e guttis viginti Potassæ liquidæ et aquæ destillatæ libra, ad + 26° R. tepefacta, matutino tempore, reddito primum lotio.

D. Guttæ decem ad quindecim, ter vel quater in die, cum jusculo carnis, exhibentur adulto.

HYDRAS POTASSÆ FUSUS.

KO + aq.

LAPIS CAUSTICUS; POTASSA FUSA.

Литое водное кали.

Potassa liquida tamdiu in vase ferreo vaporet, donec guttula ejus lapidi frigido instillata, durescat; tum massam igne leniter rubente calefac, ut olei instar fluat, atque tandem in canalem ferreum calentem, oleo olivarum illitum (qui pennæ anserinæ crassitiem habeat) effunde. In vitro bene clauso serva.

Q. Massa est alba, solida, fragilis; pondus specificum = 1,708. Igne leniter rubente funditur, intensius autem candente in vapores causticos abit. Summa aviditate acidum carbonicum et aquam attrahit, hinc aëri expositus liquescit. Centenarius constat ex: potassæ 84; aquæ 16 partibus.

V. Corrodens, partes enim corporis exest, et destruit. Ubi debita aquæ quantitate fuerit solutus, si intus porrigatur, diureticam et lithontripticam exerit vim. Extrinsecus forma balneorum adhibitus, virtute antispasmodica pollet.

U. Internus Lapidis caustici usus, ob corrosivam ejusdem vim, summam exposcit cautelam, semperque

cum mucilaginosis exhibendus est. Brandish in scrofulis utile expertus est hocce remedium; suadet ut drachma Lapidis caustici in uncia aquæ destillatæ solvatur, et hujus solutionis infantibus junioribus initio guttæ duæ cum cochleari theano syrupi althææ, bis in die, tandem et octo guttæ porrigantur. Balnea alcalina magni æstimantur in tetano traumatico, porrecto simul intus opio congrua dosi; hæc parimodo utilia censentur in trismo, eclampsia infantum, et ictero. Sumitur pro balneo adulti uncia dimidia ad duas. Haggenmüller pediluvia e solutione ejusdem cum successu opposuit podagræ, singulo vesperi per semihoram primo, dein vero per horam administrata. Secundum Stütz partes exulceratæ balneo calido, in quo Potassa soluta est, per aliquot momenta fovendæ sunt, quo inertes ulcerum margines lacessiti, sensim meliorescunt, novamque benigni puris secretionem admittunt. In fistulis etiam lacrymalibus, aliisque ulceribus fistulosis adhiberi potest solutio per modum injectionis. Dum Lapis causticus ad aperiendos tumores, vel instituendos fonticulos, in usum ducitur, locus ille prius emplastro fenestrato tegendus est, ne ultra foramen effectus caustici progrediatur.

D. Grani dimidium ad duo, solutionis instar, bis aut ter in die, pro usu interno. Pro injectione granum dimidium, integrum, vel duo, ad aquæ unciam. Pro balneo uncia dimidia ad duas.

CARBONAS POTASSÆ IMPURUS.

Cineres clavellati; Carbonas Potassæ venalis.
Поташъ.

Est massa salina, quæ e lixivio cinerum variarum plantarum evaporationis et calcinationis ope paratur.

Cineres clavellati præter Carbonatem Potassæ varia heterogenea continent, scilicet: sulphatem, phosphatem, et silicatem potassæ; sulphatem sodæ; acidum silicicum et silicatem calcariæ; chloridum potassii et sodii; nec non oxydum ferri et mangani. Quum Cineres clavellati pro quantitate Carbonatis Potassæ puri in pretio sint, sequenti modo mercem æstimare poteris; sumes e. g. unciam Cinerum clavellatorum, quam tribus aquæ unciis solves et per chartam colabis. Sumes præterea acidi nitrici diluti separatim uncias duas, quas, additis guttis aliquot tincturæ heliotropii, rufo indues colore. Unciam unam acidi nitrici diluti satura Carbonate Potassæ puro et sicco, donec liquidum fiat cæruleum et quantitatem adhibitam notabis; alteri unciæ acidi nitrici diluti parvis portionibus adfundes solutionem Cinerum clavellatorum, donec liquidum æquo modo cæruleum fiat. Hinc patet, in solutione Cinerum clavellatorum consumpta eandem Carbonatis Potassæ puri quantitatem contineri, ac illa erat, qua prior acidi nitrici diluti uncia fuerat saturata. Acidum silicicum apparet forma floccorum albi coloris in solutione ad statum neutrum reducta. Vestigia sulphatum et chloridorum innotescunt, si acido nitrico saturetur, et dein solutio nitratis barytæ vel nitratis argenti adfundatur. Cineres clavellati emptitii referunt massam solidam, ex albo cærulescentem, et maculis hinc inde virescentibus, ex admixto mangani oxydo provenientibus, distinctam; hujus indolis Potassa sic dicta Rossica occurrit; quæ autem ex America septentrionali adportatur, quum oxydi ferri et sulphureti potassii miculas habeat aggregatas, in rufum plerumque vergit. Ad parandum Carbonatem Potassæ depuratum in usum pharmaceuticum vertitur.

CARBONAS POTASSÆ.

CO, CO^2.

Subcarbonas Potassæ depuratus; Kali carbonicum.

Углекислое кали.

℞. Cinerum clavellatorum quantum vis.

Hos vasi ferreo probe mundato immitte, pari aquæ frigidæ pondere superfunde, atque spatha ferrea sæpius agitando contere, ut dilabantur. Solutum a non soluto per linteum novum separa, et fluidum limpidum colatum in vase ferreo tamdiu vapora, quoad cuticula salina in superficie manifestabitur; tunc in aliud vas effunde, et per diem aut biduum in loco frigido sepone, ut maxima pars salium heterogeneorum in crystallos coëat. Fluidum denuo in vas ferreum transfunde, et ad cuticulam salinam evapora, iterumque in loco frigido repone. Hoc tamdiu repetes, quoad liquidum pondus specificum = 1,5 adipiscetur, et vestigia salium non amplius adpareant; tum denique lento calore consume, ut siccum maneat sal, quod in vasis bene obturatis, in loco sicco, serva.

Purius obtinetur præparatum ex bitartrate potassæ, si sal hoc in cylindro papyraceo leviter humectato, vel in crucibulo ferreo, comburatur; massa salina hoc modo obtenta aqua destillata elixatur, et liquidum colatum vaporando consumitur.

Purissimum obtinebis Carbonatem Potassæ ex bicarbonate ejusdem crystallisato sequenti modo: bicarbonatem potassæ, in pulverem tritum, in vase porcellaneo, balneo arenæ immisso, calore + 80° R. nonnihil excedente, tamdiu calefac, quoad pondus illius minui cessabit, vel donec tantum $\frac{2}{3}$ adhibiti salis remaneant. Pulverem album, priusquam frigescat, vasi examussim obturando immitte.

Q. Aëri expositus humorem attrahendo liquescit (Oleum tartari per deliquium). Indolem alcalinam manifestat; aqua facillime solvitur; ex solutione spissata in crystallos rhombo-octaëdras concrescit, in quarum centenario 20½ aquæ continentur; igne leniter rubente funditur; alcohole non solvitur. Centenarius salis sicci constat ex: acidi carbonici 31,91; potassæ 68,09. Heterogenea deteguntur uti in potassa liquida.

V. Acorem in primis viis obtundens; lithontriptica; antispasmodica.

U. Multum prodest in colluvie pituitosa, sedibus alvinis virescentibus distincta; in pyrosi, cardialgia, gastrodynia, enterodynia, aphthis, excoriatione etc. Laudatur in lymphaticis glandularum tumoribus, atrophia, scrofulis (præsertim cum amaro-aromaticis) et rachitide (cum cortice cinchonæ). Acidum in uriniferis viis figendo, secretionem lotii auget, eoque adversus stranguriam et ischuriam potest; in urolithiasi laudes tulit, concrementis calculosis obicem ponendo, eaque solvendo. In morbis vasorum absorbentium glandularumque utilitatem promittit miti incitamento, stases systematis lymphatici soluturo. In metastasibus lacteis, impetiginibus et diuturnis exanthematibus proficit, interno externoque usu. In hydrope, præsertim ascite, prodest conjunctus cum gummi ammoniaco et extractis amaris. In spasmodicis affectionibus magni fit, quatenus energiam nervorum, musculis providentium, erigit, et exhibetur suasu Stützii cum opio alternatim; sic in tetano, hystericis nervorum distentionibus, asthmate spasmodico, pertussi, epilepsia, catalepsi, raphania, singultu et aliis similibus, si videlicet scrupuli duo Carbonatis Potassæ, in aquæ unciis duabus soluti, sic sumuntur, ut secunda quaque

hora cochlearia duo alternentur cum grano dimidio opii, sensim aucta dosi, immisso etiam ægroto in balneum lixivii caustici, alvoque per aquam saponatam addito Carbonate Potassæ eluta.

D. In chronicis morbis a duobus ad decem grana; in urolithiasi drachma ejusdem in bilibra aquæ soluta quotidie datur. In spasmodicis adfectionibus grana decem ad scrupulum. Pro externo usu in uncia aquæ scrupulus (vel duo) solvitur. In pulvere, aut pilulis nunquam exhibendus, sed semper solvendus est.

CARBONAS POTASSÆ LIQUIDUS.

Liquor Kali carbonici; Oleum Tartari per deliquium.

Растворъ углекислаго кали.

℞. Carbonatis Potassæ libram,
Aquæ destillatæ bilibram.
Solve et cola. Vel

℞. Carbonatis Potassæ quantum vis.
In loco humido aëri expone, ut sensim deliquescat.

V. et U. Ut præcedentis.

D. In chronicis morbis guttæ decem aut viginti quarta quaque hora exhibentur; in convulsionibus vero secunda quaque hora viginti, vel quadraginta guttæ ex quolibet idoneo liquido porriguntur.

BICARBONAS POTASSÆ.

$KO, 2CO^2 + aq.$

Двухъ-углекислое кали; Кислое углекислое кали.

℞. Carbonatis Potassæ libram,
Sesquicarbonatis Ammoniæ uncias sex,
Aquæ uncias sexdecim.

Carbonatem potassæ vasi amplo immitte, aquam superfunde, et vas balneo aquæ, ad +80° R. calefactæ,

impone; tum sub continua agitatione sesquicarbonatem ammoniæ parvis quantitatibus adde. Liquor per horæ quadrantem adhuc in balneo maneat, ut omnis ammonia avolet; tum calidum per chartam cola, et in locum frigidum sepone, ut crystalli surgant, sub libero aëris accessu exsiccandæ.

Parari quoque potest, si carbonas potassæ in pari aquæ pondere solvatur, et per solutionem gas acidum carbonicum ducatur. Crystalli Bicarbonatis Potassæ partim sub ipsa operatione manifestantur, partim vero eliciuntur illa peracta, liquidum ad + 45° R. vaporando.

Q. Crystalli sunt rhomboëdræ, tabulatæ, pellucidæ, saporis blandi, salini; solvitur in 4 aquæ frigidæ partibus; aëri expositus non mutatur, nec liquescit; tincturam heliotropii non rufat, nec rufatam reducit. Centenarius constat ex: acidi carbonici 44; potassæ 47; aquæ 9 partibus.

V. U. et D. eadem, ac bicarbonatis sodæ.

NITRAS POTASSÆ.

KO, N^2O^5.

Kali nitricum; Nitrum.

Азотнокислое кали; Селитра.

In variis regionibus cæli calidioris solo argillaceo et calcareo inesse solet. Plerumque autem paratur in nitrariis; hunc in finem partes animales, quæ in locis diurna luce privatis putredinem perpessæ sunt, cum substantiis, carbonatem potassæ, calcariæ vel magnesiæ continentibus miscentur, et cumulatim libero aëris accessui per menses et annos exponuntur. Nitrogenium, quod e partibus animalibus putescentibus evolvitur, attracto oxygenio aëris, in acidum nitricum abit, quod admixto carbonati jungitur. Massa terrea tandem

elixatur; lixivium, per cineres communes posthac transmissum, vaporando in crystallos cogitur. Sal hoc modo obtentum *Nitrum crudum* appellatur, et chlorido potassii vel sodii, sulphate sodæ, nitrate magnesiæ, vel carbonate calcariæ inquinatum esse solet; quapropter in usum pharmaceuticum nonnisi depuratum adhibebis, sequenti modo parandum:

℞. Nitratis Potassæ venalis, quantum placet. Solvito in aquæ fervidæ ea quantitate, ut solutio frigida haud ponat crystallos; dein instilla carbonatem potassæ liquidum, quamdiu liquor exinde turbatur. Posito sedimento per chartam cola; leni igne evapora, donec gutta corpori frigido imposita spiculas salinas offerat; tum in loco frigido seponito, ut crystalli surgant, quas bibula siccato. Iterata evaporatione, ut ante, reliquas crystallos de lixivio excutito.

Q. Crystalli sunt prismata hexagona, longa et pellucida, spiculis desinentia, tam pyramidatis, quam obtusis, transversis. Saporis est frigerantis, acris; odoris expers; aëre immutabilis. Igne leniter rubente, ad temperaturam 280° R. funditur, liquidi oleosi speciem referens, quod refrigeratum massam exhibet solidam, impellucidam. Si calore liquefactum guttatim in laminam metallicam effundatur, *Nitrum tabulatum* obtinetur. Igne intensius candente discidium fert; initio largitur oxygenium purum, dein vero nitrogenio junctum; quod remanet nitris potassæ est. Cum carbone et aliis materiis, facile ignem concipientibus, detonat. Centum aquæ partes solvunt: ad 0° R. 13,3 partes Nitratis Potassæ; ad + 15° R. — 30 p.; ad + 36° — 74,6; ad ebullitionem 236 partes. Insociabile est sal hoc chlorido barii, supersulphati aluminæ et potassæ, sulphati magnesiæ, et generatim sulphatibus metallicis, uti et

ipsi acido sulphurico. Centenarius constat ex: acidi nitrici 53,45; potassæ 46,55.

Dum carbonatem potassæ continet, aëri expositus humescit. Chlorido quolibet inquinatus, cum solutione nitratis argenti dat sedimentum album. Vestigia acidi sulphurici deteguntur solutione nitratis barytæ; calcaria revelatur carbonate potassæ.

V. Antiphlogistica; actionem cordis arteriarumque debilitans; lotium movens. Protracto usu, vel nimia dosi, ventriculi energiam frangit, cardialgiam, pectoris oppressionem, vomitiones violentas, interdum cruentas, alvi profluvium, et his pejora excitat.

U. In morbis inflammatoriis acutis, cæteris salibus neutris palmam eripit; hinc magni æstimatur in synocha, pleuritide et pneumonitide, præmissa, si opus est, sanguinis detractione; in febribus quoque catarrhalibus et rheumaticis non est alienus. Febribus exanthematicis opportunum est remedium, ubi ob auctam vasorum sanguiferorum energiam, exanthema difficulter prorumpit; in stadio autem criseos incongruum foret. Adversus hydropem, etiamsi post febres intermittentes exortum, teste Bally, laudatur. In febribus asthenicis grana quindecim Nitratis Potassæ, cum grano vel duobus camphoræ, secunda vel tertia quaque hora porriguntur. Gastritidi, hepatitidi, enteritidi, nephritidi, ob partium adfectarum sensibilitatem, vix convenit. Scorbuto occurrere Beddoës et Patterson opinantur; vix tamen tuto datur, quum sit ventriculo infestus.

D. A granis quinque ad decem, quin imo ad scrupulum, omni bihorio, vel pulverum forma cum saccharo, vel liquido quolibet mucilaginoso solutus datur adulto.

CHLORAS POTASSÆ.

KO, Cl^2O^5.

Hyperoxymurias Potassæ; Kali oxychlorinicum.

Хлорноватокислое кали.

℞. Carbonatis Potassæ partem,
Aquæ communis partes duodecim.

Carbonatem potassæ aqua solutum lagenæ apparatus Woulfeani infundes, et in solutionem gas chlorum tamdiu transmittes, quoad liquidum, valide concussum, chlori odorem exhalabit, vel donec charta heliotropio tincta, in illud immersa pallescet. Solutio hujusmodi, vulgo sub nomine *Eau de Javelle* nota, Hypochloritem seu Oxymuriatem Potassæ (KO, Cl^2O) liquidum constituit; ad siccitatem caloris intensioris ope evaporata, refert massam salinam, quæ præter Chloratem Potassæ, chloridum potassii quoque continet, a quo ut liberetur, iterum solvenda est, et leni vaporatione in crystallos cogenda. Chloras Potassæ lamellarum forma in densata solutione exsurgit, chlorido potassii liquido remanente.

Parvo etiam dispendio sequenti modo illum parabis: Hypochloritis calcariæ partibus decem tantum aquæ adfunde, ut massam pultaceam constituant, quam sub jugi motu igne moderato exsicca, quo hypochloris calcariæ in chloratem calcariæ et chloridum calcii abeat. Massam siccam aqua solve, per chartam cola, et modice vapora. In liquido adhuc calente solve chloridi potassii partem, cola per linteum, et in locum frigidum sepone, ubi elapso nychthemero Chloras Potassæ in crystallos concrescet, quæ, a residuo liquido separatæ, iterata solutione et crystallisatione depurantur.

Q. Crystallos refert coloris albi margaritacei, rhomboëdras et hexagonas, vel laminatas. Pondus specific. = 1,989. In tenebris contritus lucet; aëri expositus haud mutatur; saporis est frigerantis, salini; igne funditur priusquam incandescat. Variis corporibus facile exardescentibus, uti sulphuri, carboni, phosphoro etc. mixtus, ad levissimum contritum ignem concipit, et crepitu vehementissimo detonat; hinc summa cautela cum hisce corporibus tractandus, et pulvis istiusmodi nunquam siccus est triturandus. Centenarius constat ex: acidi chlorici 61,51; potassæ 38,49.

Dum chloridum potassii continet admixtum, solutio ejus cum nitrate argenti dat sedimentum album; si autem a nitrate argenti leviter duntaxat turbetur, usui pharmaceutico idoneus est. Dum incandescit, nonnisi oxygenium purum largiatur, et residuum igni intensissimo expositum, chloridum potassii tantummodo referat, oportet; si vero residuum alcalinum foret, nitrate potassæ sal inquinatum fuisse, deducere licet.

V. Nitrati Potassæ suppar.

U. In morbis inflammatoriis opportunum remedium esse dicitur, quod tamen ulteriori experientia probandum est. In exulceratione gingivarum, ex prægressa salivatione, exhibentur grana quatuor ter in die. In neuralgiis, scilicet: in malo Cotunni et prosopalgia, Knod a Helmenstreitt sal hoc in usum duxit. Nec defuere, qui illud in phthisi administraverint. Ob magnam oxygenii quantitatem, cui evolvendo par est, in cholera morbo experiri forsan meretur.

D. A granis sex ad decem, forma pulveris aut solutionis, ter quaterve in die datur.

SULPHAS POTASSÆ.
KO, SO^3.

Tartarus vitriolatus; Arcanum duplicatum.

Сѣрнокислое кали.

Sal hoc plerumque obtinetur qua productum secundarium ex variis operationibus chemico-pharmaceuticis residuum, e. g. dum nitras potassæ acido sulphurico disjungitur; dum carbonas magnesiæ ex sulphate ejusdem ope carbonatis potassæ paratur; dum acidum aceticum ex acetate potassæ elicitur. Ex qualicunque operatione residuum, si alcalinum est, acido sulphurico corrigitur, si acidum, carbonate potassæ; liquor dein colatur ac vaporatur, et si opus, iterata solutione depuratur.

Si necessitas instet, ex partibus, quibus constat, sequenti modo componi potest:

℞. Acidi sulphurici, sextuplo aquæ pondere diluti, quantum lubet; in amplum vas vitreum infunde, et paulatim carbonatis potassæ, sextuplo aquæ pondere soluti, sufficientem quantitatem ad perfectam acidi saturationem instilla. Finita effervescentia liquorem cola, ad punctum crystallisationis evapora, et in loco frigido sepone, ut sal concrescat.

Q. Crystalli sunt hexaëdro-prismaticæ, aëri expositæ non fatiscentes, intensiori autem igne liquescentes; saporis salini, amaricantis. Teste Brandes 100 aquæ partes solvunt: ad + 10° R. 10 partes; ad + 25° — 14; ad + 30° — 17; ad + 35° — 21; ad + 45° — 22; ad + 60° — 23; ad + 80° — 26. Alcohole non solvitur. Pondus specif. = 1,75. Centenarius constat ex: acidi sulphurici 45,93; potassæ 54,07.

Dum sulphatem magnesiæ admixtum continet, solutio ejus, addito carbonate potassæ, promit sedimen-

tum album (carbonatem magnesiæ); vestigia chloridorum deteguntur solutione sulphatis argenti. Salibus barytæ, calcariæ, plumbi et hydrargyri disjungitur. Si acidum hydrothionicum, vel borussias potassæ ferrosus, metalli cujuslibet vestigia indicarent, usui pharmaceutico ineptus foret.

V. Leniter alvum ducens; resolvens.

U. In alvi segnitie, quæ colluvie pituitosa comitatur, vel solus, vel in conjunctione amarorum, parvis potius dosibus, bis aut ter in die repetitis, exhibetur. In viscerum infarctu, uti etiam in ictero et hydrope, si tali ex causa proveniunt, datur cum extractis resolventibus aut rheo. Ablactantibus etiam feminis suadetur, ad minuendam lactis secretionem; an vero sale hoc metastases lacteæ præcaveri possint, in medio relinquimus.

D. Scopo solvendi a scrupulo dimidio vel integro ad drachmam dimidiam, omni secunda aut tertia hora; hoc in casu forma solutionis præstat. Scopo alvum laxandi drachmæ duæ ad sex, forma pulveris, nimium enim aquæ ad solutionem requiritur.

ACETAS POTASSÆ.

$KO, \bar{A}$.

Terra foliata tartari.

Уксуснокислое кали.

℞. Carbonatis Potassæ quantum vis,
Acidi Acetici, vel deficiente hoc,
Aceti destillati, quantum opus sit ad saturationem.

Carbonatem potassæ parvis quantitatibus in acido solve. Liquorem, qualitate potius acida, quam alcalina præditum, cola, et in balneo arenæ, calore sub finem

lenissimo, ad siccum evapora. Si sal ob impuritates, carbonati potassæ inhærentes, aliquantulum fusco tingatur colore, iterum solvendum, et solutio, addito carbone animali recens parato, ebullitione depuranda est, ex qua dicto modo sal excutiendum. In officinis chemicis paratur ex acetate plumbi crystallisato, et carbonate potassæ.

Acetatis Potassæ partem, duabus aquæ partibus solvendo, ACETAS POTASSÆ LIQUIDUS, seu LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI obtinetur.

Q. Crystalli sunt albæ, tum prismaticæ, tum laminatæ. Aëri expositus liquatur; aqua et alcohole facillime solvitur; saporis est pungentis, salini, haud ingrati. Centenarius constat ex: acidi acetici 52,16 et potassæ 47,84.

An chloridum potassii admixtum habeat, revelatur solutione nitratis argenti; acidi sulphurici et sulphatum vestigia manifestantur solutione acetatis barytæ. Si solutio Acetatis Potassæ acido hydrothionico fucatur, metallo sal inquinatum est.

Insociabilis est Acetas Potassæ omnibus acidis mineralibus, uti etiam salibus, quæ ex hisce acidis composita sunt, nec minus succinatibus et tartratibus; pari quoque modo pulpæ tamarindorum et generatim fructibus acidis.

V. Solvens; leniter diaphoretica ac diuretica.

U. In variis cachexiis, quæ organorum concoctionis inertia, et viscerum abdominalium infarctu comitantur, reliquis salibus mediis præferri solet, quum tunicam mucosam ventriculi et intestinorum, uti etiam glandulas et vasa lymphatica eorundem minus afficiat; hinc in tumore hepatis et lienis, in scirrho pylori, atrophia, febribus intermittentibus et variis hydropibus, im-

primis vero anasarca, usurpari solitum est, haud raro conjunctim cum extracto graminis, taraxaci et rheo.

D. A granis 15 ad drachmam dimidiam vel integram, sæpius in die datur, plerumque forma solutionis; hinc misturis apte drachmæ duæ vel tres adduntur.

TARTRAS POTASSÆ.

KO, $\overline{T}$.

TARTARUS TARTARISATUS.

Виннокислое кали.

℞. Bitartratis Potassæ partem,
Aquæ communis partes quatuor,
Carbonatis Potassæ quantum opus sit.

Bitartratem potassæ immitte aquæ, in vase stanno probe obducto bullienti; liquorem spatha lignea agitando, tantum carbonatis potassæ parvis portionibus adde, quantum ad saturationem requiritur; dein cola et ferme ad syrupi spissitudinem evapora; tandem leni calori expone, ut in crystallos coëat. Sal siccum in vasis probe obturatis serva.

Obtinetur quoque Tartras Potassæ, qua productum secundarium, quum paratur acidum tartaricum.

Q. Crystalli sunt prismata rhomboëdra, pellucida; saporis est blandi salini, amariusculi; aëri expositus humescit, quin tamen liquetur; ad communem temperaturam pari aquæ pondere solvitur. In alcohole ægre solubile est sal hoc. Centenarius constat ex: acidi tartarici 58,48; potassæ 41,52. Heterogenea revelantur uti in bitartrate potassæ.

Insociabilis est Tartras Potassæ: acidis mineralibus et plerisque vegetabilibus; sulphati potassæ, sodæ, et magnesiæ, nec non hydrochlorati ammoniæ.

V. Frigerans; solvens; leniter alvum ducens; diuretica.

U. Ut Sulphatis Potassæ.

D. Scopo solvendi a gr. 15 ad drachmam dimidiam aliquoties in die. Scopo leniter alvum ducendi a drachma ad duas pro dosi, semel, bis aut ter in die; vel etiam uncia unica dosi.

BITARTRAS POTASSÆ.

$KO, \overline{T}^2 + aq.$

CREMOR TARTARI.

Дву-виннокислое кали.

In succo baccarum variarum, præsertim vero vitis viniferæ obvius, ex quo instar crustæ crystallinæ parietibus doliorum, in quibus vina austera adservantur, adhæret, et TARTARUS CRUDUS dicitur, isque albus et ruber. In officinis Montepessulanis *(Montpellier)*, Venetiarum, nec non Herbipoli *(Würtzburg)*, aqua solutus et cum argillis pinguibus, albumine, aut carbonum pulvere coctus, depuratur, et nomine *Crystallorum Tartari*, vel si hæ pulveratæ sint, *Cremoris Tartari*, venum datur.

Q. Crystalli sunt parvæ, albæ, semipellucidæ, in massas irregulares plerumque aggregatæ. Saporis est aciduli, tincturam heliotropii rufat, et aëri expositus non mutatur. Ad + 15° R. pars nonnisi 120 partibus aquæ solvitur; aquæ autem bullientis tantummodo 30 partes requiruntur ad solutionem; alcohole non solvitur. Centenarius constat ex: acidi tartarici 70,28; potassæ 24,96; aquæ 4,76.

Bitartras Potassæ nihil heterogenei continens, si comburatur, nonnisi carbonatem potassæ referat, oportet. Si cupro inquinatus est, crystalli ejus tantillum

virescunt, et solutio eorum ex addito acido hydrothionico dat præcipitatum coloris fusci (bisulphuretum cupri). Ferrum revelatur cyanido ferri et potassii (borussiate potassæ ferroso). In Cremore Tartari venali obveniunt in centenario 2 aut 3 partes tartratis calcariæ, quod usui medico haud multum obstat; si vero nimia tartratis calcariæ quantitate inquinatus suspicetur, calcaria in combusto detectu est facilis. Sulphate potassæ, aut supersulphate aluminæ et potassæ inquinati solutio, ex adfusa solutione acetatis plumbi vel barytæ, sedimentum deponit, in acido nitrico non amplius solubile; simili modo revelatur chloridum quodvis solutione nitratis argenti.

Insociabile est sal hoc acidis mineralibus, alcalibus et terris alcalinis.

V. Frigerans; cathartica; diuretica.

U. In febribus levioribus ad minuendum arteriarum vigorem, multa aqua solutus, addito pauxillo sacchari, potum constituit acidulum, haud ingratum. Tubum intestinorum stimulando, præsentibus sordibus gastricis, in prima periodo febrium gastricarum, uti etiam in alvo adstricta, congrue datur. Frequentissimus est usus Cremoris Tartari cum sulphure et nitrate potassæ in stasibus venæ portarum, quæ hæmorrhoidibus aliisque malis analogis manifestantur. Juvat quoque in hydrope, præsertim in anasarca, post synocham, vel febrem exanthematicam orto, conjunctim cum digitali, scilla, aliisque diureticis, ubi renum functionem intendere e re est.

D. Si solutum, potus instar, exhibere in animo sit, non ultra drachmæ dimidium ad aquæ libram sumendum, quum sal hoc ægre solubile sit. Forma pulveris exhibetur a granis decem ad drachmam dimi-

diam, ter quaterve in die, vel unica dosi drachmæ duæ, aut semuncia datur.

TARTRAS POTASSÆ et SODÆ.

$KO, \bar{T} + NaO, \bar{T} + 10aq.$

TARTARUS NATRONATUS; SAL POLYCHRESTUM SEIGNETTE.

Bitartratem potassæ carbonate sodæ saturando, Tartratem Potassæ et Sodæ obtinebis. Modum procedendi eundem sequere, ac si tartratem potassæ parare velles.

Q. Crystallos refert hexaëdras vel octaëdras, magnas, pellucidas; saporis est blandi, salsi, haud ingrati. Tartari natronati partes 2 solvuntur in partibus 3 aquæ temperatæ; ad $+ 50°$ R. $\frac{1}{3}$ tantummodo sui ponderis aquæ requirit. Calore adaucto in aqua crystallisationis funditur, igne vero intenso discidium fert. Centenarius constat ex: acidi tartarici 44,10; potassæ 15,66; sodæ 10,38; aquæ 29,86. Heterogenea deteguntur uti in bitartrate potassæ.

V. U. et D. ut Tartratis Potassæ.

TARTRAS POTASSÆ et AMMONIÆ.

$KO, \bar{T} + Ak, \bar{T} + 2aq.$

TARTARUS AMMONIATUS.

℞. Bitartratis Potassæ partem,
Aquæ communis partes duas,
Sesquicarbonatis Ammoniæ quantum opus sit.

Bitartratem potassæ pulveratum immitte vasi stanneo, eique aquam adfunde; liquido ad ebullitionem ferme calefacto, haud tamen ebullienti, adde parvis portionibus sesquicarbonatem ammoniæ pulveratum tamdiu, donec nulla amplius effervescentia manifestetur, et liquidum ammoniam leviter redoleat, quod calidum per linteum in vas vitreum aut porcellaneum cola, et in

locum frigidum sepone. Elapsis aliquot diebus crystalli surgent; liquorem a crystallis separatum iterum evapora, donec turbari cœperit, et denuo sepone. Hoc toties repetes, donec crystalli appareant. Crystallos quavis vice collectas, bibula quam citissime exsicca, et in vase probe obturato in loco frigidiusculo serva.

Q. Crystallos refert prismaticas, hexaëdras, inæquales; saporis est frigerantis, pungentis, salsi. Aëri sicco expositus fatiscit, et ammonia, nec non aqua privatur; alcalia fixa ammoniam ex illo evolvunt; acida autem bitartratem potassæ restituunt. Igne dissipatur. Solvitur duabus aquæ frigidæ partibus; calidæ autem parem suo ponderi quantitatem exposcit. Centenarius constat ex: acidi tartarici 61,75; potassæ 21,92; ammoniæ 7,97; aquæ 8,36.

Insociabile est sal hoc omnibus corporibus, quæ tartratem potassæ disjungunt.

V. Medium tenet inter bitartratem potassæ et hydrochloratem ammoniæ, estque solvens et leniter stimulans.

U. Rarius nunc, quam olim in usum medicum ducitur; exhibetur præ cæteris sub initium febrium catarrhalium aut gastricarum.

D. Datur eadem dosi ac præcedentes, plerumque forma solutionis.

TARTARUS BORAXATUS.

$$3KO,\bar{T} + NaO,\bar{T} + 2BO^3\bar{T} + 3aq.$$

℞. Biboratis Sodæ partem,
Bitartratis Potassæ partes tres,
Aquæ fervidæ partes decem.

Biboratem sodæ solve aqua fervida in vase stanno obducto, dein adde bitartratem potassæ; solutione per-

acta liquidum cola et ad siccum evapora. Massa salina in vasis bene obturatis servanda est.

Q. In crystallos non coit; aëri expositus humescit; saporis est aciduli; solvitur in pari aquæ frigidæ pondere. Sal hoc ex triplici tartrate componitur, scilicet: ex 3 atomis tartratis potassæ; 1 atom. tartratis sodæ; et 2 at. tartratis boracici, in quibus acidum boracicum baseos ad instar acido tartarico junctum est. Centenarius constat ex: tartratis potassæ 51,01; tartratis sodæ 14,62; tartratis boracici 30,33; aquæ 4,04.

V. U. et D. ac bitartratis potassæ.

SAPO.

Мыло.

Dum olea pinguia, vel substantiæ adiposæ, cum alcalibus digeruntur, mutuam ineunt conjunctionem, quæ Saponis nomine vulgo nota est. Sub tali processu elainum et steatinum, qua partes proximæ oleum vel substantiam adiposam constituentes, in acida convertuntur, quæ adhibito alcali juncta, salis speciem referunt. Sapones, qui ex soda cum oleo vel sebo coalescunt, duri sunt; qui vero cum potassa parantur, massam gelatinosam exhibent; hujusmodi sunt: *Sapo mollis; Sapo niger* (ex admixto oxydo mangani); *Sapo viridis* (indigo, vel sulphatem cupri continens). *Usuales sunt:* 1) Sapo oleaceus; 2) S. sebaceus.

SAPO OLEACEUS.

SAPO MEDICATUS.

Медицинское мыло.

℞. Sodæ liquidæ (cujus pond. specif. sit ad pond. specif. aquæ $= 4:3$) partes decem,
Olei Olivarum optimi partes viginti et unam.

Oleum, cauta effusione a parenchymate separatum, infunde in vas vitreum, illique parvis portionibus sub continua agitatione sodam liquidam adde, atque totum per aliquot dies in locum ad + 16° R. temperatum sepone, spatha vitrea aut argentea per vices miscendo. Massam, quum mollem spissitudinem adepta fuerit, in capsulas papyraceas vel formas fictiles effunde, et quum solida extiterit, eam exime, atque libero aëris accessui per mensem aut duos expone. Saponem ex toto neutrum esse, dignosces eo, quod cum chlorido hydrargyri contritus, illi cinereum colorem non impertiatur, cum Sapo recens, exuberante alcali, hujusmodi mutationem semper inducat.

Sapo oleaceus paratur magna copia in australioribus Europæ regionibus, scilicet: in Italia, Gallia et Hispania ex residuis olei olivarum et soda liquida; hujusmodi est *Sapo Venetus*, *Hispanicus*, *Alicantinus*. Sapo venalis, plerumque impurus, usui interno minime aptus est.

Q. Massam exhibet albam, quæ, dum recens est, in formas cogi potest, aëri autem tepido exposita, dura fit, semipellucida, et in pulverem facili modo redigitur. Odoris est debilis, peculiaris; saporis ingrati, acriculi. Aqua et alcohole solubilis.

Sapo oleaceus, bonæ notæ, chartæ adpressus, non inducit maculam oleosam, nec est saporis alcalini, caustici; solutio illius a hydrogenio sulphurato non coloratur. Discidium patitur ab acidis, terris alcalinis eorumque salibus, uti etiam a plerisque, fere omnibus, metallorum salibus; huc referenda sunt: alumen, chloridum calcii, sulphas calcariæ et sulphas magnesiæ; præterea: nitras argenti, sulphas cupri biammoniatus, chloridum ferri, chloridum et bichloridum hydrargyri,

acetas plumbi, tartras stibii et potassæ, sulphas zinci, cupri et ferri; insociabilis est parimodo infusis vegetabilium adstringentibus.

V. Lithontriptica; alvum relaxans; extrinsecus: stimulans; rubefaciens.

U. Virtute lithontriptica prodest in lithiasi sabulosa, ubi acidum uricum nimia copia secernitur; scire tamen licet, bicarbonatem sodæ his sub rerum circumstantiis esse præferendum. In obstructionibus viscerum abdominalium, puta: hepatis, lienis, pancreatis, Sapo medicatus cum rheo, gummiresinis, succis spissatis et felle tauri plerumque adhibetur forma pilularum; sic etiam cum polysulphureto stibii, guajaco, aconito aut aliis narcoticis datur in rheumatismo chronico.

Solutio Saponis recte adhibetur in veneficio ex acido quolibet minerali, scilicet: acido sulphurico, nitrico, hydrochlorico. Ad præpediendam autem noxiam vim acidi arsenicosi nullius est utilitatis; parum etiam facit ad obtundendam vim corrodentem bichloridi hydrargyri. Emolumentum, quod hisce in casibus aliquando obtinetur, potius abundæ quantitati aquæ saponatæ, emesin excitanti, quam potentiæ Saponis, tribuendum esse videtur.

Usui externo Sapo sebaceus imprimis aptus est.

D. A granis quinque ad decem, quin imo ad scrupulum, aliquoties in die, datur adulto.

SAPO SEBACEUS.

Sapo domesticus.

Сальное или обыкновенное мыло.

Paratur in officinis saponariis eodem fere modo, ac Sapo oleaceus, ex sebo et soda liquida. Melioris notæ in Rossia est *Sapo Vologdensis.*

V. Si siccus cuti adplicetur, vasa irritat et sensim rubedinem, imo vesiculas producit; forma liquida cutem mollem et laxam reddit.

U. Nonnisi usui externo inservit specie balnei, lotionis, fotus, suppositorii etc. Balnea saponacea adhibentur ad delendas maculas rubras, post exanthemata superstites, uti etiam in fœditatibus cutis, puta: scabie crustosa, herpete etc. Aqua vel potius spiritu vini solutus egregie discutit ecchymoses ex contusione, distorsione etc.; sic etiam tumores frigidos et albos incipientes. Sapo rasus cuti superdatus, stimulum contrarium producendo, juvat in angina, rheumatismo et aliis inflammationibus, non nimis profunde sitis. Ingreditur cataplasmata, linimenta et emplastra, quæ resolvendo vel maturando agunt. In surditate, ex ceruminis adcumulatione, frustulum Saponis meatui auditorio imponitur, vel solutio ejusdem injicitur. In alvo adstricta forma clysteris, vel etiam suppositorii, commune et aptum est remedium.

D. Pro balneo adulti libra ad duas; pro clystere drachmæ duæ vel tres ad libram aquæ tepidæ.

SODA seu NATRUM.

NaO.

Hampz.

Oxydum metalli levis, Sodii seu Natrii, quod variis corporibus junctum in fossilibus, aquis mineralibus et quibusdam plantis obvenit; nec desunt illius vestigia in nonnullis animantium liquidis. *Usualia sunt:* 1) Soda liquida; 2) Carbonas Sodæ impurus (Soda cruda); 3) Carbonas S.; 4) Bicarbonas S.; 5) Nitras S.; 6) Chloridum Sodii; 7) Hypochloris S.; 8) Sulphas S.; 9) Subphosphas S.; 10) Biboras S.

SODA LIQUIDA.

Liquor Natri caustici; Lixivium saponariorum.

Растворъ ѣдкаго натра.

Paratur e carbonate sodæ ope calcariæ causticæ eodem modo, ac potassa liquida, quam videsis.

Q. Pondus specificum, et cæteræ qualitates, cum potassa liquida conveniunt. Differt vero a potassa liquida imprimis eo, quod, quadruplo aquæ pondere diluta, ex abunda acidi tartarici additione, sedimentum ægre solubile nullum offerat.

V. U. et D. ut Potassæ liquidæ.

CARBONAS SODÆ IMPURUS.

Soda cruda.

Сода.

Est massa terreo-salina post combustas calcinatasque plantas, ad littora maris præsertim crescentes, residua. Soda Hispanica (Alicantina), aliis etiam *Barilla* dicta, omnium optima esse censetur, et e Salsola Soda et Salicornia herbacea potissimum educitur. Soda Sicula non minoris est habenda. Quæ vero in Anglia, Franco-Gallia et Hollandia e Fuco vesiculoso et serrato paratur, Soda *Varech* et *Kelp* dicitur, atque ob jodum, quod continet, magni æstimatur. Est autem substantia cinerea, duritiei lapideæ, saporis salsi lixiviosi, quæ aëri exposita non humescit. Quantitas carbonatis alcalini et heterogenea eodem modo disquirenda sunt, ac in carbonate potassæ impuro.

Invenitur etiam Carbonas Sodæ sat purus in Astrachanensis provinciæ desertis, et Setensi districtu, nec minus prope Ischimum, urbem Siberiæ, in variis lacubus æstate exsiccatis; talis vix ac ne vix quidem exotico postponendus est.

CARBONAS SODÆ CRYSTALLISATUS.

$NaO, CO^2 + 10aq.$

Subcarbonas Sodæ depuratus.

Углекислый натръ.

Raro conficitur in officinis pharmaceuticis, quum crystallisatus venum detur. Si vero illum parandi necessitas instet, eodem modo, ac carbonas potassæ, e Soda cruda elicitur. Obtinetur magna copia in officinis chemicis e sulphate sodæ ad methodum, cujus Leblanc inventor dicitur. Sulphatis sodæ sicci et dilapsi partes 20, carbonatis calcariæ 21, et carbonis ligni partes 10 intime miscentur, et igne sensim auctiori funduntur, massam continuo agitando; ubi homogenea exstiterit, refrigeratur, et aqua frigida elixatur, cujus ope carbonas sodæ solutus, a sulphureto calcii et calcaria liberatur. E lixivio Carbonas Sodæ crystallisatione excutitur.

Carbonas Sodæ purissimus est, qui e bicarbonate illius, igni leniter candenti exposito, paratur.

Q. Crystalli sunt variæ, pro quantitate aquæ in illis contentæ; sic dum 10 atomos (= 62,75 part. in centenario) aquæ continet, crystallos exhibet rhombooctaëdras, pellucidas; dum 7 atomos (= 57,4 p. in cent.) — prismata tetragona, rectangularia; dum 5 atomos (= 45,75 p. in cent.) — tabulas tetragonas. Carbonas Sodæ, 10 at. aquæ continens, solvitur in 2 p. aquæ frigidæ, et in pari aquæ bullientis quantitate; funditur in aqua crystallisationis; aëri expositus brevi fatiscit et dilabitur, 50 partes aquæ e centenario emittendo. Sal siccum igne facilius funditur, quam carbonas potassæ. Centenarius salis anhydri constat ex: acidi carbonici 41,43; sodæ 58,57. Centenarius autem Carbona-

tis Sodæ, 10 at. aq. continentis, componitur ex: acidi carbonici 15,80; sodæ 21,45; aquæ 62,75.

Carbonas Sodæ, aqua solutus et acido nitrico saturatus, si ex adfusa solutione nitratis argenti turbetur, chlorido sodii inquinatns est; si vero ex solutione nitratis barytæ promit sedimentum, sulphatem sodæ adesse, manifestum est.

V. U. et D. ut Carbonatis Potassæ.

BICARBONAS SODÆ.

$NaO, 2CO^2 + aq.$

NATRUM BI-CARBONICUM

Двухъ-углекислый натръ.

℞. Carbonatis Sodæ crystallisati partes undecim,
Sesquicarbonatis Ammoniæ partes tres,
Aquæ communis partes viginti octo.

Carbonatem sodæ solve in aquæ partibus viginti duabus, et sesquicarbonatem ammoniæ in sex aquæ partibus. Solutiones in vase porcellaneo aut vitreo misce, vas obtege, et leni calore aquam consume; sal obtentum in vitro obturato serva.

Suadente BERZELIO sic procedes: Carbonatis sodæ crystallisati (10 atomos aquæ continentis) partem cum quatuor partibus carbonatis sodæ sicci, anhydri, intime miscebis, et salia, vasi idoneo immissa, acido carbonico tamdiu saturabis, quoad illud absorberi cessabit. Sal in infundibulo parvis aquæ quantitatibus elue, ut ab adhærente carbonate sodæ liberetur, et sueto aëris tepore sicca.

Q. Laminas constituit tetragonas; plerumque vero massa est crystallina, crustæ speciem exhibens. Aëri sicco expositus non mutatur, in aëre autem humido sensim fatiscit, aquam attrahit, et partem acidi carbo-

nici emittit. Igne rubente atomus acidi carbonici et aqua avolant. Ad communem temperaturam 13 aquæ partibus solvitur; sal solutum aëri expositum non resolvitur, sed calore adaucto pars acidi carbonici avolat, et sesquicarbonas sodæ solutus remanet, qui tamen evaporando in crystallos cogi nequit, quamvis nativus, sub nomine *Trona* et *Urao* notus, inveniatur.

Dum solutioni Bicarbonatis Sodæ solutio bichloridi hydrargyri instillatur, sedimentum album dejiciatur, oportet; si vero sedimentum fuscum, vel fuscorubrum fuerit, id admixtum sesquicarbonatem aut carbonatem sodæ testatur.

V. Peptica; antacida; lithontriptica; diuretica.

U. Ad sedandam nauseam et vomitum, quæ ex ventriculi irritatione proveniunt, remedium est idoneum, præprimis addito acido tartarico (V. Pulv. gas carbon. evolv.). In dyspepsia, ex abusu spirituosorum, propinatur cochleatim mixtura e duabus vel tribus drachmis Bicarbonatis Sodæ, in unciis quinque aquæ menthæ soluti, additis drachmis duabus spiritus sulphurico-ætherei. Languente functione organorum concoctionis, dum alvus fit segnis et lotium parce secernitur (deficientibus aquis mineralibus acidulis), diuturnus Bicarbonatis Sodæ usus salutaris est. Juvat parimodo in hæmorrhoidibus mucosis et obstructione hepatis, quo in casu adcommode jungitur gummi ammoniaco vel assæ fœtidæ, addito rhei tantillo. In hydrope scillæ additamentum non est alienum. Hypochondriasin et melancholiam, uti etiam hysteriam, imprimis dum in phlegmaticis obveniunt, sublevare solet. Lithiasi sabulosæ, si acidum uricum vel uras ammoniæ forma pulveris flavo-rubentis in urina subsideat, summo cum emolumento obponitur; nec minus prodest in lithiasi, quæ phospha-

tem calcariæ, magnesiæ et ammoniæ junctum producit (qui pulverem album insolubilem, ad tubum ferruminatorium in carbone fusilem, constituit). Sunt inter neotericos, qui contendant, efformatum jam calculum in vesica urinaria ex protracto Bicarbonatis Sodæ usu posse sensim sensimque dilabi et solvi; hoc autem ut eveniat, lotium emissum fluidi alcalini indolem habeat, oportet; hinc remedium dosibus pedetentim auctioribus dandum. Quum lithiasis et podagra morbi sint congeneres, in hoc æque, ac illo, Bicarbonas Sodæ utilitatem præstat. Ut autem cura protracto hujus remedii usu ex voto cedat, ægrotis strenue inhibendum, ne epulis lautis indulgeant, quum experimentis a MAGENDIE institutis extra dubitationis aleam positum sit, varia concrementa in urina, imprimis vero acidum uricum et phosphatem calcariæ, ex victu animali, tum copia, tum nimis exquisita qualitate peccante, originem trahere. *Pastilli*, vulgo *d'Arcet* dicti, e Bicarbonatis Sodæ parte, et sacchari partibus novemdecim componuntur.

D. A granis quinque ad drachmam dimidiam, bis aut quater in die.

NITRAS SODÆ.

NaO, N^2O^5.

NITRUM CUBICUM.

Азотнокислый натръ.

Invenitur copiosum in Peruvia et Chili. Si necessitas instet illud parandi, carbonatem sodæ acido nitrico saturando, vel ex nitrate potassæ et chlorido sodii, simul solutis, crystallisatione elicitur.

Q. Crystalli sunt rhomboëdræ, obtusæ, albæ, pellucidæ; saporis est nitrosi, aliquantulum amari; in aëre

sicco non mutatur; solvitur in duplici quantitate aquæ temperatæ, bullientis vero par sibi pondus requirit. Cum corporibus facile exardescentibus (carbone, sulphure, phosphoro) minus vehementer detonat, ac nitras potassæ, flammamque profert læte aurantiacam.

V. U. et D. ac Nitratis Potassæ.

CHLORIDUM SODII.

$NaCl^2$.

Hydrochloras seu Murias Sodæ, Sal culinare.

Хлористый натрій; Поваренная соль.

Magna copia variis in terris provenit. Effoditur in Gallicia, in antiqua salifodina Welitschka, ubi lapicidinarum modo cæditur, et *Sal Gemmæ* vocitatur. E fontibus salinariis in Gubernio Nowgorod, ad civitatem Staraja Russ, fit sal sequenti modo: aqua salsa, ut lenta vaporatione consumatur, tortuosa via super ramalia in ædificio idoneo ducitur, et tandem igne ad siccum vaporatur. Præter Chloridum Sodii aqua dictorum fontium jodi bromique partes continet solutas (Neljubin). Fontes salinarii variis in regionibus arte provocantur, terebræ sic dictæ Artesianæ auxilio, et aquæ hujusmodi, ubi suspicantur, etiamsi ultra centenos pedes in profundo lateant, in apricum proferuntur. In regionibus australioribus aqua maris seclusa calore solis consumitur, et inde sal marinum inarescit. Chloridum Sodii venale haud semper purum est, hinc in usum pharmaceuticum sequenti modo depurandum:

℞. Salis culinaris quantum lubet. Solve in tripla aquæ bullientis quantitate; liquori fervido instilla guttatim solutionem carbonatis sodæ, donec turbari cessabit. Sedimento posito, liquorem per chartam cola, et in vase cupreo, stanno obducto, vapora ad spissi-

tudinem syrupi. Crystallos frigida ablue, et in aëre sicca.

Q. Crystalli sunt cubicæ, rarius octaëdræ, coloris expertes, pellucidæ. Pondus specific. = 2,17; saporis mere salini; aëre non mutatur. Dum prompta vaporatione in crystallos cogitur, in cavas abit crystallos, hinc prunis inspersum crepitat; sal gemmæ crepitationem non manifestat. Igne rubente funditur, candente vero avolat, quin resolvatur. Solvitur in 3 aquæ temperatæ partibus. Acido sulphurico et nitrico discidium fert. Centenarius constat ex: chlori 60; sodii 40 partibus.

Si aëri minus sicco expositum diffluat, chlorido, jodido aut bromido calcii vel magnii id tribuendum; si carbonate sodæ turbetur, calcariam continet; si chlorido barii, sulphatem magnesiæ aut calcariæ; borussiate potassæ ferroso revelatur ferrum, acido autem hydrothionico cuprum. Ad detegenda jodi vestigia sequenti modo procedendum: Chloridum Sodii, in pulverem redactum, amylo aqua soluto addatur, eique paulatim aqua chlori instilletur; dum chlorum caute adfunditur, liquor colore læte cæruleo tingitur, si jodum adsit, qui dein excedente chlori quantitate evanescit.

V. Dosi modica pepticum, tonicum et anthelminthicum; majori emeticum et eccoproticum est remedium; extrinsecus stimulans.

U. Vulgatissimum est edulium condimentum, quo homines, veterina, aliaque animantia domestica, quorum pabulo inspergitur, adversus multivarios morbos, ex labe organorum concoctionis ortum ducentes, muniuntur. Pituitæ generationi obstat, inde virtus ejus anthelminthica; diuturno enim usu vermibus, in tubo intestinorum nidulantibus, exterminandis et necandis egregie inservit. Hirudines incaute deglutitæ solutione

salis culinaris certissime necantur. Cum servandis quoque per annos carnibus et piscibus aptum esse, experiundo quotidie discamus, consectarium esse videbatur, magnam ei inesse vim pronitati in putredinem resistendi: tantum vero abest, ut hanc virtutem exserat, ut potius verisimile sit, crebrum et quotidianum carnis salitæ usum ex præcipuis esse causis scorbuti, classiariis persæpe infesti. Wrightius in initio febrium putridarum utilissimam invenit solutionem ejus in succo citri medicæ, additis aqua qualibet aromatica et saccharo. Britanni in dissipandis scrofulis, cochleari minori per dies exhibito, optatum experti sunt successum. Stimulo quem in ventriculum exserit, nimias humorum adversus alias partes congestiones divertendo, observante Rush, in hæmoptyseos accessu ipso, si cochleare ejus aut alterum ægroto propinetur, adeo prodest, ut deglutito sale sanguis profluere desinat. Ad ducendam alvum clysteri additur uncia dimidia vel integra. Fomenti forma partibus contusis adcommodum est. Solutio Chloridi Sodii lavandæ parti, a culice aut alia musca ictæ, inservit, quo etiam ictus eorum avertuntur. Balnea cum sale culinari succedanea sunt balneis marinis; sumuntur pro balneo adulti decem aut quindecim libræ salis culinaris; fiunt autem vel frigida vel tepida; utilitatem in variis chronicis adfectionibus, puta herpete, scrofulis, rachitide, chlorosi, rheumatalgia, podagra aliisque promittunt. Si solutione salis culinaris vulnera recentia, a cane rabido inflicta, ad cruoris cessationem eluantur, admoto dein ipso sale, eadem brevi curationem recipere, quin hydrophobia manifestetur, quædam experimenta docuere. Sal culinare, decrepitatum, quum humorem attrahat, in hydrocele, struma et id genus aliis, si sacculis inclusum, calefactum,

sæpiusque renovatum parti affectæ superdetur, utile esse dicitur.

D. Qua remedium pepticum, vel tonicum, a granis decem ad drachmam; qua eccoproticum, ab uncia dimidia ad integram, multa aqua dilutum.

HYPOCHLORIS SODÆ.

NaO, Cl^2O.

Oxymurias Sodæ.

Хлористокислый натръ.

℞. Carbonatis Sodæ sicci et pulverati partes novemdecim,
Aquæ communis partem.

Carbonatem sodæ, addita aqua, immitte excipulo, et in illud chlorum coge; ad eliciendum gas hoc:

℞. Chloridi Sodii partes decem,
Binoxydi Mangani partes octo,
Acidi Sulphurici officinalis partes quatuordecim,
Aquæ partibus decem diluti.

Vasa tunc tandem strictius junges, quum maxima aëris atmosphærici pars pulsa fuerit; calorem lenem nonnisi sub finem operationis adhibe, excipulum autem continuo, ut licet, frigidissimum sit. In vasis probe clausis serva. Usitatior tamen est:

Hypochloris Sodæ liquidus. *Liquor decolorans Labarraque.*

Paratur eodem modo, ac hypochloris potassæ liquidus (Videsis Chloratem Potassæ). Conficitur etiam sequenti modo:

℞. Hypochloritis Calcariæ partem,
solve in
Aquæ communis partibus triginta; et

℞. Carbonatis Sodæ crystallisati partes duas,
solve in
Aquæ communis partibus quindecim.

Liquores misce, et posito sedimento per chartam cola. In vasis probe clausis in loco frigidiusculo servandus est.

Q. Chlorum redolet, colores vegetabilium dissipat; fervefactus resolvitur in chloratem sodæ et chloridum sodii; acidum hypochlorosum avolat accedente quolibet acido. Centenarius hypochloritis sodæ sicci constat ex: acidi hypochlorosi 58,13; sodæ 41,87. In libra Liquoris Labarraque sesquidrachma circiter Hypochloritis sodæ continetur.

V. U. et D. ut Hypochloritis Calcariæ.

SULPHAS SODÆ CRYSTALLISATUS.

$NaO, SO^3 + 10aq.$

Sal mirabile Glauberi; Sal Astrachanense.

Сѣрнокислый натръ.

Est plerumque residuus ex variis præparatis; sic dum chloridum sodii acido sulphurico, vel sulphas magnesiæ carbonate sodæ resolvitur; producitur etiam in parando acido boracico ex biborate sodæ, vel in conficiendo hydrochlorate ammoniæ ex sulphate ejusdem ope chloridi sodii. Magna quoque copia educitur ex residuo post crystallisationem salis culinaris ad fontes salinarios. Varii fontes aquarum mineralium illo scatent, sic Cheltenham, Carolobadenses, aliique. Invenitur parimodo in Rossia, ut naturæ productum, præsertim in provincia Astrachanensi; hinc sub vulgari nomine Salis Astrachanensis venum traditur.

Q. Crystalli sunt prismaticæ, tetragonæ vel hexagonæ, saporis frigerantis, salini, amariusculi; aëri sicco

expositus fatiscit et omni aqua crystallisationis orbatur (*Sulphas Sodæ siccus* seu *dilapsus*). Leni calore in aqua crystallisationis liquatur, hac vero amissa, in massam solidam concrescit, igne tandem intensius rubente funditur, quin disjungatur. Centum aquæ partes ad 0° R. solvunt 12 partes Sulphatis Sodæ crystallisati; ad + 20° — 99 p.; ad + 26° — 322 p.; calore magis aucto minor quantitas solvitur; sic ad + 40° tantum 262 p. a 100 aquæ partibus excipiuntur; sal siccum minus solubile fit. Centenarius Sulphatis Sodæ crystallisati constat ex: acidi sulphurici 24,85; sodæ 19,38; aquæ 55,77 partibus.

Heterogenea deteguntur uti in sulphate potassæ. Insociabilis est Sulphas Sodæ salibus barytæ, calcariæ, plumbi ac hydrargyri, et antidotum adversus illa est.

V. U. et D. ut Sulphatis Potassæ.

SUBPHOSPHAS SODÆ.

$2NaO, P^2O^5 + 25aq.$

Sal mirabile perlatum.

Фосфорнокислый натръ.

℞. Solutionis Biphosphatis Calcariæ (Vide Phosphorum) quantum vis, cui Carbonatem Sodæ aqua solutum tamdiu adfundes, quoad nulla effervescentia manifestabitur, et liquor fiet alcalinus; tum cola, sedimentum aqua lava, et liquores commistos evapora, donec gutta crystallos excutiat ad marmor frigidum. Sepone, ut crystalli surgant, et denuo evapora. Ut sal purum habeas, omnes crystallos collectas aqua solve et iterum excutito, quas in aëre siccatas in vase obturando et loco frigidiusculo serva.

Q. Crystalli ejus pellucidæ constituunt prismata rhomboëdra; saporis est salsi, blandioris quam chlo-

ridum sodii. Aëri sicco expositus sensim sensimque fatiscit, et circiter 5 atomis aquæ orbatur; calore lenissimo in aqua crystallisationis funditur, si vero continuus fuerit, illa fere ex toto privatur, quin fusionem aut discidium subeat. Igne incandescente funditur et prorsus aqua privatur; massa residua alba, lactea, margaritacea, *Pyrophosphas Sodæ anhydrus* dicitur. Subphosphas Sodæ solvitur in 4 frigidæ, et 2 bullientis aquæ partibus. Centenarius constat ex: acidi phosphorici 19,89; sodæ 17,43; aquæ 62,68 partibus.

Dum nimium continet carbonatem sodæ, ex adfusis acidis effervescit; dum sulphate sodæ inquinatus est, solutio ejus cum nitrate barytæ dat sedimentum album, in acido nitrico non solvendum.

V. Leniter alvum ducens.

U. Idem, ac Sulphatis Potassæ. Ob saporem acceptum delicatulis magis aptus.

D. Uncia dimidia ad integram, vel duas, spatio nychthemeri.

BIBORAS SODÆ.

$NaO, 2BO^3 + 10aq.$

Borax.

Борнокислый натръ; Бура.

Borax promercalis elicitur e sale nativo, *Tincal* dicto, in India Orientali, Persia Tibetoque, e terris sebosis effosso, vel e lacubus ibidem exempto, quod præparatum in Europam adfertur, et olim Venetiis (unde Boracis Venetæ nomen), nunc vero præcipue in Anglia et apud Batavos Amstelodami peculiari processu ab inquinamentis depuratur. Arte quoque conficitur, acidum boracicum, quod in Australi Italia nativum obvenit, cum soda jungendo. Pro usu pharmaceutico solutione, et crystallisatione purificandus est.

Q. Crystalli sunt prismata hexaëdra, albæ, pellucidæ, aëri expositæ in superficie aliquantulum fatiscentes, saporis dulciculi, alcalini. Solvitur in frigidæ 12 et bullientis aquæ 2 partibus. Ad ignem admodum intumescit, aqua crystallisationis orbatur, et in massam spongiosam convertitur, quæ Borax usta nuncupatur; calore autem intensiori in vitrum pellucidum funditur, quod sal anhydrum refert.

Dum chloridum sodii continet admixtum, prunis inspersus crepitat; vestigia calcariæ deteguntur carbonate potassæ aut sodæ; dum sulphate sodæ inquinatus est, solutio ejus cum nitrate barytæ promit sedimentum album, in acido nitrico non solvendum; admixtum alumen sapore dignoscitur adstringente. Centenarius constat ex: acidi boracici 37,36; sodæ 15,53; aquæ 47,11 partibus.

V. Frigerans; antacida; exsiccans; quibusdam emmenagoga.

U. In aphthis et salivatione modum excedente, efficax esse dicitur usu interno. Laudatur etiam in difficili menstruorum fluxu, si antequam appareant et sub initium eorum exhibeatur. Externo usu commendabilis est in sanandis aphthis, præsertim infantum, aliisque oris interni malis. In variis impetiginibus cum pruritu forma lotionis juvat. Sunt qui adseverent, pruritum et dolores, qui hæmorrhoides cæcas comitantur, injecto clystere e solutione Biboratis Sodæ, addito quolibet mucilaginoso, leniri. In maculis corneæ profligandis, haud secus ac in leviori visus obscuratione, forma collyrii utilis censetur.

D. Grana decem ad triginta, ter quaterve in die, forma pulveris aut solutionis propinantur. Extrinsecus pro linctu drachma ad mellis rosati unciam; pro gar-

garismate semuncia ad libram liquidi; pro lotione eadem vel major quantitas; pro collyrio grana quindecim ad quatuor uncias.

STIBIUM.

Sb.

ANTIMONIUM.

Сурьма.

Metallum purum raro invenitur, plerumque vero mineræ instar, sulphuri junctum. Occurrit in Hungaria, Transilvania, Carinthia, Bohemia, Saxonia, nec non prope urbem Nertschinsk in Siberia. Inter varias methodos, quibus Stibium purum, olim REGULUS ANTIMONII dictum, obtineri potest, sequens reliquis eo præstare videtur, quod metallum a partibus heterogeneis, imprimis vero ab arsenico, quo sæpissime inquinatum esse solet, liberum prodeat: Sesquisulphureti stibii partes sexdecim, bitartratis potassæ sex, intime miscentur, et parvis portionibus in crucibulum candens injiciuntur; deflagratione finita, massa calore adaucto, quam fieri potest citissime, liquatur; sustentata fusione per horæ quadrantem, metallum effunditur, et a scoriis separatur. *Usualia sunt:* 1) Sesquioxydum Stibii; 2) Chloridum St. liquidum; 3) Sesquisulphuretum St.; 4) Polysulphuretum St.; 5) Oxysulphuretum St.; 6) Tartras St. et Potassæ.

Q. Splendore metallico nitet, coloris est albi stannei, compagem exhibet radiatam; crystalli ejus sunt octo-vel rhombo-dodecaëdræ; pondus specific. = 6,8. Metallum est fragile, et in pulverem contundi potest; igne leniter rubente funditur, calore adaucto in aëre libero forma vaporum avolat, et in tenuissimas crystallos, *Flores Antimonii argentei* olim dictas, concrescit. Dum purum est, incarbone flammæ tubi ferruminatorii

expositum, arsenicum non redolet, et absque ullo residuo in vapores abit, albam in carbone maculam relinquens.

SESQUIOXYDUM STIBII.

Sb^2O^3.

Antimonium Oxydatum.

Окись сурьмы.

℞. Stibii metallici puri partes tres,
Acidi Sulphurici concentrati partes septem.

Stibium in tenuem pulverem redactum in patinam porcellaneam immitte, ei acidum superfunde, et tamdiu in balneo arenæ leniter calefacto digere, donec residuum coloris fit ex cinereo-albescentis; sub hac operatione vapores acidi sulphurosi sedulo vitabis. Tum superfunde aquæ fervidæ partes triginta, et cuncta probe mixta sepone; liquidum supernatans effunde, sedimentum autem (Sulphatem Stibii) aqua frigida sæpius renovata ablue. Tale sedimentum digere cum solutione ex:

Carbonatis Sodæ crystallisati partibus tribus, et
Aquæ partibus viginti, quo acidum sulphuricum omne absumatur. Oxydum residuum aqua probe elue, et siccatum usui serva.

Q. Pulvis est cinereo-albescens, insipidus et aqua insolubilis. Parando tartrati stibii et potassæ inservit.

CHLORIDUM STIBII LIQUIDUM.

Butyrum Antimonii.

Хлористая сурьма.

℞. Sesquisulphureti Stibii partem,
Acidi Hydrochlorici concentrati partes quinque.

Sesquisulphureto Stibii, in pulverem tenuissimum redacto, et cucurbitæ vitreæ, quæ collo longo instructa

sit, immisso, parvis portionibus superfunde acidum hydrochloricum et agitata per vices cucurbita calorem initio lenem adhibe, quem serius ad ebullitionem usque augebis, seduloque curabis, ut hydrogenium sulphuratum, sub operatione evolutum, impetu aëris per camini spiraculum auferatur. Solutione peracta cucurbitam per dimidium horæ sepone; quum refrixerit et sedimentum posuerit, liquidum in patinam porcellaneam caute effunde, et accedente perflatu aëris in balneo arenæ tamdiu vaporabis, donec pondus spec. = 1,35. Liquorem in lagenis minoribus, epistomio vitreo munitis, in usum serva.

Q. Liquidum est spissum, coloris flavescentis; adfusa aqua resolvitur, et promit sedimentum, quod olim *Pulvis Algarotti* nuncupabatur.

V. Corrodens; escharam humidam producens, et ulcus impurum, ichorosum relinquens.

U. Nonnisi in usum externum ducebatur olim, nunc raro adhibetur. Löffler vidit polypos, admoto hocce caustico, una cum radicibus destructos. Ophthalmiatri ad corrodendas excrescentias, externas oculi partes obsidentes, Butyro Antimonii uti solent; hæc tamen procedendi ratio prospere non semper succedit, quum ulcera carcinomatosa ex protracto ejusdem usu haud raro enascantur.

D. Extrinsecus admoventur partibus corrodendis, penicilli auxilio, guttæ duæ tresve.

SESQUISULPHURETUM STIBII.

Sb^2S^3.

Antimonium crudum.

Двy - трехъ сѣрнистая сурьма.

Occurrit minerarum forma in variis regionibus, et in officinis metallurgicis a heterogeneis adhærentibus

purificatur. Mineræ immittuntur vasis fictilibus, fundo perforato instructis, quæ aliis vasis, terræ infossis, imponuntur; vasa superiora cooperta, igne circumdantur, quo Sesquisulphuretum funditur et defluit. Sic eductum sub vulgari nomine Antimonii crudi venum datur, et plerumque sulphureta aliorum metallorum continet, puta: sulphuretum ferri, plumbi, cupri, quin imo arsenici; hinc usui medico ineptum est. Sesquisulphuretum Stibii, variis usibus pharmaceuticis adcommodum, arte parandum est, quod sequenti modo fit:

℞. Stibii metallici partes tredecim,
Sulphuris purificati partes quinque.

Stibium et sulphur in tenuem pulverem redacta intime misce, et parvis portionibus in crucibulum ignitum ingere; fusione peracta crucibulum exime. Stibium metallicum, quod cum sulphure conjunctionem non inivit, et inferiori parti adhæret, ictu mallei facile separabis.

Sesquisulphuretum Stibii lævigatum; Antimonium crudum præparatum.

Sesquisulphuretum Stibii arte paratum in mortario ferreo contunde, et pulverem per cribrum pollinarium transmitte, illique tantum aquæ adfunde, ut pultis tenuioris speciem referat, quam super lapidem expolitum et durum tamdiu lævigabis, donec omnem nitorem metallicum amiserit. Pulverem lævigatum immitte vasi amplo cum multa aqua, dein elutriando obtinebis pulverem subtilissimum, quem exsicca, et usui serva.

Q. Nativum interdum exhibet crystallos rhombooctaëdras. Artefactum est massa radiato-crystallina, coloris læte plumbei, splendore metallico prædita, impellucida, fragilis. Pondus specif. = 4,6; saporis est ex-

pers; aqua nonnisi diutius fervente tantillum solvitur. Centenarius constat ex: stibii 72,77; sulphuris 27,23. Si accedente aëre calefiat, stibium et sulphur oxygenium attrahunt; conjunctio hæc olim *Cinis Antimonii* appellabatur. Dum arsenicum continet admixtum, si flammæ tubi ferruminatorii in carbone exponatur, odorem spargit alliaceum. Dum plumbo adulteratum est, si acido hydrochlorico bulliente solvatur, exhibet solutionem limpidam tamdiu, quamdiu tepet, refrigerata autem sedimentum promit album. Dum ferro inquinatum est, si cum nitrate potassæ (2½ partibus) misceatur, peracta detonatione, massam dat flavam; dum mangano, viridem; dum autem purum, massa hæc alba est.

V. Minori dosi in systema lymphaticum agit, functionem cutis, pulmonum et renum lente promovet; majori dosi vomitum vel alvum ciet; prævalente autem acido primarum viarum, etiamsi parva dosi datum, talia symptomata inducit.

U. Variis exanthematibus chronicis, puta: herpeti, tineæ capitis, crustæ lacteæ idoneum remedium, imprimis dum mala hæc tumore glandularum comitantur. In arthrodynia et myodynia rheumatica, quæ chronico invaluere decursu, datur cum guajaco, dulcamara et aconito. In syphilide, ex præmaturo vel incongruo hydrargyri usu depravata, decoctis, e sarsaparilla et cinchona compositis, addi solet (Fels, Pollini).

Inhibetur usus Sesquisulphureti Stibii, ubi alvus ex consuetudine fuerit relaxata, habitu corporis exili, labefactata vi organorum concoctionis, et sublatente diathesi scorbutica.

Sub usu hujus remedii ab acidis et alcalibus, nec non, secundum quosdam, a sale culinari abstinendum est.

D. Pulveris subtilissimi, lævigati, adulto grana decem, gradatim ad scrupulum adscendendo, bis terve in die porriguntur. Decocto libræ unius scrupulus vel drachmæ duæ addi solent.

POLYSULPHURETUM STIBII.

Sb^2S^5.

Sulphur auratum Antimonii.

Дву-пяти-сѣрнистая сурьма.

℞. Sesquisulphureti Stibii lævigati partes undecim,
Carbonatis Sodæ crystallisati partes tredecim,
Sulphuris purificati partem,
Hydratis Calcariæ (Calcariæ causticæ extinctæ) partes quinque,
Aquæ partes viginti.

Hæc cuncta probe mixta immitte vasi obturando, et digere per 24 horas sine calore, sub frequenti agitatione. Sequenti die liquidum supernatans effunde, et residuum aqua sæpius elue. Liquidum cum aqua lotionis commixtum in vase porcellaneo aut ferreo tamdiu vapora, donec gutta illius frigefacta crystallos excutiat; tum liquorem sepone, ut crystalli surgant, quas aqua sæpius ablue. Et

℞. Crystallorum dicto modo obtentarum partem; has solve in:
Aquæ communis partibus duodecim.
Solutioni sensim adde:

Acidum Sulphuricum dilutum tamdiu, donec nullum amplius præcipitatum in illa dejiciatur; hoc aqua frigida super linteum tenue ablue, et ad communem aëris teporem exsicca.

41 *

Q. Pulverem exhibet friabilem, coloris ex rubro-flavescentis intensioris, odore et sapore expertem, aqua et alcohole insolubilem; ammonia autem, soda et potassa liquidis absque residuo solubilem; in acido etiam hydrochlorico, sulphure relicto, solvitur. Centenarius constat ex: sulphuris 38,41; stibii 61,59 partibus.

V. Alterans; resolvens; sudorifica; expectorans; in membranas mucosas viarum aëriferarum et tubi intestinorum imprimis agens; majori dosi, vel ubi acida in primis viis obvia sint, vomitum ciens.

U. In adfectionibus catarrhalibus chronicis summum est artis subsidium, quo in casu haud raro narcoticis sedantibus, videlicet, conio maculato, belladonnæ vel opio jungitur, quibus, dum mucus tenax, copiosus excernitur, hydrochloratis ammoniæ additamentum non est alienum. In ultimo pneumonitidis stadio, fracto jam inflammatorio impetu, cum polygala senega exhiberi solet. Morbi, qui ex atonia membranæ mucosæ laryngis et bronchiorum enascuntur, quo præ cæteris spectat peripneumonia notha, vulgo asthma pituitosum, Polysulphureto Stibii, conjunctim cum gummi ammoniaco, felici sæpissime curantur eventu. Sunt qui contendant, in primo phthiseos stadio, dum illa in scrofulosis obtigerit, remedium hoc cum digitali propinatum morbo sistendo par esse. Laudatur quoque, nec immerito, in pertussi cum conio maculato vel belladonna; hic tamen meminisse juvabit, doses gradatim esse augendas. Ad solvendas viscerum abdominalium obstructiones exhibetur cum assa fœtida, rheo, extracto aloës aquoso, vel similibus; dum vero hydrops e hujusmodi causa enascitur, aptum est scillæ additamentum. Valet quoque in arthrodynia et myodynia rheumatica, guajaco, aconito vel opio junctum. Varii morbi

chronici, cutem obsidentes, illi cedunt; si vero malum nimis inveteratum est, decoctum sarsaparillæ vel infusum dulcamaræ curationem promovet. *Pulveres alterantes* Plumeri, ex Polysulphureti Stibii et chloridi Hydrargyri, utriusque grano constantes, in chronicis cutis adfectionibus, interdum cum camphora, ac variis glandularum infarctibus, utiles sunt.

D. Adultis granum dimidium, ad duo, bis aut ter in die. Infantibus a $\frac{1}{6}$ grani ad granum dimidium vel integrum pro dosi.

OXYSULPHURETUM STIBII.

$$2(Sb^2S^3) + Sb^2O^3.$$

Kermes minerale.

℞. Sesquisulphureti Stibii, in tenuem pulverem redacti, drachmas sex,
Carbonatis Sodæ crystallisati uncias sexdecim,
Aquæ communis libras tredecim cum dimidia.

Carbonatem sodæ in vase ferreo probe mundato aqua solve; liquido ferventi, spatha lignea movendo, adjice sesquisulphuretum stibii. Ebullitione per horam circiter continuata, liquorem ferventem cola in vas, quod aquæ bullienti immersum sit, et omnem curam in id impende, ut quam lentissime frigescat. Pulverem rubeum super linteum densius collige, ibique aqua frigida tamdiu elue, donec aqua lotionis expers saporis sit. Pulverem probe lotum, atque in loco tepidiusculo siccatum, per cribrum pollinarium trajice et in vasis siccis, nec aëri, nec luci accessum concedentibus, serva.

Q. Pulvis est coloris ex rubeo læte fusci, saporis odorisque expers, aqua et alcohole insolubilis; in aqua vero diutius fervente resolvitur. Acidum hydrochlori-

cum, vel tartaricum, oxydum illi absumunt. Centenarius constat ex: sesquisulphureti stibii 69,86; oxydi stibii 30,14 partibus.

V. U. et D. ut præcedentis.

TARTRAS STIBII et POTASSÆ.

$KO,\overline{T} + Sb^2O^3,\overline{T} + 2aq.$

Tartarus emeticus.

Рвотный камень.

℞. Sesquioxydi Stibii partes tres,
Bitartratis Potassæ pulverati partes quatuor.

His, in patinam porcellaneam immissis, tantum aquæ destillatæ adfunde, ut pultis tenuioris speciem exhibeant; tum calore 60° — 70° R. per aliquot horas digere, per vices miscendo, et aquam vaporatione consumptam, adfusa tepida, restituendo. Insequuta solutione adfunde octuplam aquæ quantitatem, et coque per horæ dimidium; tum solutionem fervidam cola. Ex liquore frigefacto crystallos collige, et iterum evapora, ut novæ surgant crystalli; liquidum vero residuum, quod ultro in crystallos cogi nequit, abjice. Crystallos collectas aqua frigida ablue, et in quindecim partibus aquæ destillatæ, temperatæ, solve; solutionem cola, et iterum crystallos elice. Si crystalli, sub finem excussæ, aliquantulum flavescant, repetita solutione depurandæ sunt.

Q. Crystalli sunt rhombo - octaëdræ, pellucidæ, splendentes; aëri expositæ aqua crystallisationis orbantur et friabiles evadunt, quin tamen fatiscant. Saporis est peculiaris, dulciculi, tandem nauseosi, metallici; solvitur in 15 frigidæ et 2 aquæ fervidæ partibus. Centenarius constat ex: potassæ 13,44; sesquioxydi stibii 43,58; acidi tartarici 37,85; aquæ 5,13. Acida mineralia solutionem Tartratis Stibii et Potassæ disjungunt;

acido acetico autem discidium non fert. Carbonates alcalini producunt sedimentum album. Ferrum, splendore metallico nitens, quidquid est stibii absumit.

Cavendum, ne Tartras Stibii et Potassæ cum alcalibus præscribatur. Insociabilis est pari modo omnibus corporibus tanninum continentibus, hinc cinchonæ aliisque; sic etiam salibus alcalinis vel acidis, nec non ipsis acidis mineralibus.

V. Parva dosi, sæpius repetita, tunicæ villosæ ventriculi et tubi intestinorum, nec non hepatis et pancreatis secretionem auget; membranæ mucosæ humescunt, mucus tenax secretionibus serosis solvitur, lotium majori copia generatur, cutis blando sudore madet, quin ulla vasorum exhalantium irritatio præcedat. Similem virtutem exserit in systema lymphaticum et glandulosum, uti etiam in membranas serosas. Dum dosi aliquantulum majori exhibetur, sensus languentis valetudinis in abdomine primo persentiscitur, dein subsequitur nausea, et omnis ciborum appetentia prosternitur. Dosi majori excitat nauseam et vomitum, quem non raro alvus liquida et sudores copiosi comitari solent; porrecta sæpius eadem dosi, nausea et vomitus cessant. Nimia dosi veneni instar agit; rari autem sunt casus, ubi mors ex præpostero hujus salis usu insecuta foret, quum exorto protinus vomitu plerumque rejiciatur; sed si constrictione spasmodica pharyngis retineatur, vel si sæpius rejectum denuo ingeratur, ventriculi et intestinorum inflammationi ansam præbet; dum hæc obveniunt, sequentia observantur symptomata: vomitus tandem cessat, superstite continuo sed irrito vomendi conamine; ægrotus conqueritur de doloribus atrocissimis, lancinantibus in abdomine; alvus fit præter modum frequens et liquida; insequitur summus virium

languor et exinanitio, vertigo, lipothymia, et haud raro atrocissimæ convulsiones, mox futurum præsagientes obitum. Extrinsecus cuti infricatus illam irritat et pustulas profert.

Iis, qui nimiam salis hujus quantitatem assumpsere, remedio principium tanninum continente protinus subveniendum; hinc infusum gallarum, cinchonæ, theæ aut decoctum corticis quercus, larga manu sunt propinanda. Persistente irrito vomendi conatu juvat tinctura opii, parvis dosibus aliquoties repetita; extrinsecus vero fomenta et emplastra aromatica, scrobiculo cordis superimponenda; invalente hypercatharsi, clysmata lactea vel amylacea, nec non balnea tepida.

U. In febribus gastricis, quæ ex nimia copia vel prava qualitate alimentorum enascuntur, sub initium morbi vel solus, dosibus modicis frequentius repetitis, ad excitandum vomitum, vel cum radice ipecacuanhæ propinatur. Si vero febris gastrica initio fuerit neglecta, et lingua animadvertitur sicca, cutis functio suppressa, aliaque insinuantur provecti morbi symptomata; tunc parvis potius dosibus, emesin non excitantibus, vel solus vel cum hydrochlorate ammoniæ, aut tartrate potassæ, aliisque similibus convenit. Dum protracto remediorum solventium usu saburra jam mobilis facta est, et nisus naturæ illam per superiora eliminandi observatur, emesin excitare, porrecta congrua dosi, non erit alienum. In febribus gastrico-biliosis, si hepatitide comitentur, nonnisi præmissis sanguinis detractionibus commendandus. In febribus gastrico-catarrhalibus et rheumaticis datur cum acetate vel tartrate potassæ, aut hydrochlorate ammoniæ, quibus pro re nata tantillum extracti hyoscyami, vel alius lenioris narco-

tici, addere licet. Multifaria constat experientia, febres intermittentes, imprimis illas, quæ ineunte vere grassantur, porrecto ante paroxysmum Tartrate Stibii et Potassæ, excitataque emesi fuisse profligatas. Ast ubi febris intermittens mora invaluerit, refracta dosi cum hydrochlorate ammoniæ et extractis amaris, magis aptum erit hocce remedium. In variolis et morbillis, quin etiam in ipso typho contagioso, ad infringendam contagii vehementiam, scopo emetico sub initium morbi laudatur. Eximia ejus vis similiter elucet in angina membranacea; datur sub initium morbi, non neglecta sanguinis detractione, dosi frequenter repetita, donec emesis insequatur, quo malum sæpe tollitur; evoluto autem morbo, ejiciendæ membranæ spuriæ confert. Ad curandam pneumonitidem, præcipue dum morbus symptomatibus gastricis comitatur, magnæ est efficaciæ, et tum licet omni hora grani dimidium porrigere; dum vero morbi indoles mere inflammatoria est, venæsectio usui Tartari emetici præmittenda. Pleuritidi et febri rheumaticæ, dum morbus gravior est, cum chlorido hydrargyri et opio opponitur. Virtus ejus eminet salutaris in erysipelate faciei, dum ad emesin usque porrigitur. In tussi convulsiva stimulum in gangliis nervorum thoracis deprimendo juvat; hinc conio maculato vel belladonnæ parva dosi jungitur. Magni æstimatur in asthmate convulsivo, dum doses nauseam ac vomitum excitantes, opio et moscho præmittuntur. Morbi, qui ex mentis alienatione proveniunt, scilicet: melancholia et mania, multoties illo curati fuerunt. In asphyxia adultorum, auctore Hufeland, quamprimum deglutitionis facultas restituta fuerit, solutio Tartratis Stibii et Potassæ ad emesin usque porrigenda; in neonatis asphyticis præferri meretur oxymel scillæ cum ipe-

cacuanha. Ubi deglutita venena narcotica per superiora protinus evacuanda sunt, præ cæteris convenit. Dum Tartras Stibii et Potassæ scopo emesin provocandi adhibetur, ægrotus tamdiu abstineat potu, donec vomituritiones insequantur; his autem obvenientibus, vomitus sustentetur infuso chamomillæ vel aqua simplici, tepidis; finita jam prorsus emesi, lenia evacuantia exhibere juvat, ut sordes et bilis, sub ipso vomendi conamine in duodenum pulsæ, per alvum eliminentur.

Inhibetur usus internus Tartari emetici in gastritide, quæ lingua rubra et sicca, siti immodica, doloribus urentibus in ventriculo, et prompta deglutitorum rejectione, a statu sic dicto gastrico probe distinguenda est; obstant pari modo usui ejusdem: alvus diu adstricta, diarrhœa, graviditas, et menstruorum fluxus. Caute porrigendus est ægrotis irritabilibus, ad spasmos et animi deliquia pronis. Dum herniosis propinatur, cavendum, ne sub ipso vomitu hernia procidat et incarceretur.

Extrinsecus in usum ducitur aqua solutus, forma lotionis, ad irritandam cutem. Si drachmam (ad duas) uncia unguenti simplicis misceas, habebis unguentum stibiatum, cujus vis, addita drachma sacchari, multum intenditur; pro re nata emplastrum quodlibet scrupulo aut drachma dimidia conspergitur; adhibetur hisce modis ad eliciendas in cute pustulas in chronicis organorum pectoris adfectionibus, scilicet: in catarrho chronico, bronchitide epidemica (vulgo grippe) et pertussi. Ad revocandas hæmorrhoides suppressas Trousseau suadet suppositoria ex granis 3 aut 4 Tartari emetici et scrupulo butyri cacao composita; subterdato quotidie tali suppositorio, spatio bidui aut tridui, hæmorrhoides revocari posse, contendit.

D. Homini adulto a $\frac{1}{16}$ ad $\frac{1}{8}$ grani partem, omni bihorio datus, initio nauseam interdum movet; sed vomitum raro provocat; a gr. $\frac{1}{2}$ ad granum, simili temporis intervallo porrectus, initio nauseam et vomitum excitat, dein vero alvum relaxat. Scopo emetico exhibetur homini adulto, omni dimidia hora aut frequentius, gr. $\frac{1}{4}$ vel gr. $\frac{1}{2}$ pars, donec vomitus insequatur; vel unica dosi grana 3 aut 4 propinantur. Senioribus, feminis et infantibus minores doses sunt porrigendæ, cui scopo imprimis convenit Vinum Stibiatum, in cujus uncia grana duo Tartratis Stibii et Potassæ continentur.

STRYCHNIA.

$N^2C^{30}H^{32}O^3$.

Стрихнинъ.

Alcali vegetabile, quod anno 1818 a Pelletier et Caventou in faba St. Ignatii et Nuce Vomica, serius vero etiam in aliis vegetabilium partibus detectum fuit. Occurrit Strychnia in hisce seminibus *Acido Igasurico* juncta, eamque aliud alcali *Brucia* seu *Brucina* dictum comitatur. *Usuales sunt:* 1) Strychnia; 2) Nitras Strychniæ.

STRYCHNIA.

Strychninum.

Стрихнинъ.

℞. Strychni Nucis Vomicæ pulveratæ libras duas,
Alcoholis purissimi libras triginta sex,
Acidi Sulphurici diluti,
Magnesiæ,
Ammoniæ liquidæ, singulorum quantum opus sit.

Nucem Vomicam coque per horæ spatium cum duodecim libris alcoholis in retorta, cui excipulum aptatum sit. Liquorem effunde, et residuum cum aliis duo-

decim libris alcoholis (superaddito alcohole e præcedenti coctione obtento) iterum coque, quod tertia adhuc vice repetes. Residuam Nucem Vomicam exprime, et e tincturis simul mixtis alcohol destillatione absume, atque in patina vitrea ad extracti spissitudinem vapora. Extractum tali modo obtentum multa aqua frigida dilue, liquorem cola, et leni calore ad syrupi tenuioris crassitiem consume; tum illi, quamdiu caleat, magnesiam ad saturationem, cuncta simul agitans, paulatim admisce, et sepone per duo nychthemera. Liquorem supernatantem effunde; residuum, linteo involutum exprime, et in alcohole purissimo coque; tincturam obtentam cola, et alcohol destillatione absume. Residuo (post destillationem) parvam quantitatem acidi sulphurici, multa aqua diluti, adde et leni calore digere; sepone per nychthemeron in locum tepidum, ut sulphas strychniæ in crystallos coëat. Sulphati strychniæ, aqua destillata soluto, sufficientem ammoniæ liquidæ quantitatem adfunde, ut Strychnia præcipitetur; hanc denique solve in alcohole purissimo fervente et sepone, ut puræ prodeant crystalli.

Q. Crystalli sunt parvæ, prismata quadrilatera referentes. Odoris expers; saporis perquam amari. Solvitur in 6000 partibus aquæ temperatæ, et in 2500 bullientis. Nonnisi alcohole purissimo bulliente sat insigni copia solvitur; æther minimam quantitatem recipit. Strychnia pura cum acido nitrico diluto præbet solutionem coloris pallidi straminei; si vero cum brucia fuerit commixta, solutio hæc coloris est rubescentis. Centenarius Strychniæ constat ex: nitrogenii 5,96; carbonei 77,21; hydrogenii 6,73; oxygenii 10,10 partibus. Cum acidis salia constituit.

V. et U. idem ac Nucis Vomicæ.

D. A $\frac{1}{12}$ ad $\frac{1}{8}$ grani partem, bis aut ter in die exhibetur adulto.

NITRAS STRYCHNIÆ.

$N^2C^{30}H^{32}O^3 + N^2O^5$.

Азотнокислый Стрихнинъ.

℞. Strychniæ quantum vis,
Acidi Nitrici diluti quantum opus sit.

Strychniam solve in acido nitrico diluto, calorem lenissimum adhibendo; solutionem neutram cola per chartam et evapora, ut crystalli exinde surgant. Levis acidi exuberantia crystallisationem promovet.

Q. Crystalli sunt aciculares, albæ, margaritaceæ; calori expositæ nigrescunt et flammam concipiunt. Dum Nitras Strychniæ brucia seu brucina inquinatus est, plus minus rubescit.

V. et U. ut Nucis Vomicæ.

D. A $\frac{1}{16}$ vel $\frac{1}{12}$ ad $\frac{1}{10}$ grani partem exhibetur adulto.

SUCCINUM.

Янтарь.

Substantia bituminosa, quæ in Rossia ad littora maris Borealis, trans fluvium Meseny, prope promontorium Kanin *(Канинскій носъ)*, haud secus ac infra fluvium Obim et Jeniseum ab incolis colligitur; obvenit etiam ad cataractas Nenasitenses in Ecatherinoslavensi Gubernio. Uberrimus autem ejusdem proventus est ad littora maris Baltici, ubi Borussiam et Pomeraniam alluit. Invenitur etiam in Sicilia, Marylandia et aliis quibusdam in locis. Succinum dicitur fossile, quod e terra excussum est, et S. haustile, quod e mari Baltico, post prægressas tempestates, verriculis legitur.

Usualia sunt: 1) Acidum Succinicum; 2) Oleum Succini purificatum; 3) Succinas Ammoniæ liquidus.

Q. Est substantia solida, arida, fragilis; fracturam refert undulatam; coloris plerumque flavi *(Carabe,* vel *Succinum citrinum),* nunc vero magis in fuscum, modo magis in rubrum vergentis *(Succinum rubrum);* rarius pellucidum est, plerumque semipellucidum, vel subopacum, vel etiam opacum, interdum nubeculosum. Obvenit in frustulis minoribus, planis, extrinsecus asperis, ad margines rotundatis; tornari, cædi, polirique sese sinit; frictione fit electricum; odoris et saporis expers; si in aëre comburatur, gratum diffundit odorem; destillatione sicca acidum et oleum peculiare refert. Teste Berzelio Succinum imprimis constat e bitumine, in quolibet liquido insolubili, e duabus resinis in alcohole et æthere solubilibus, oleo æthereo fragrante et acido succinico.

ACIDUM SUCCINICUM.

$C^4H^4O^3$.

Янтарная кислота.

Succinum in frustula diffractum retortæ vitreæ loricatæ immitte; retortam junge, ope tubi vitrei amplioris intermedii, cum excipulo vitreo, tubum pneumaticum præ se ferente. His ita dispositis, ignem sensim adauctum subdito. Succinum fundetur, inflabitur et spissos vapores emittet. In tubo intermedio et excipulo, forma crystallorum obtinebis Acidum Succinicum, oleo empyreumatico et aqua abundans (olim *Sal Succini volatile* dictum). Crystallos Acidi Succinici, tubo intermedio adhærentes, pluma absterge et collige, priusquam oleo solvantur, serius abunde prodituro. Dum crystalli Acidi Succinici non amplius apparent, exci-

pulum absume, et in ejus locum aliud adpone, atque ignem adhibe intensiorem. Contentum in retorta jam non inflabitur, et magnam obtinebis destillati quantitatem. Excipulum alterum continebit duo strata liquidi, quorum superius est *Oleum Succini empyreumaticum*, inferius vero *Spiritus Succini volatilis;* hæc cauta effusione separa.

Acidum Succinicum ab oleo empyreumatico liberabis debita inter chartam bibulam compressione, et subsequenti sublimatione in lagena vitrea, calore lenissimo.

Q. Crystallos exhibet aciculares, prismaticas, albas, interdum aliquantulum flavescentes; odoris leviter succinei; saporis aciduli; ad aërem non mutatur; igne forma vaporum avolat, quin discidium patiatur. Solvitur in 3 partibus aquæ ferventis, et 25 frigidæ; in alcohole parimodo solubile est, et partem cum dimidia requirit. Centenarius constare dicitur ex: carbonei 48,12; hydrogenii 3,97; oxygenii 47,91.

Dum acido tartarico inquinatum est, addita solutione carbonatis potassæ constituit sal ægre solubile (cremorem tartari); hydrochloras ammoniæ admixtus detegitur solutione nitratis argenti; sulphas potassæ autem revelatur solutione chloridi barii.

In usum tantummodo pharmaceuticum ducitur.

OLEUM SUCCINI PURIFICATUM.

℞. Olei Succini empyreumatici (Videsis Acidum Succinicum) quantum vis. Ex retorta vitrea calore lenissimo quartam tantummodo partem destillando elice.

Q. Coloris est flavi pallescentis, pellucidum; odoris penetrantis; saporis acris, aliquantulum empyreumatici; aëri expositum colorem induit fuscum et spissum fit. Cum acido nitrico coit in massam resinosam,

coloris aurantii, quæ sub nomine *Moschi artificialis* vulgo nota est, atque sequenti modo paratur: pars Olei Succini purificati in patina vitrea miscetur cum tribus partibus acidi nitrici officinalis, ex quo massa incalescit et inflatur; resina coloris aurantii, mollis et ductilis, aqua probe eluitur. Pars hujusce resinæ in octo partibus alcoholis soluta constituit *Tincturam Moschi artificialis*.

V. Incitans; sudorem et urinam potenter movens; menagoga.

U. In variis morbis chronicis, ubi nulla febris symptomata adsunt, ad incitandam cutis et renum functionem, aliquando cum successu adhibitum fuisse fertur; sic in rheumatalgia, hydrope anasarca, et exanthematibus chronicis retropulsis profuisse dicitur. Menagoga virtute convenit feminis leucophlegmaticis, fibra laxa præditis, dum nullus viscerum abdominalium infarctus sublatet. Extrinsecus exserit vires resolventes et anodynas, quapropter in tumoribus frigidis, paralysi et spasmis optimo cum effectu infricatur. Temporibus admotum cephalæam, e causa nervosa ortam, præsertim hystericam, persæpe supra omnem expectationem tollit; adcommodate tum cum oleo nucis myristicæ moschatæ in balsami formam redigitur. Rheumaticos aurium dolores sedare potest, si gossypio exceptum in aures immittatur.

D. Guttæ quinque ad quindecim, forma elæosacchari, vel alcohole aut æthere exceptæ, pro dosi exhibentur adulto.

SUCCINAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

Liquor Cornu Cervi succinatus.

℞. Spiritus Cornu Cervi (Videsis Oleum pyro-animale) quantum vis.

Acidi Succinici quantum opus, ut liquor exinde neuter obtineatur. Cavendum tamen, ne acidum prævaleat. Liquorem colatum, vase probe clauso, in loco obscuro serva.

Q. Coloris est flavescentis; oleum cornu cervi redolet; saporis salini empyreumatici. Ab acidis et alcalibus disjungitur.

V. Leniter excitans; antispasmodica.

U. Variæ nervorum turbæ, quæ spasmis et convulsionibus manifestantur, remedio opportune exhibito, plerumque cedunt; hinc in hysteria, colica et retentione urinæ spasmodicis, nec non in convulsionibus infantum auxilium præstat; hisce in casibus datur aliquando cum narcoticis, ut opio, hyoscyamo, aliisque.

D. Adulto porriguntur guttæ quindecim ad triginta.

SULPHUR.

S.

Сѣра.

Sulphur in plurimis orbis terrarum regionibus, tum nativum, tum aliis corporibus junctum, magna copia occurrit. Nativum invenitur apud nos gypso superstratum, imprimis circa Wolgam et Samaram flumina, in monte sic dicto Sulphureo *(Сѣрная гора)*; ita etiam in monte Ildecanensi in Nertschinsk, haud secus ac in aurifodinis Berezowiensibus prope fluvium (in Siberia) Olutoram; imo circa Caucasum vestigia ejus adparent. Copiosum obvenit in Sicilia ad montem Ætnam, usque ad australem insulæ oram; in Solfataris, et Puzzolani prope Neapolim, atque generatim in toto orbe terrarum in viciniis montium ignivomorum. In conjunctione oxygenii, qua acidum sulphurosum et sulphuricum, alcalibus et terris alcalinis junctum, salia constituit, qui-

bus aquæ minerales scatent. Cum metallis: ferro, cupro, plumbo, hydrargyro aliisque, sulphureta nativa efficit. Sulphur nativum, quod partes terreas admixtas continet, destillatione ac fusione purificatur, et bacillorum forma (Sulphur citrinum) venum datur; quod autem in fundo vasis heterogeneis junctum remanet, in conos efformatur, et Sulphur caballinum dicitur. Sulphur, quod bis repetita destillatione fuerat purificatum, forma pulveris flavi, subtilissimi, inter digitos stridentis, venale est, et Sulphur sublimatum seu Flores sulphuris nuncupatur. *Usualia sunt:* 1) Sulphur purificatum; 2) S. præcipitatum; 3) Acidum Sulphuricum (quod vide inter acida); 4) Gas acidum Hydrosulphuricum; 5) Acidum Hydrosulphuricum liquidum; 6) Hydrosulphas Ammoniæ liquidus; 7) Hydrosulphas Potassæ liquidus; 8) Polysulphuretum Potassii; 9) Sulphuretum Calcii.

Q. Sueto aëris tepore est corpus solidum, aliquantulum pellucidum, coloris læte flavi. Pondus specific. = 1,99. Ad + 87° R. funditur olei ad instar; calore vero intensiori, ad + 160° R., liquidum exhibet spissum, tenax, fuscum, et mole continuo increscit; tandem in massam liquidiorem mutatur. Calore intensiori diutius liquatum, et in aquam frigidam effusum, massam refert mollem, quæ in varias formas fingi potest et in aëre sensim durescit. Ad + 252° R. bullit, in vapores abit, et idoneo apparatu inclusum destillat. Aqua non solvitur; alcohole et æthere parva quantitate. Solubilius est Sulphur in oleis pinguibus et petroleo. (Oleo lini solutum *Balsamum Sulphuris* olim dicebatur.) Oleum terebinthinæ effervescens $\frac{1}{10}$ Sulphuris partem solvit, teste Ure. Sulphur jungitur variis metallis, lucem et calorem proferendo.

Præter inquinamenta uno aspectu dignoscenda, in sulphure interdum arsenicum, perniciosissima omnium labes, continetur; hujus noxii metalli vestigia sequenti

modo disquiruntur: Sulphur, in pulverem subtilem redactum, digeritur cum ammonia liquida; liquori per chartam colato acidum hydrochloricum vel sulphuricum additur. Si Sulphur arsenico inquinatum erat, liquor flavescit, et addito uberius acido, sedimentum promit flavum (sesquisulphuretum arsenici). Arsenici vestigia etiam sequenti modo revelantur: Sulphur pulveratum cum acido hydrochlorico diluto digeritur; in liquorem aqua dilutum et colatum, hydrogenium sulphuratum transmittitur, ex quo, si arsenicum adest, liquidum fit flavum et turbidum (Duflos). Vel etiam: pars Sulphuris, cum quatuor partibus nitratis potassæ mixta, in crucibulo ignito comburitur, et massa salina residua, aqua soluta, ad methodum Marsh exploratur (Vid. Arsenicum).

SULPHUR PURIFICATUM.

Sulphur sublimatum et lotum; Flores Sulphuris loti.

Flores Sulphuris venales aqua tepida tamdiu lavabis, quoad defluens tincturam heliotropii non amplius rufet; tum probe siccatos usui serva. Ingruente necessitate sequenti modo parari potest:

℞ Sulphuris venalis quantum lubet. In vase clauso balneo arenæ sublima; dein multa aqua tepida ablue, ut ab acido sulphurico adhærente prorsus liberetur; tandem sicca et usui serva.

Q. Pulvis est subtilissimus, flavus, inter digitos stridens.

V. Excitans; exhalationem cutis et pulmonum promovens; stases in vena portarum solvens; majori dosi alvum ducens; imprimis vero antipsorica.

U. Stimulo peculiari, quem in tubum intestinorum exserit, prodest in plethora abdominis, alvo adstricta et hæmorrhoidibus plerumque conspicua, et tum apte

datur conjunctim cum bitartrate potassæ et carbonate magnesiæ. In morbis pectoris adynamicis, ut asthmate pituitoso, catarrho chronico aliisque similibus semper fuit celebratum. Vi diaphoretica conducit rheumatismo chronico ac podagræ atonicæ, et tum apte jungitur resinæ guajaci, nec non æthiopi antimoniali. Eximium profert effectum in scabie et aliis affectionibus cutis congeneribus, si intus et extrinsecus simul adhibeatur. Internus usus tum præcipue indicatur, ubi psora vel perfrictione, vel intempestiva inunctione retrogressa est, et organa interiora invasit. Laudatur ad sananda glandulosarum partium ulcera, quæ in infantibus scrofulosis obveniunt, et tum in conjunctione subnitratis hydrargyri ammoniati apte datur. Magni æstimatur Sulphur ad profliganda mala, quæ ex abusu hydrargyri aliorumque metallorum proveniunt.

D. Plerumque forma pulveris, rarius in pilulis, a granis quinque ad quindecim bis aut ter in die datur. Doses majores alvum ducunt.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

Lac Sulphuris.

℞. Polysulphureti Potassii partem,
Aquæ communis partes quadraginta,
Acidi Hydrochlorici diluti quantum opus.

Polysulphuretum potassii aqua solve; liquori colato paulatim adde acidum hydrochloricum tamdiu, donec flavus liquoris color evanescet, et gas hydrogenium sulphuratum evolvi cœperit. Operatio hæc sub dio libero instituenda. Præcipitatum repetitis vicibus aqua elue, dein super filtrum excipe. Probe siccatum usui serva.

Q. Pulvis est subtilissimus, coloris aliquanto pallidioris, quam sulphur sublimatum; inter digitos com-

pressum non stridet. Cæteras qualitates cum sulphure habet communes.

V. U. et D. ut Sulphuris purificati.

GAS ACIDUM HYDROSULPHURICUM.
SH^2.

Gas Acidum Hydrothionicum; Hydrogenium Sulphuratum.

Сѣрнисто-водородная кислота; Сѣрнистый водородъ.

℞. Sulphureti Ferri partem,
Acidi Sulphurici,
Aquæ communis, utriusque quantum opus sit.

Sulphuretum ferri, in frustula comminutum, immitte retortæ tubulatæ, collo curvato instructæ, eique continuo parvis quantitatibus, per infundibulum debito modo aptatum, adfunde acidum sulphuricum, quatuor aquæ partibus dilutum. Gas Acidum Hydrosulphuricum, tempore operationis evolutum, in apparatu hydropneumatico, lagenis vitreis aqua fervente repletis, excipe. Si Gase Acido Hydrosulphurico, ab omni adhærente acido sulphurico immuni, opus sit, illud per aquam, priusquam colligatur, ducendum est.

Si Gas Acidum Hydrosulphuricum parva quantitate, scopo analyseos, extricandum foret, tunc sic procedendum: lagenæ, quæ duarum unciarum aquæ capax censetur, drachma sulphureti ferri in frustula comminuti immittatur, collum obturetur epistomio subereo, perforato; per foramen suberis crus brevius tubi vitrei incurvati, lineam ad maximum in diametro habentis, ducatur. Dum Gase Hydrosulphurico opus est, exempto una cum tubo vitreo subere, tantillum acidi sulphurici, sextuplo aquæ diluti, adfunditur, quo gasis evolutio

subintrat. Ubi gas amplius non erit necessarium, acidum effunditur, et residuum sulphureti, lagena ac tubus aqua eluuntur, et in proximum usum servantur.

Q. Gas Acidum Hydrosulphuricum coloris est expers, redolet sapitque ova putrida, chartam heliotropio tinctam rufat. Pondus specificum = 1,177, si aërem atmosphæricum æqualem uni ponas. Pressione intensissima et frigore in liquidum densari potest, cujus pondus specif. = 0,9. (Faraday). Ardet flamma cæruleo-rubescente in aëre atmosphærico; nec combustioni, nec respirationi alendis aptum est, quin imo aëri atmosphærico admixtum, lethalem producit effectum. Complura oxyda metallica et eorum salia disjunguntur Hydrogenio Sulphurato. Centenarius constat ex: hydrogenii 5,83; sulphuris 94,17 partibus.

V. Si ore inspiretur, vitæ perniciosum fit.

U. In variis operationibus chemico-pharmaceuticis adhibetur.

ACIDUM HYDROSULPHURICUM LIQUIDUM.

Acidum Hydrothionicum liquidum; Aqua Hydrosulphurata.

Растворъ сѣрнисто-водороднаго газа.

Gas acidum hydrosulphuricum dicto modo extrica, et per seriem lagenarum, apparatum Woulfeanum constituentium, transmitte. Lagena prima contineat parvam aquæ quantitatem, ut acidum sulphuricum, quod gase abreptum foret, ibidem retineatur; subsequentes lagenæ aqua destillata sic impleantur, ut quarta cujuslibet pars vacua maneat; vas in apparatu extremum contineat calcariam causticam aqua dilutam (lac calcis), ut, quod superest gasis hydrosulphurici, illa absorbea-

tur. Nihilo tamen minus præstat, operationem hanc in loco suscipere, ubi aër libere permeat, ne noxium saluti gas inspiretur. Aqua hoc modo saturata binas circiter continet gasis acidi hydrosulphurici mensuras. In loco frigidiusculo, vasis probe obturatis, servanda est.

U. Idem, ac præcedentis.

HYDROSULPHAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

Hydrosulphuretum Ammoniæ liquidum.

℞. Ammoniæ liquidæ officinalis quantum vis, eamque divide in duas partes æquales. Partem satura, in apparatu idoneo, gase acido hydrosulphurico, et liquori saturato adfunde alteram ammoniæ liquidæ partem. In vasis minoribus probe clausis serva.

U. Est revelans chemicum.

HYDROSULPHAS POTASSÆ LIQUIDUS.

Solutio Hydrosulphureti Potassii.

℞. Sulphureti Ferri partes duas,
Acidi Hydrochlorici concentrati partes sex,
Hydratis Potassæ fusi partem,
Aquæ destillatæ quantum opus sit.

Gas acidum hydrosulphuricum ex sulphureto ferri ope acidi hydrochlorici extrica et per apparatum Woulfeanum transmitte. Lagena prima contineat pauxillum aquæ ad purificandum gas; lagenæ secundæ immitte hydratem potassæ, quatuor aquæ destillatæ partibus solutum; tertium denique vas aqua repletum sit ad excipiendum superabundans hydrogenium sulphuratum. In vasis minoribus ex toto implendis, et probe obturandis, in loco frigidiusculo serva.

U. Est revelans chemicum.

POLYSULPHURETUM POTASSII.
HEPAR SULPHURIS KALINUM.
Сѣрнистый калій; Сѣрная печень.

℞. Sulphuris purificati,
Carbonatis Potassæ, utriusque pares portiones.

Carbonatem potassæ in tenuem pulverem redige, cum sulphure intime misce, et vasi fictili obtecto immissum, leni calori expone. Quum in massam homogeneam, ex fusco-rubescentem, coiverint, vas ab igne remove, et massam frigefactam, confracto vase, exime. Sulphuretum in frustula comminutum in vasis probe clausis serva.

Q. Coloris est fusco-rubescentis; attracto humore gas acidum hydrosulphuricum leviter redolet; saporis est acris, alcalini, ingrati, sulphurosi. Aëri expositum mox virescit, et diffluit; aqua et alcohole facile solvitur; colores vegetabiles cærulei illo virescunt. Centenarius Polysulphureti Potassii, dicto modo parati, constat circiter ex: quinsulphureti potassii 70; et hyposulphitis potassæ 30 partibus ($2S^5K+S^2O^2,KO$). Omnibus acidis resolvitur, quæ, evolvendo hydrogenium sulphuratum, sulphur dejiciunt.

V. Diaphoretica; expectorans; solvens.

U. Opportunum est remedium in arthritide, rheumatismo et variis affectionibus herpeticis, si diutius, quin ventriculum molestet, sumptum fuerit. Qua remedium morbum leniens, cum conio maculato, in cancere laudatur (TODD THOMSON). In angina membranacea, pertussi, bronchitide et asthmate, chronicis, ancipiti successu tentatum fuit. Infantibus forma electuarii cum melle, vel lacte solutum, exhibetur, et ab illis facilius deglutitur, quam ab adultis, quibus fœtor sulphureti

molestior est. In colica saturnina, laxata prius alvo, et in variis malis, ex abusu hydrargyri pronatis, interno externoque usu celebratur. Forma lotionis, juvat in tinea capitis, quem in finem drachmæ tres Polysulphureti Potassii cum drachma saponis in octo unciis aquæ calcariæ solvuntur, quibus spiritus frumenti rectificati drachmæ duæ adduntur.

D. Forma solutionis, vel potius in pilulis cum sapone, a granis tribus ad decem, ter aut sæpius in die. Pro unguento drachma ad unciam adipis; pro balneo uncia dimidia ad sescunciam.

SULPHURETUM CALCII.

CaS.

HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.

Сѣрнистый кальцій.

℞. Sulphatis Calcariæ usti partes quatuor,
Carbonis lignei partem.

In pulverem tritos intime misce; in crucibulum arctissime pinsito, et juncturam crucibuli cum operculo argilla oblinito. Ignem sensim sensimque auctiorem adhibe, ut vas incandescat, et per horam igne candeat. Crucibulo ab igne remoto et frigefacto, sulphuretum exime, et in vasis probe clausis serva.

Q. Pulvis est albus, aliquanto flavescens vel rubescens; in aëre sicco odoris expers, in humido autem hydrogenium sulphuratum redolet; nonnisi in 500 aquæ partibus solvitur.

V. U. et D. ut præcedentis.

ZINCUM.

Zn.

Цинкъ; Шпіаутеръ.

Metallum hoc vix usquam nativum, sed plerumque oxydatum et minerarum instar cum oxydo mangani et

ferri, sulphure (Pseudogalena), acido carbonico (Calamina), nec non acido silicico (Lapis calaminaris) junctum invenitur. In Rossia occurrit in Nertschinsk, Zmeinogorsk, Kolyvan, aliisque in locis. In variis quoque Europæ regionibus copiosum est. Obtinetur metallum ustulatione minerarum, et subsequenti destillatione sicca, quo sub processu vapores Zinci avolant, et in spiraculis fornacis densantur. Zincum hoc modo in vapores actum, et magis densatum, olim vocabatur *Tutia;* quod vero levius et in remotiore spiraculi parte collectum erat, *Pompholyx,* seu *Nihilum album* dicebatur. *Usualia sunt:* 1) Zincum purificatum; 2) Oxydum Zinci; 3) Oxycarbonas Z.; 4) Subsilicas Z. nativus; 5) Sulphas Z.

Q. Coloris est cæsio-albidi, vel sublividi; splendoris metallici; compages laminarum speciem habet; aëri expositum splendore orbatur; pondus specif. fusi $= 6{,}8$; laminati $= 7$. Sub temperatura frigida, vel calore ad $+ 164°$ R. adaucto, fragile fit, et in pulverem contundi potest; inter $+ 80°$ et $120°$ R. malleis obsequitur et ductile fit, quin imo in filum extendi potest. Ad $+ 290°$ R. antequam incandescat funditur et oxydatur; calore vero intensiori in vapores abit. Zincum Ostindicum seu orientale est optimum. Venale sæpius inquinatum obvenit arsenico, plumbo, stanno, cadmio, cupro et ferro. Perniciosissima omnium labes, arsenicum detegitur, dum aqua Zinco hujusmodi disjungitur, ex quo gas hydrogenium arseniatum generatur (Videsis Acidum Arsenicosum, methodum Marsh). Plumbum innotescit, dum Zincum venale in acido sulphurico diluto solvitur, quo sedimentum album (sulphas plumbi) manet residuum. Dum metallum solvitur in acido nitrico diluto, stannum, si foret admixtum, forma pulveris albi (binoxydum stanni) subsidet. Dum per

solutionem nitratis zinci gas hydrogenium sulphuratum transmittitur, sæpe manifestatur sedimentum flavum; hoc vel sulphuretum cadmii, vel sesquisulphuretum arsenici est; — differunt inter se eo, quod sulphuretum cadmii in ammonia liquida non solvatur, nec volatile sit. Dum in solutione nitratis zinci ex hydrogenio sulphurato oritur sedimentum coloris fusci intensioris, id cuprum, vel plumbum indicat; utrumque reductione in metallum dignoscitur. Dum ex hydrogenio sulphurato præcipitatum nigrescens manifestatur, quod addito acido hydrochlorico solvitur, Zincum oxydo ferri erat inquinatum.

ZINCUM PURIFICATUM.

Zincum venale in crucibulo funde; metallo fuso, quod ope bacilli lignei agitabis, tamdiu adjice frustula sulphuris et sevi, donec scoriæ appareant, quas absume, et metallum effunde.

Dum Zincum ad extricandum hydrogenium adhibetur (imprimis si veneficii causa arsenicum esset eruendum) purissimum sit, oportet; hujusmodi, auctore Brande, sequenti modo obtinetur: Zincum venale optimum solvitur in acido sulphurico diluto; in solutionem immergitur per aliquot horas lamina Zinci, quo facto, solutio colata carbonate potassæ disjungitur. Oxycarbonas zinci præcipitatus, aqua probe lotus, et cum carbone mixtus, ex retorta fictili, collo amplo et brevi instructa, igne intensiori in aquam frigidam destillet.

OXYDUM ZINCI.
ZnO.
Flores Zinci.
Окись цинка.

Zincum purificatum in crucibulo amplo (quod furno reverberii oblique ita impositum sit, ut latus unum ali-

quantulum promineat) igne adaucto funde; metallum flammam concipiet, illaque exardescet lucida, cæruleo-virescente; tum crucibulum obtege alio crucibulo inverso, ut floccos leves et albos, qui in superficie metalli fusi generantur, colligas; hos per vices exime, liberum aëris accessum ad metalli superficiem concedendo. Oxydum hoc modo obtentum per cribrum pollinarium trajice, ut a particulis metalli liberetur.

Parari etiam potest, si oxycarbonas zinci igni leniter rubenti tamdiu exponatur, donec particula exempta cum acidis non effervescit, et pondus illius haud amplius minuitur.

Q. Pulvis est albus, qui calefactus flavescit, dein iterum sensim sensimque albescit; igne intensius rubente in vitrum flavi coloris funditur, intensissimo autem caloris gradu avolat. Odoris et saporis expers est. Aqua non solvitur; in alcalibus causticis autem solubile est. Centenarius constat ex: zinci 80,13; oxygenii 19,87 partibus.

Dum carbonatem zinci continet, cum acidis effervescit. Si calcaria vel carbonate plumbi contaminatum foret, in acido sulphurico ex toto non solveretur. Oxydum Zinci, dum purum est, in ammonia liquida ex toto solvitur. Reliqua heterogenea eodem modo ac in zinco metallico disquirenda sunt.

V. Intus adhibitum, antispasmodicum est; extrinsecus, leniter adstringens et exsiccans.

U. Variæ nervorum turbæ, quæ spasmis et convulsionibus manifestantur, puta: chorea, epilepsia, catalepsis, tussis convulsiva, asthma spasmodicum etc. vel Oxydo Zinci per se, vel in conjunctione volatilium, uti: camphoræ, valerianæ, aliorumque salubriter modi-

ficantur et sæpe prorsus debellantur. In acore ventriculi, dentitione difficili, exanthematibus retropulsis, dum hæc mala spasmis comitantur, Oxydum Zinci utile censetur.

Extrinsecus plerumque forma unguenti superdatur ulceribus laxis, multum puris fundentibus, imprimis dum hæc scrofulosæ sunt indolis; juvat quoque in aphthis aliisque excoriationibus. Ingreditur parimodo varia unguenta ophthalmica, quæ in lippitudine, psorophthalmia, blepharophthalmia glandulosa, et conjunctivitide chronica magni æstimanda sunt. Consueverunt autem ophthalmiatri Oxydum Zinci cum aliis remediis adstringentibus, nec non corrodentibus interdum jungere; hujusmodi est *Unguentum ophthalmicum* Janini, quod componitur ex: Oxydi Zinci, boli armenæ (i. e. silicatis aluminæ ferrosi) utriusque parte, mercurii præcipitati albi parte dimidia et axungiæ partibus quatuor.

D. Porrigitur intus a grano ad quatuor vel sex, bis vel quater in die. Extrinsecus drachma ad duas pro uncia unguenti.

OXYCARBONAS ZINCI.

$3(ZnO, aq.) + 2(ZnO, CO^2)$.

℞. Sulphatis Zinci crystallisati partem,
solve in
Aquæ partibus viginti;

huic solutioni sub continuo jugi motu adfunde aliam solutionem ex:

Carbonatis Sodæ crystallisati parte et
Aquæ partibus decem constantem.

Præcipitatum, initio gelatinosum, tandem vero forma pulveris albi conspicuum, aqua frigida tamdiu ablues, donec nulla acidi sulphurici vestigia manifestabit; dein leni calore exsicca et usui serva.

Q. Pulvis est albus, tenuis, saporis expers et aqua non solubilis. Centenarius ejus constat ex: hydratis oxydi zinci 54,23; carbonatis zinci 45,77 partibus.

V. Extrinsecus exsiccans.

U. Conficiendis variis unguentis inservit.

SUBSILICAS ZINCI NATIVUS.

$2(3ZnO, SiO^3) + 3aq.$

LAPIS CALAMINARIS.

Галмей.

Q. Varia crystallorum forma occurrit, estque albus, tum flavus, tum virescens. Centenarius teste BERZELIO constat ex: oxydi zinci 66,83; acidi silicici 24,89 et aquæ 7,46 partibus; insunt illi præterea vestigia oxydi plumbi et stanni, nec non acidi carbonici. Pro usu pharmaceutico sequenti modo præparetur:

℞. Subsilicatis Zinci nativi quantum placet.

In crucibulo exponito igni, et candefactum extingue in aqua frigida, quod tamdiu repetes, donec massa debitam adepta fuerit fragilitatem; dein siccatam in tenuem contunde pulverem, quem elutriatione in pollinem subtilissimum convertes.

V. et U. Idem, ac præcedentis.

SULPHAS ZINCI CRYSTALLISATUS.

$ZnO, SO^3 + 7aq.$

VITRIOLUM ALBUM.

Сѣрнокислый цинкъ; Бѣлый купоросъ.

Paratur in officinis metallurgicis ustulatione sulphureti zinci nativi; massa inde obtenta, postquam aëri humido diutius exposita effloruerit, elixatur, et vaporando in crystallos cogitur. Hoc modo productus venum datur, et oxydo ferri, mangani, cupri et cadmii

inquinatus esse solet; hinc purificandus est, quod sequenti modo fit:

℞. Sulphatis Zinci venalis quantum vis. Immitte in crucibulum, quod igne leniter rubeat per aliquot temporis momenta, ut sulphas ferri admixtus discidium subeat. Residuum frigefactum solve in duabus aquæ ferventis partibus; solutionem digere cum zinco metallico puro, ut a cæteris metallis liberetur; dein cola, et in crystallos coge.

Præstat Sulphatem Zinci, in usum medicum, sequenti modo parare.

℞. Zinci purificati, in frustula comminuti, partes tredecim,
Acidi Sulphurici officinalis partes viginti,
Aquæ partes centum et viginti.

Zincum in vas vitreum immitte, eique acidum aqua dilutum superfunde, et tamdiu digere, donec omnis effervescentia cesset. Solutionem colatam, et vaporando densatam, in locum frigidum sepone, ut crystalli surgant.

Q. Crystalli referunt prismata tetraëdra, vel hexaëdra, pellucida, quæ in aëre sicco sensim fatiscunt et in pulverem dilabuntur. Calore leniori in aqua crystallisationis funditur, et refrigeratus in massam albam, salinam concrescit; calore autem diutius adhibito omni aqua crystallisationis orbatur *(Sulphas Zinci calcinatus)*. Saporis est ingrati, adstringentis, metallici. Sal crystallisatum solvitur in duabus aquæ temperatæ partibus; ferventis vero minus, quam pondus sibi æquale requirit; in alcohole non solvitur. Centenarius Sulphatis Zinci crystallisati constat ex: oxydi zinci 28,29; acidi sulphurici 28,18; aquæ 43,53.

Solutio Sulphatis Zinci venalis, dum illi aliquot guttulæ solutionis borussiatis potassæ ferrosi instillan-

tur, præcipitatum album manifestet, necesse est; si præcipitatum fuerit cæruleum, ferro inquinatus est. Reliqua heterogenea deteguntur, uti in zinco metallico.

Insociabilis est Sulphas Zinci alcalibus eorumque carbonatibus, infusis vegetabilium adstringentibus, nec non sulphuretis alcalinis.

V. Tonica; antispasmodica; majori dosi emetica; extrinsecus adstringens.

U. Ad minuendas secretiones, modum excedentes, intus aliquando adhibetur; sic in fluore albo, blennorrhœa chronica, diabete, sudoribus profusis, diarrhœa, nec non in hæmorrhagiis chronicis passivis. Prodest in epilepsia, hysteria, chorea, asthmate spasmodico, stenocardia, prosopalgia, et aliis nervorum affectionibus chronicis, interdum cum narcoticis, vel excitantibus volatilibus. Ad ejicienda noxia e ventriculo utile est remedium. Cooper quondam ad eliminandam nimiam opii quantitatem, ad sesquidrachmam Sulphatis Zinci, partitis dosibus, felici cum eventu exhibuit.

Extrinsecus adhibetur gargarismatis forma in aphthis et angina ulcerosa. Solutionis instar admovetur ulceribus atonicis, luxuriantibus, pus tenue, ichorosum fundentibus, nec non scrofulosis et herpeticis. Per modum injectionis juvat in fluore albo et blennorrhœa chronica. Instar pulveris tabaci, naribus adtractus, si cum saccharo misceatur, prodest in ozæna et polypo narium. Componendis etiam collyriis inservit.

D. Scopo tonico et antispasmodico granum dimidium ad integrum, dein grana tria vel quatuor. Scopo emetico grana decem ad scrupulum. Pro gargarismate vel injectione granum vel quinque ad unciam liquidi.

PARS III.

PRÆPARATA

PHARMACEUTICA ET FORMULÆ.

ACETAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

Spiritus Mindereri.

℞. Aceti destillati libras duas cum dimidia,
Sesquicarbonatis Ammoniæ uncias duas.

Aceto in cucurbita vitrea leviter calefacto sesquicarbonatem ammoniæ parvis quantitatibus adde; peracta effervescentia liquorem in vase probe clauso serva.

Si acetum destillatum debitæ qualitatis est, et in centenario illius tres circiter partes acidi acetici anhydri continentur, dicta sesquicarbonatis ammoniæ quantitas ad saturationem sufficit; sin aliter, Acetas Ammoniæ liquidus sic parandus, ut ex unciis duabus sesquicarbonatis ammoniæ unciæ triginta duæ liquoris producantur, qui nec acidæ, nec alcalinæ sit indolis.

Q. Liquidum est coloris et odoris ferme expers; saporis pungentis, salini, ingrati.

Discidium patitur ab alcalibus fixis, et acidis fortioribus, uti etiam ab alumina, magnesia, aqua calcariæ; sic quoque a sulphate magnesiæ, zinci, cupri et ferri; præterea a bichlorido hydrargyri, nitrate argenti, acetate et disacetate plumbi, quapropter conjunctio illius cum enarratis substantiis sedulo vitanda. Inquinamenta deteguntur uti in ammonia liquida.

V. Leniter stimulans; diaphoretica; diuretica.

U. In febribus, præsertim a perfrictione ortis, puta catarrhalibus et rheumaticis aliisque, ægroto calidius cooperto, sudorem movet, quin stimulum majorem addat, frigori autem exposito, diureticam vim exserit.

Extrinsecus, fomenti instar, stagnationes resolvit; haud inepte vaporum forma admovetur testiculis inflammatis et induratis. Collyria et fotus ingreditur.

D. A semuncia ad sescunciam, per se, aut cum aliis propinatur.

ACETUM CAMPHORATUM.

℞. Aceti communis partes undecim,
Spiritus Vini camphorati partem.

Conquassata simul per chartam cola.

ACETUM COLCHICI.

℞. Cormi Colchici recentis concisi unciam,
Aceti communis uncias sedecim,
Spiritus Vini unciam.

Cormum cum aceto immitte vasi vitreo obturando et macera per triduum, dein cola et exprime. Postquam fæces subsederint liquorem limpidum caute effunde, eique spiritum vini adde.

D. Semidrachma ad integram, in blando liquido.

ACETUM SCILLITICUM.

℞. Scillæ recens siccatæ et contusæ uncias duas,
Aceti communis bilibram,
Spiritus Vini uncias tres.

Scillam macera cum aceto, lenissimo calore, per sex dies in vase vitreo clauso; dein exprime et sepone; quum fæces subsederint liquori defæcato spiritum (conservationis causa) adjice.

V. Stimulans; imprimis pituitam et lotium, majori vero dosi, nauseam et vomitum movens.

U. Morbi pulmonum asthenici pituitosi; asthma, hydrops. Externe: gargarisationis causa, aqua dilutum, in tonsillitide a perfrictione laudatur; imo et in auditu difficili, ex eadem causa, usurpatur.

D. A drachma ad semunciam, si vomitiones provocare lubet, ex quavis aqua aromatica.

ADEPS SUILLA PURIFICATA.

℞. Adipis suillæ quantum lubet.

Membranis, venulis fibrisque demptis tamdiu calida abluatur aqua, donec nil amplius cruenti effluat; demum concisa in frusta liquefiat, et coletur per linteum. Eodem modo purificantur: Sevum ovillum et bovillum.

U. Pro parandis variis unguentis, linimentis, emplastris etc. In curatione militum ad omnes pene usus, loco olei expressi Theobromæ Cacao concreti et similium, utiliter adcommodatur.

AQUA AMYGDALARUM AMARARUM.

℞. Amygdalarum amararum libras tres.

Contusis et frigide expressis, ut ab oleo pingui liberentur, sensim affunde terendo:

Aquæ communis frigidæ libras duodecim,
Spiritus Vini rectificati uncias quinque.

Stent in vase clauso per nychthemeron, tunc immittantur in cucurbitam destillatoriam, et leni calore elice libras tres. In lagenis clausis in loco obscuro serva. Vide Acidum Hydrocyanicum medicinale.

D. Guttæ decem ad triginta.

AQUA BICARBONATIS SODÆ.

(Soda Water).

℞. Bicarbonatis Sodæ scrupulum,
Aquæ Acidi Carbonici uncias viginti.

In vase examussim obturato, in loco frigidiusculo serva.

AQUA CREOSOTI.

℞. Creosoti puri partem,
Aquæ communis partes quinquaginta.

Destillando elice partes quadraginta et per chartam cola.

D. Guttæ quinque, decem ad triginta.

AQUA FERROSA FACTITIA:

℞. Sulphatis Ferri drachmam dimidiam,
Sacchari albi sesquidrachmam.

Misce et divide in duodecim partes æquales. S. N° 1.

℞. Bicarbonatis Sodæ drachmam dimidiam,
Sacchari albi sesquidrachmam.

Misce et divide in duodecim partes æquales. S. N° 2. Capiantur ex aqua frigida, ut Pulveres Gas Carbonicum evolventes.

AQUA LAURO-CERASI.

℞. Foliorum recentium Pruni Lauro-Cerasi concisorum libras duas,
Spiritus Vini rectificati uncias tres,
Aquæ communis libras sex.

Destillando elice libras tres aquæ, intercluso luminis accessu, in loco frigidiusculo servandæ. Vestigia acidi hydrocyanici in dictis modo aquis innotescunt sequenti modo: quantitati ad libitum sumptæ aquæ Lauro-Cerasi adfundatur tantillum potassæ liquidæ, dein

solutio sesquichloridi ferri liquidi, et liquor tandem acido hydrochlorico ad statum acidulum reducatur, quo Cæruleum Berolinense dejicitur.

Q. V. et U. Videsis Acidum Hydrocyanicum.

D. Guttæ decem ad triginta. Aquæ amygdalarum amararum sæpius substituitur.

AQUA MENTHÆ PIPERITÆ.

℞. Foliorum Menthæ piperitæ siccatorum libram,
Aquæ communis libras sedecim.

Leniore igne destillando eliciantur libræ decem. Eadem quantitas Aquæ stillatitiæ obtinetur:

Ex Anisi vulgaris seminum selibra;
» Cari Carvi » » » ;
» Chamomillæ vulgaris florum libra;
» Fœniculi vulgaris seminum selibra;
» Lauri Cassiæ corticis libra (per diem macerati);
» » Cinnamomi corticis libra;
» Melissæ foliorum libra;
» Menthæ crispæ foliorum bilibra;
» » Pulegii » » libra;
» Myrti Pimentæ fructuum selibra, per diem maceratorum;
» Petroselini seminum selibra;
» Rosæ centifoliæ petalorum bilibra.

NB. Aquæ e foliis exsiccatis destillent, nisi aliter præscriptum fuerit.

Aquæ ex tempore parabiles.

AQUA ANISI VULGARIS.

℞. Elæosacchari Anisi drachmas duas,
Aquæ communis libram.

Misce terendo et per chartam cola. Eodem modo parantur: Aqua Cari Carvi, Fœniculi vulgaris, Menthæ crispæ, Menthæ piperitæ, aliæque extemporales.

AQUA PHAGEDÆNICA.

℞. Bichloridi Hydrargyri drachmam dimidiam,
solve in
Aquæ Calcariæ libra.

Sit turbida, quiescens præcipitatum e flavo aurantiacum demittat. Pro usu externo servanda.

U. Rhagades, condylomata, verrucas, ope plumaceoli admota, exest; ulceribus syphiliticis adcommoda.

AQUA PICIS.

℞. Picis liquidæ partem,
Aquæ communis partes duodecim.

Commisce et agita per sextam horæ partem, liquoremque cola.

V. Stimulans; diuretica; sudorifera.

U. In sanguinis dyscrasia et dissolutione, scorbuto, ulcere renum aut cystorrhœa mucosa, et febre hectica exinde orta; morbis viscerum abdominalium quandoque opem auxiliumque fert.

D. Unciæ tres et plus, ter in die porriguntur.

BACCÆ COPAIFERÆ FACTITIÆ.

Baccas hujusmodi confecturus, instructus sis, necesse est, pluribus bacillis ferreis, quorum unumquodvis quinque vel sex pollices longum, calamum frumenti crassitie nonnihil excedat, et uno extremo bulbosum sit; bulbus autem formam habeat baccæ lauri, nec eam magnitudine superet. In promptu habeas præterea tabulam e cortice subereo, cui eodem ferro inusta sint loculamenta, baccis excipiendis idonea. Tum

℞. Collæ animalis purioris,
Aquæ communis, utriusque partes pondere æquales.

Collam solve coquendo, et tamdiu consume, quoad gutta exempta cuticulam in superficie offerat. Solutioni calidæ immerge bulbum descripti bacilli ferrei; exempto adhærebit tantillum collæ, quamobrem, ut hæc æqualiter extendatur, bacillum inter digitos primo rotabis, dein erectum infiges tabulæ, ut siccescat; sic cum reliquis procede. Præterlapso decem circiter minutorum spatio cuticula frigefacta baccæ speciem habet, quam bulbo exue et acui capitatæ (tabulæ subereæ infixæ) superpone, ut sicca fiat. Subsequenti die collum baccarum cultro rescinde et Balsamo Copaivæ easdem imple, quod sequenti modo perficies: tubum vitreum, cujus extremum in tubulum tenuem extensum sit, balsamo immerge et sugendo illud adtrahe, dein tubulo in cavitatem immisso balsamum in baccam coge, donec repleta sit. Baccas, in loculamentis una serie dispositas, eadem colla obturabis, guttam orificio baccæ instillando; dein maneant, donec siccæ sint (Lorenz).

Hujusmodi baccæ etiam aliis medicaminibus, gustui minus gratis, aptæ sunt recipiendis.

D. Baccæ quatuor aut sex, bis vel ter in die.

BALNEUM MARIS FACTITIUM.

℞. Chloridi Sodii libras quindecim,
Chloridi Magnii *) libras quinque et unciam dimidiam,

*) Chloridum Magnii sic parabis: Rec. Sulphatis Magnesiæ partes duas, Chloridi Sodii partem; hæc solve in Aquæ fervidæ partibus quatuor cum dimidia, et vaporando consume, donec partes quatuor remaneant; tum sepone in locum ad — 3° R. frigidum. Sulphas sodæ in crystallos abit, Chloridum Magnii autem solutum manet; subsequenti vaporatione sal obtinebis, in vasis probe obturatis servandum.

Chloridi Calcii libram et unciam dimidiam,
Sulphatis Sodæ crystallisati libras quinque et sescunciam,
Bromidi Potassii,
Jodidi Potassii, utriusque grana duo,
Aquæ communis Vedro sexdecim.

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

Oleum Terebinthinæ sulphuratum; Guttæ Harlemenses.

℞. Sulphuris purificati uncias tres,
Olei Terebinthinæ libras tres,
Olei Lini libram.

In vase fictili, intus crustato ac satis amplo, oleum lini calefac et sulphur pulveratum parvis quantitatibus adde, continuo spatha movendo et effervescentiam vitando; sub finem lenissimum calorem adhibe et oleum terebinthinæ admisce.

V. Leniter excitans; sputum et urinam ciens.

U. et D. Nostris temporibus inter medicamina obsoleta referendum; a quibusdam tamen Medicis hucusque in adfectionibus membranæ mucosæ viarum uropoëticarum (cystorrhœa), et in asthmate senum, a guttis quinque ad decem vel quindecim, bis aut ter in die, ex quolibet liquido mucilaginoso porrigitur. Extrinsecus in ulceribus phagedænicis et sphacelosis adhibetur.

BILIS TAURINA SPISSATA.

Fel Tauri inspissatum.

℞. Bilis taurinæ recentis, quantum lubet.

Evaporet in lebete stanneo, in balneo arenæ, vel aquæ, ad solidioris extracti spissitudinem. Sic confecta,

putredini, in quam pronissima est, diutius resistit; nihilo tamen minus non est diu tenenda; in cupreis item vasis parata, quo cupri partem continet, despicatui ducenda.

V. Saponacea; resolvens; leniter roborans; ventriculi acorem infringens.

U. Encomia tulit in acholia (defectu bilis), ejusque inertia, splanchemphraxi, ictero, infirmitate ventriculi, ructibus acidis manifesta, et helminthiasi, quo in casu cum jalapa conjungitur. Extrinsecus addi solet linimentis anthelminthicis, in adfectibus verminosis abdomini illinendis, aut aliis congruis, ad discutiendos tumores scrofulosos. Aqua dilutam Plenckius ad maculas corneæ delendas cum successu admovit. Injectio fellea meatum auditorium purgare fertur (Lentin); plerumque pilulis amaris admiscetur.

D. Semidrachma aliquoties in die porrigitur. Absente febri adcommoda.

CARBONAS FERRI MELLITUS.

℞. Sulphatis Ferri (ex solutione acidula) crystallisati uncias septem,
Carbonatis Sodæ crystallisati uncias octo et drachmas duas,
Mellis despumati libram,
Aquæ communis quantum opus.

Sulphatem ferri solve in aquæ bullientis libris duabus, cui prius unciæ duæ mellis despumati additæ fuerunt. Carbonatem sodæ cum eadem mellis quantitate in totidem libris aquæ bullientis seorsim solve. Solutiones per chartam colatas, et adhuc calentes, infunde lagenæ illico obturandæ. Sedimentum, dum ex toto positum est et exiguæ molis apparet, effuso liquore su-

pernatante, repetitis vicibus elues aqua mellita; ad eluendam autem talem sedimenti quantitatem libræ quatuor aquæ, cum totidem unciis mellis despumati sufficient.

His factis, sedimentum, linteo spisso exceptum, nulla data mora exprime, et in patina porcellanea, insimul cum unciis quatuor mellis despumati (ad syrupi melassis spissitudinem prius evaporati) balnei aquosi ope, in extracti densioris speciem redige, atque in vasis minoribus, probe clausis, usui serva (Vallet).

Tertia pars hujusce præparati carbonas ferri est; hinc si pilulæ exinde fiant granorum trium (carbonate magnesiæ conspergendæ et in vasculis clausis dispensandæ) quævis earum granum carbonatis ferri circiter continebit.

V. et U. ut Ferri generatim.

D. Grana quatuor, ad viginti usque, bis aut ter in die, exhibentur adulto.

CATAPLASMA ACETATUM.

℞ Pulveris pro cataplasmate quantum vis,
Aceti communis quantum satis,

ut fiat cataplasma, sæpius frigide superdandum, et ubi siccescat calefiatque renovandum, vel potius aceto frigido tempestive humectandum. Eodem modo paretur Cataplasma Saturninum, eo discrimine, ut priori acetum, posteriori vero solutio disacetatis plumbi insit. Ultimum pro scopo, qui intenditur, tepidum vel frigidum superdatur.

CATAPLASMA ALUMINATUM.

℞ Albumina ovorum duorum,
Supersulphatis Aluminæ et Potassæ pulverati grana decem.

Fortiter simul agitentur, ut in coagulum densentur.

U. In ophthalmia asthenica, et pernione adhibetur.

CATAPLASMA BELLADONNÆ.

℞. Pulveris pro cataplasmate uncias tres.

Coque cum sufficienti quantitate lactis recentis ad aptam crassitudinem, immiscendo denique:

Pulveris foliorum Belladonnæ drachmas duas.

U. In pertinaciore ophthalmitide, et capitis exinde dolore, oculis admovendum; sic et ophthalmiæ purulentæ subsidio venit.

CATAPLASMA CARBONIS LIGNEI.

℞. Carbonis lignei recentissime usti, et in subtilissimum pulverem triti,

Pulveris pro cataplasmate, utriusque partes æquales.

Aquæ bullientis quod satis sit, ut cataplasma solito tenuius fiat, cui interdum Olei Terebinthinæ semuncia, vel uncia additur.

U. Ulceribus putescentibus, gangrænæ ac sphacelo hoc cataplasma, vel emolliens, vel aliud, e speciebus aromaticis factum, carbone ligneo respersum, et oleo terebinthinæ humectatum superdetur.

CATAPLASMA CAROTÆ.

℞. Carotæ recentis rasæ, quantum opus sit, ut parti corporis admoveatur; vel ejusdem, in sufficiente aqua coctæ, donec mollescat, quantum vis; in pulpam contunde.

U. Parti corporis nudæ admovendum. In curatione ulcerum putescentium, cacoëtheorum, canceraticorum, herpetum, perutile. Psoriasis etiam scroti et genitalium eidem cessisse fertur.

CATAPLASMA CAROTÆ COMPOSITUM.

℞. Cataplasmatis Carotæ libram,
Conii pulverati unciam,
Opii » » grana decem.

Misce, ut fiat cataplasma.

U. Ad fœtorem doloremque carcinomatis mitigandum efficax.

CATAPLASMA CHLORIDI SODII.

℞. Pulveris pro cataplasmate quantum vis,
Aquæ Chlorido Sodii saturatæ quantum satis, ut fiat cataplasma.

U. In glandulis submaxillaribus præter solitum tumidis, sine dolore, et cuti concoloribus, variisque tumoribus scrofulosis utile.

CATAPLASMA EMOLLIENS.

℞. Pulveris pro cataplasmate quantum vis,
Aquæ bullientis quantum satis, ut fiat cataplasma.

U. Parti, cui superdandum est cataplasma, adeps suilla, vel oleum prius illinatur. Furunculis, et aliis tumoribus inflammatoriis, vel vulneribus, ubi suppurationis movendæ necessitas incidit, peridoneum.

CATAPLASMA FERMENTI.

℞. Pulveris pro cataplasmate quantum vis,
Fermenti Cerevisiæ quantum satis.

Commisce atque leni calori, quoad tumescat, expone; illico superdandum.

U. Hoc cataplasma fermentans in ulceribus putescentibus, gangræna, sphacelo et similibus utilitatem promittit.

CATAPLASMA MATURANS.

℞. Pulveris pro cataplasmate partes duas,
Saponis picei,
Mellis,
Cepæ (bulbi) coctæ, donec mollescat, et in pulpam contusæ, singulorum partem.

Misce, addito, si opus, aquæ ferventis tantillo, aut calore leni adhibito, ut cataplasmatis crassitudinem adipiscatur.

U. Tepidum si superdetur furunculis, ægre abscedentibus, leniter stimulando proficit; bubonibus etiam valde convenit, ut gangræna præcaveatur; et, si bubo resolvi nequeat, suppurationem faustam promovet, et eodem rupto ulceri consolidando suppetias affert.

CATAPLASMA NARCOTICUM.

℞. Pulveris pro cataplasmate libram,
» » Conii,
» » Hyoscyami, utriusque sescunciam,
» » Hydrochloratis Ammoniæ semunciam,
Aquæ ferventis quod satis sit, ut fiat cataplasma.

U. Tumoribus articulorum, ulceribus cancrosis, scirrhomatibus præternaturali irritabilitate notatis, et quibusdam gangrænæ casibus adcommodum.

CATAPLASMA SINAPIS.

℞. Pulveris pro cataplasmate,
» » Sinapis, utriusque quantum vis.

Aceti communis fervefacti quantum sufficit, ut cataplasmatis mediæ consistentiæ crassitudo sit. Cataplasma hoc acrius fit addendo:

Armoraciæ recentis contusæ uncias duas,
Capsici annui drachmam,
Allii sativi tantundem.

V. Excitans topicum; rubefaciens; derivans.

U. Vitia asthenica, ex consueto sudore locali suppresso, aut exanthematibus retropulsis provenientia; paralysis, cephalalgia, typhus, apoplexia, stupor, coma (cum vel sine febre), delirium febrile cum congestione sanguinis ad caput, — omnibus istiusmodi malis utilitatem pollicetur hoc cataplasma, interioribus cruribus, brachiis, femoribus, aut nuchæ admotum, prout res postulat.

CERATUM ACETATIS PLUMBI.

Ceratum Saturni.

℞. Acetatis Plumbi crystallisati drachmas duas,
Ceræ flavæ uncias duas,
Olei olivarum uncias octo.

Ceram in olei unciis septem liqua, tum his acetatem plumbi, cum reliquo oleo separatim contritum, paulatim adde, et spatha move, donec coiverint.

CERATUM SABINÆ.

℞. Cacuminum Sabinæ siccatorum et contusorum libram,
Ceræ flavæ selibram,
Adipis suillæ purificatæ libras duas.

Adipi et ceræ simul liquefactis sabinam immisce, tum per linteum exprime.

U. Amoto lyttæ emplastro, ad sustentandos fonticulos magnæ efficaciæ est, præsertim autem in morbis articulationum.

CERATUM SIMPLEX.

℞. Olei Olivarum partes duas,
Ceræ flavæ partem et semis.

Fiat ceratum.

U. Hoc et similia idonea sunt, ubi emollire expedit, vel ab aëre partes arcere.

Scire licet, in parandis componendisque ceratis, emplastris, linimentis et unguentis pinguia atque resinosa leniori igne liquefacienda esse, aridis, si quæ præsto sunt, sub jugi motu simul inspersis, in pertenuem prius redactis pulverem, quoadusque frigescens riguerit mixtum.

CERATUM SUBSILICATIS ZINCI.

Ceratum e Lapide Calaminari.

℞. Adipis suillæ purificatæ libram,
Ceræ flavæ,
Subsilicatis Zinci nativi pulverati, utriusque selibram.

Ceram et adipem simul liquefac, dein ab igne remove; ut primum lentescant, subsilicatem zinci immisce, assidue movendo, donec refrixerint.

V. Exsiccans.

U. Ulcusculis et pustulis, cutis excoriationibus superficialibus, ad contrahendas cicatrices aptum.

CEREVISIA ANTISCORBUTICA.

℞. Racidis Cochleariæ Armoraciæ rasæ libras quatuor,
» » Acori Calami contusæ libram,
» » Zingiberis » » unciam,
Baccarum Juniperi contusarum libras tres,
Turionum Pini silvestris contusorum libram,
Syrupi melassis libras sex,
Cerevisiæ tenuis libras centum et viginti.

Stent leni digestione per quatriduum, ut fiat fermentatio, cola et solve:

Tartratis Potassæ selibram; adde:
Tincturæ Sinapis (uncia seminum ad libram Spiritus vini) libras quinque.

Deficiente cerevisia tenui, infusum ex duodecim libris malti hordei cum centum et viginti libris aquæ communis paratum, vices supplet.

D. Libra ad duas in die. Purpura hæmorrhagica et p. classiariorum militum, seu proprie purpura sthenica et asthenica, nuper apud Medicos receptæ, eidem cedunt.

CEROMEL.

℞. Ceræ flavæ partem,
Mellis partes quatuor.

Leni igne liquefacta commisceto.

U. Ut leniter excitans ad tegenda et consolidanda ulcera, astheniæ notas ferentia, aliisque, cum emplastris, tum unguentis substitui potest.

CITRAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

℞. Sesquicarbonatis Ammoniæ unciam,
Succi Citri, recens expressi, uncias quatuordecim.

Sesquicarbonatem ammoniæ succo citri, in vase vitreo ampliore contento, parvis quantitatibus adde; finita effervescentia liquorem in vase probe clauso serva.

V. U. et D. ut Acetatis Ammoniæ liquidi.

CLYSTER ALOËS.

℞. Aloës scrupulos duos,
Camphoræ,
Carbonatis Potassæ, utriusque grana decem,
Olei Olivarum unciam.

Simul sedulo tritis paulatim immisce:
Infusi Chamomillæ tepidi uncias novem, ut fiat clyster.

V. Excitans; cathartica; emmenagoga; anthelminthica.

U. Alvus adstricta, amenorrhœa comitata; vermes intestinum rectum infestantes, subterdato hocce clystere, enecantur.

CLYSTER AMYLI.

℞. Amyli semunciam, solve in
Aquæ ferventis selibra.

Per se adhibetur. Si vero opus fuerit, adde:
Tincturæ Opii drachmam dimidiam; misce.

U. Tenesmus, enterodynia spasmodica, hæmorrhois, stranguria, sunt vitia, in quibus hic clyster tentari meretur.

CLYSTER ASSÆ FŒTIDÆ COMPOSITUS.

℞. Assæ fœtidæ depuratæ, cum vitello ovi unius tritæ, sesquidrachmam,
Decocti Specierum resolventium tepidi uncias decem,
Sesquicarbonatis Ammoniæ grana quindecim.

Misce, ut fiat clyster.

U. Spasmi, hysteria, convulsiones, singultus, enterodynia spasmodica, flatulenta.

CLYSTER CATHARTICUS.

℞. Sulphatis Magnesiæ unciam,
Infusi Lini vel Chamomillæ uncias decem,
Olei Olivarum uncias duas.

Misce. Huic si addideris:
Tincturæ Assæ fœtidæ drachmas duas,
tunc Clysterem fœtidum habebis, pluribus casibus aptum et præcedenti anteponendum.

CLYSTER COMMUNIS.

℞. Chloridi Sodii unciam,
Saponis mollis semunciam,
Infusi Chamomillæ, vel
Aquæ tepidæ uncias decem,
Olei Olivarum uncias duas.
Solve et misce pro clystere.

CLYSTER NUTRIENS.

℞. Amyli semunciam,
Vitelli Ovorum quantum vis,
Decocti carnis bubulæ fortioris uncias sex.

Tere amylum cum vitello ovorum, quibus paulatim jusculum tepidum immisce, ut fiat clyster. Huic, si citius ejiciatur, Tincturæ Opii guttas quinque addere licet.

U. Dysphagia, omnibusque in casibus, ubi ex deglutitione difficili, aut suspensa, nutritio corporis requiritur, quod militibus sauciatis, qui a pugna se non continuere, nonnunquam contingere observavi.

CLYSTER TABACI.

℞. Tabaci scrupulos duos,
Aquæ ferventis uncias decem.

Macera per quadrantem horæ. Colatura injiciatur.

U. In ileo, alvo pertinaciter compressa, et hernia incarcerata, a quibusdam usurpatur hic clyster; vomitionibus quoque provocandis, imprimis dysphagia urgente, commendabilis. Attamen vi narcotica systemati nervoso insidias struit; cordis et arteriarum actionem minuit, mirifice retardat, destruit tandem. Hinc minime mirum, ejusdem usum in asphyxia a me prorsus repudiari; nonnisi in trismo, tetano, convulsionibus periculosioribus, et hydrophoba rabie tentari licet. Quod ad ileum attinet, non secus ac herniam incarceratam,

clyster e belladonnæ infuso (Belladon. scrupulus, Aq. fervent. unciæ decem; dimidium prius injiciatur, sex horis elapsis reliquum) nuperrime in his vitiis, ut quidam perhibent, cum successu injectus, huic anteponendus est.

CLYSTER TEREBINTHINÆ COMMUNIS.

℞. Terebinthinæ communis semunciam,
Vitellos Ovorum duorum.
Inter terendum paulatim adde:
Infusi seminum Lini uncias decem, ut fiat clyster.

U. Urolithiasis, cystorrhœa, ischuria, dysuria; nonnunquam ascarides, et interdum etiam tæniam extorrem reddit. In quibusdam apoplexiæ casibus, alvo pertinaciter adstricta, exhibitis incassum cæteris catharticis, commendatur.

COLLYRIUM ACETATIS AMMONIÆ.

℞. Acetatis Ammoniæ liquidi,
Aquæ destillatæ, utriusque semunciam,
Tincturæ Opii acetatæ drachmam.
Fiat collyrium.

U. Ophthalmiæ, si etiam rheumatica notetur labe, forma fotus, vel balnei ocularis, opitulatur. Juvant quoque aliquot guttæ in canthum minorem instillatæ.

COLLYRIUM ACETATIS PLUMBI.

℞. Acetatis Plumbi crystallisati grana sedecim,
Aquæ destillatæ uncias quatuor; adde:
Tincturæ Opii acetatæ scrupulos quatuor.
Fiat collyrium.

U. Dum conjunctiva flaccida, prævalente oculorum sensibilitate, adhibendum est.

COLLYRIUM ACETATIS ZINCI.

℞. Sulphatis Zinci crystallisati grana quadraginta septem,
Acetatis Plumbi crystallisati grana sexaginta duo,
Aquæ ferventis uncias decem.

Misce; præcipitato sulphate plumbi, per chartam cola. Singulis unciis grana tria acetatis zinci insunt.

U. Ophthalmia.

COLLYRIUM ALUMINIS.

℞. Supersulphatis Aluminæ et Potassæ crystallisati grana quinque,
Aquæ destillatæ unciam; fiat solutio.

U. Ophthalmia scorbutica et hemeralopia (quæ conjunctivæ et corneæ imminuta sensibilitate nec non flacciditate insigniuntur) laborantibus convenit, a guttis quatuor ad octo, aliquoties in die, instillatum, si eodem tempore intus roborantia antiscorbutica propinentur.

COLLYRIUM BICHLORIDI HYDRARGYRI OPIATUM.

℞. Bichloridi Hydrargyri granum,
Aquæ destillatæ unciam; adde:
Tincturæ Opii acetatæ scrupulum, vel
» » Hyoscyami scrupulos duos, vel
» » Belladonnæ guttas decem.

U. Collyrium hoc tepide, vel frigide, oculis bis terve in die guttatim instillatum, contra maculas, pannum, corneæ ulcera, variaque eorum vitia asthenica, si ex malo corporis habitu proveniant, prodest. Quantitas adhibendi bichloridi hydrargyri, pro varia ratione irritabilitatis in partibus adfectis, varia sit, oportet.

COLLYRIUM LINI OPIATUM.

℞. Infusi Lini tenuioris uncias sex,
Tincturæ Opii acetatæ drachmam.

Fiat collyrium.

U. Ophthalmiæ acutæ, sublato per congrua remedia inflammatorio statu, succurrit; incipienti etiam staphilomati adcommodum, guttatim inter oculum et palpebras immissum, vel fomenti forma superinjectum.

COLLYRIUM NARCOTICUM.

℞. Tincturæ Opii acetatæ partes tres,
» » Hyoscyami partes duas,
» » Belladonnæ partem. Misce.

U. Foveantur hoc collyrio oculi, dolore vehemente, photophobia, epiphora, ac blepharospasmo affecti. Infusum specierum narcoticarum, per se, idem fert auxilium. Sedulo tamen verendum est, ne protractiori eorum admotu paralytice adficiatur iris. Vapores e tali mistura cum aquæ tepidæ pauxillo eliciti quoque usurpantur.

COLLYRIUM NITRATIS ARGENTI.

℞. Nitratis Argenti fusi grana decem,
Aquæ destillatæ unciam.

Fiat solutio, in vitro danda, cujus guttam vel duas inter oculum et palpebras, in angulum externum, alterno quoque die instilla; quo facto, tincturæ opii acetatæ tantundem ingere. Cavendum tamen est, ne ante usum misceantur, et exinde nitras argenti disjunctus efficacia spolietur, quod nunquam non fit cum eo, materiæ vegetabili addito. Dilutior solutio ter quaterve in die usurpari potest.

U. Ophthalmiæ purulentæ vel contubernali (vulgo Ægyptiacæ) subvenit.

COLLYRIUM STRYCHNIÆ.

℞. Strychniæ grana duo,
Aceti destillati drachmam,
Aquæ destillatæ unciam.

Solve, ut fiat collyrium, cujus guttas tres vel quatuor quotidie, in amaurosi incipiente, inter palpebras instilla.

COLLYRIUM SULPHATIS CUPRI.

℞. Sulphatis Cupri crystallisati grana tria,
Infusi Specierum narcoticarum unciam.

Solve.

V. Stimulans; tonica; escharotica.

U. Adversus membranam conjunctivam granosam, multum laticis fundentem, in usum vocatur.

Collyrium Acetatis Cupri, ubi necessitas inciderit, eodem modo parandum est.

COLLYRIUM SULPHATIS CUPRI ALUMINATI COMPOSITI.

℞. Sulphatis Cupri aluminati compositi (vulgo Lapidis divini) grana octo,
Aquæ destillatæ uncias quatuor,
Tincturæ Opii acetatæ drachmam.

Fiat collyrium.

U. Ut Collyrii Bichloridi Hydrargyri opiati.

COLLYRIUM SULPHATIS ZINCI.

℞. Sulphatis Zinci grana quatuor,
Infusi Specierum narcoticarum unciam.

Fiat collyrium.

U. Collyrium hoc conjunctivæ siccæ, granosæ, ac remollitæ pollicetur levamen. Fistulæ quoque lacrymali, operatione peracta, et cuivis atonicæ ophthalmiæ

commendari meretur. Ast adstringentes solutiones ophthalmicæ, nonnisi præmissis catharticis, vel pro re nata sanguinis detractione (vel incisa vena, scarificationibus, vel sanguisugis), superato jam primo inflammationis acutæ stadio, morboque, si toti corpori inest, congruis remediorum adminiculis propugnato, adcommodæ esse possunt.

DECOCTUM ALBUM SYDENHAMI.

℞. Cornu Cervi rasi unciam; coque cum
Aquæ communis libris tribus.
Colaturæ librarum duarum, si lubet, adde:
Gummi Acaciæ veræ unciam,
Sacchari albi semunciam.

U. Diarrhœa, dysenteria, cystitis, nephritis, dysuria.
D. Uncia (vel binæ) quater vel sæpius in die.

DECOCTUM ALTHÆÆ.

℞. Radicis Althææ siccatæ et incisæ semunciam,
Aquæ communis sesquilibram.
Coque ad remanentem libram, et cola.

Eadem ratione æqualem decocti quantitatem obtinebis ex: Arctii Lappæ uncia. (Si in hoc decocto colato sulphatis potassæ drachmam solvere lubeat, cuticularibus vitiis aptius habebis medicamen.) Cetrariæ Islandicæ semuncia; corticis viridis Juglandis regiæ uncia; Corticis Quercus roboris uncia; Gallarum Quercus Cerris vel infectoriæ uncia; Malti sescuncia.

DECOCTUM ALTHÆÆ COMPOSITUM.

℞. Radicis Althææ siccatæ et incisæ uncias duas,
Fructuum Ficus Caricæ siccatorum (demptis acinis) uncias duas, vel
Radicis Glycyrrhizæ glabræ unciam,
Aquæ simplicis libras sex.

Decoque ad quatuor remanentes libras. Ubi vero glycyrrhiza substituitur, sub finem coctionis addenda est. Liquorem colatum sepone, donec fæces subsederint, dein effunde.

D. Libræ duæ in die partitis portionibus, vel ad libitum.

DECOCTUM CINCHONÆ ACIDULATUM.

℞. Cinchonæ cordifoliæ contusæ unciam,
Aquæ communis uncias sedecim,
Acidi Sulphurici diluti drachmam.

Coque in vase leviter clauso per sextam horæ partem, et liquorem adhuc calentem per linteum rarum et vetustum exprimendo cola.

D. Unciæ binæ, bis, ter, quater vel sæpius de die. Pro scopo, qui intenditur, id est, si actio in nerveum, musculare, vel vasorum systema dirigenda est, aut ratio stomachi, aut alvi citæ, vel adstrictæ habenda, aut exhalationis cutaneæ: singulis aut nonnullis decocti dosibus vel ante, vel post ejusdem exhibitionem, statim congrua medicamina propinare licet.

Eodem modo parentur: Decoctum C. lancifoliæ, et C. oblongifoliæ.

DECOCTUM FURFURIS.

℞. Furfuris tritici uncias quatuor,
Aquæ communis libras duodecim.

Coque ad libras novem; cum subsederit furfur caute in aliud vas effunde. Interdum singulis ejusdem libris additur:

Mellis vel Syrupi simplicis uncia,
Succi Vaccinii Oxycocci quantum satis ad gratum saporem.

U. Vices decocti hordei supplet.

DECOCTUM HORDEI.

℞. Seminum Hordei distichi uncias duas,
Aquæ bullientis libras sex.

Hordeum aqua frigida ablue, et per horæ dimidium cum aquæ libra circiter coque; hordeo ita a materia colorante purificato, illud cum sex aquæ bullientis libris decoquito, ut libræ tres maneant, et cola.

U. Pro potu ordinario. Si vero addas singulis hujus libris nitratis potassæ drachmam, habebis Decoctum Hordei nitratum.

DECOCTUM MEZEREI.

℞. Corticis Mezerei contusi drachmas duas,
Radicis Glycyrrhizæ contusæ semidrachmam,
Aquæ communis libras tres.

Decoque leni igne (sub finem addendo radicem glycyrrhizæ) ad libras duas, et cola.

U. In fœditatibus cutis, scrofula, dysphagia; in syphiliticis affectionibus et rheumatalgia parum tamen auxilii fert.

D. Libra in dies, partitis vicibus, exhibetur.

DECOCTUM ORCHIDIS.

℞. Pulveris radicis Orchidis Morionis drachmam,
Aquæ communis uncias sexdecim.

Coque, et cola.

U. Diarrhœa, dysenteria etc.

D. Uncia, binæ, ter quater vel sæpius in die.

DECOCTUM SALICIS ALBÆ COMPOSITUM.

℞. Corticis Salicis albæ concisi drachmas undecim,
Radicis Gentianæ luteæ contusæ drachmam,
Aquæ communis sesquilibram.

Decoque ad libram. Interdum aliis, ut penes Decoctum Cinchonæ monitum est, sociari potest.

V. Decocto cinchonæ succedaneum.

DECOCTUM SPECIERUM GUAJACI.

℞. Specierum Guajaci compositarum uncias tres,
Aquæ ferventis libras tres.

Decoque ad remanentes libras duas; sub finem coctionis adde: Radicis Glycyrrhizæ drachmas duas. Cola. Subinde loco glycyrrhizæ liquori colato additur:
Mellis despumati semuncia.

U. Myodyniæ rheumaticæ, morbis cutaneis, symptomatibus syphilidis secundariis ægre cedentibus aptum, et adminiculum bichlorido hydrargyri adfert.

DECOCTUM SPECIERUM GUAJACI cum MEZEREO.

℞. Decocti specierum Guajaci,
» » Mezerei, utriusque pares portiones.

U. In iisdem, ut præcedens, morbis valet; sed efficacius in ligamentorum duritie, ossium et periostei adfectionibus, atque in ulceribus inveteratis.

D. Libra ad sesquilibram de die.

DECOCTUM ULMI CAMPESTRIS.

℞. Corticis ramulorum Ulmi recens siccati sine epidermide, incisi et contusi, libram,
Aquæ communis libras decem.

Decoquendo consume duas libras; sepone, ut fæces subsidant, et effunde in vitrum.

V. Stimulans; diuretica; sarsaparillam æmulans.

U. Fœditates cutaneæ, herpeticæ, lepra, ichthyosis.

D. Unciæ tres, bis terve singulis diebus.

DECOCTUM ULMI COMPOSITUM.

℞. Ramentorum ligni Guajaci,
Radicis Glycyrrhizæ, utriusque unciam,
Stipitum Dulcamaræ semunciam, quibus affunde:
Decocti Ulmi campestris fervidi libras octo.

Digere in vase per sex horas, subinde agitans, et liquorem exprimendo colatum et sepositum, donec fæces subsederint, in vitrum effunde.

V. Diaphoretica.

D. Unciæ tres ad quatuor, ter in die (Vide solutionem Bichloridi Hydrargyri).

ELÆOSACCHARUM ANISI.

℞. Sacchari puri pulverati semunciam,
Olei Anisi guttas duodecim. Misce.

Eodem modo parantur: Elæosaccharum Cari Carvi; El. Chamomillæ; El. Citri; El. Fœniculi; El. Menthæ crispæ; El. Menthæ piperitæ etc.

U. Pulveribus variis junguntur Elæosacchara, et aquis extemporaneis parandis inserviunt. Elæosacchari Chamomillæ drachma (vel duæ) pro dosi data in enterodynia spasmodica, flatulenta, prodest.

ELECTUARIUM CATECHU OPIATUM.

℞. Extracti Catechu unciam,
Kino drachmas sex,
Corticis Lauri Cassiæ,
Nucis Myristicæ Moschatæ, utriusque drachmas duas,
Opii scrupulum,
Syrupi Zingiberis debitæ crassitudinis uncias sex.

Aridis in pulverem tenuatis syrupum adjice et misce, ut in massam homogeneam redigatur.

D. Scrupuli duo ad totidem drachmas, forma catapotii vel ex quavis aqua aromatica. Scrupuli decem circiter granum opii continent.

ELECTUARIUM SENNÆ.

℞. Pulpæ Prunorum sescunciam,
Pulveris foliorum Cassiæ Sennæ sesquidrachmam,
Bitartratis Potassæ pulverati semidrachmam,
Mellis despumati drachmas sex.

Misce, fiat electuarium.

U. Alvo ducendæ sufficit.

EMPLASTRUM AD STRUMAM.

℞. Emplastri Plumbi saponati liquati, et frigescentis semunciam,

cui immisce sub jugi tritu:
Chloridi Hydrargyri subtilissime pulverati drachmam,
Tartratis Stibii et Potassæ grana decem;

refrigera.

U. Supra alutam extensum strumæ admovetur, haud secus ac cynanchæ parotideæ, *Mumps* a Caledoniis dictæ. Vide: Pulverem Spongiæ compositum et Trochiscos ejusdem compositos, subsidiariam in curatione strumaticorum opem laturos.

EMPLASTRUM ASSÆ FŒTIDÆ.

℞. Assæ fœtidæ purificatæ partes duodecim,
Camphoræ partem.

Contundendo redige in massam emplastro aptam.

EMPLASTRUM CARBONATIS PLUMBI.

EMPL. CERUSSÆ; EMPL. ALBUM COCTUM.

℞. Carbonatis Plumbi partes duas,
Adipis suillæ purificatæ partem.

Eodem modo, quo emplastrum plumbi, paretur.

EMPLASTRUM CERÆ.

℞. Ceræ flavæ partes tres,
Sevi bovilli purificati partes duas,
Colophonii partem.

Colliquefac simul, et cola.

EMPLASTRUM CONII.

℞. Ceræ flavæ libras duas,
Olei Olivarum libram,
Ammoniaci uncias duas,
Foliorum Conii maculati libras duas.

Prioribus tribus substantiis leni igne liquefactis, colatis, ac paulo refrigeratis adde, sub jugi motu, pulverem foliorum conii, ut fiat emplastrum.

EMPLASTRUM CONII et HYDRARGYRI.

℞. Emplastri Conii,
» » Hydrargyri, utriusque partes æquales.

Calore balnei aquosi simul emollita misceantur.

EMPLASTRUM GALBANI STIBIATUM.

℞. Galbani,
Ammoniaci,
Terebinthinæ communis,
Ceræ flavæ, singulorum unciam,
Tartratis Stibii et Potassæ pulverati drachmas duas,
Sacchari albi drachmam.

Quatuor prioribus substantiis simul liquatis tartratem stibii et potassæ, atque saccharum admisce, ut fiat emplastrum.

U. In myodynia rheumatica, paralysi minante, arthrodynia, variisque frigidis vulgo dictis tumoribus etc. emplastrum hoc, super alutam extensum, parti corporis dolenti admovetur, et dum prolicito sudore, vel ob aliam causam decidit, renovandum est.

EMPLASTRUM GUMMEO-RESINOSUM.

Emplastrum gummosum.

℞. Emplastri Plumbi partes duodecim,
Galbani,
Ammoniaci,
Terebinthinæ communis, singulorum partem.

Galbanum et ammoniacum in terebinthina soluta, et per linteum colata, emplastro plumbi liquefacto, probe movendo, immisce.

U. Tumores glandularum atonicos (ægre abscedentes), furunculos, abscessus, verrucas, clavos et similia, potenter emollit, resolvit, aut maturat.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

℞. Hydrargyri purificati libras duas,
Terebinthinæ laricinæ uncias duas.

Tere simul, donec globuli hydrargyri prorsus disparuerint, inter terendum nonnihil olei terebinthinæ identidem addendo; dein admisce:

Emplastri Plumbi lento igne liquati, ac paulo refrigerati libras duodecim.

V. Vasa lymphatica stimulans, eorumque actionem promovens.

U. Variis indurationibus chronicis idoneum; ita etiam myodyniæ rheumaticæ, strumæ, hydrarthro et similibus subvenit.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI NARCOTICUM.

℞. Unguenti Hydrargyri fortioris unciam,
Ammoniaci drachmas sex,
Extracti Belladonnæ semunciam,
Acidi Hydrocyanici medicinalis drachmam semis.

Ammoniaco, in pulverem redacto, extractum cum aquæ tantillo immisce, dein unguentum hydrargyri et acidum hydrocyanicum, ante simul trita, adjice, ut fiat massa homogenea. Emplastrum hoc, supra alutam extensum, tumoribus scrofulosis et scyrrhosis dolentibus egregie opitulatur.

EMPLASTRUM LYTTÆ VESICATORIÆ.
Emplastrum Cantharidum.

℞. Emplastri Ceræ partes quatuor,
fuso sub jugi motu inspergito:
Lyttæ vesicatoriæ pulveratæ partem; refrigera.

NB. Camphoræ additamentum quidam perhibent stranguriam præcavisse, quibus tamen adversum me præbeo.

Hujus emplastri vices supplet empl. meliloti super alutam, vel pulmentum panis secalini super linteum extensum, pulvereque lyttæ vesicatoriæ respersum, et haud raro citius eundem exserit effectum. Pars tamen, cui admovendum est emplastrum pulvere lyttæ respersum, primo aceto perfricetur, quo facilius actionem suam producat. Dignum notatu, emplastrum hoc externe cuti applicatum tamdiu relinquendum, donec optatus a Medico insequatur effectus, qui mox citius, mox serius apparet, tum pro ratione sensibilitatis ægroti, tum pro qualitate ipsius emplastri.

EMPLASTRUM MELILOTI.

℞. Colophonii partes duas,
Sevi bovilli purificati,
Ceræ flavæ,
Pulveris herbæ cum floribus Meliloti, singulorum partem.

Colliquescentibus cæteris sub finem pulvis addatur.

EMPLASTRUM PICIS.

Emplastrum Stypticum.

℞. Colophonii,
Ceræ flavæ,
Picis solidæ, singulorum libram,
Sevi ovilli sescunciam.

Simul colliquefac, cola et sepone, ut in emplastrum stypticum rigeat.

EMPLASTRUM PLUMBI.

Empl. Lithargyri seu Diachylon simplex.

℞. Oxydi Plumbi semivitrei pulverati partes quinque,
Adipis suillæ partes novem.

Coque leni igne, addens sub initium et identidem aquæ tepidæ pauxillum, et assidue agita, donec aqua initio addita penitus fuerit absumpta, et adeps cum oxydo plumbi in emplastrum coiverint.

U. Ad muniendas partes vulneratas, ulceratas et excoriatas ab aëris noxio contactu, ad siccanda ulcuscula saniosa et irritata, ad æstum nimium et inflammationem in ambustis et erysipelate mitigandum, maxime idoneum est.

Si quinque partibus emplastri hujus, Colophonii liquefacti partem immiscueris, Emplastrum adhæsivum, olim sic dictum, habebis.

EMPLASTRUM PLUMBI SAPONATUM.

℞. Emplastri Plumbi partes sex,
Saponis sebacci (Kasanensis) partem.

Emplastro liquefacto saponem immisce; tum ad debitam crassitudinem lento igne decoque.

U. Fungus articulorum, aliive tumores asthenici, vulgo frigidi dicti, ejus admotu quandoque curationem recipiunt.

EMULSIO AMYGDALARUM.

℞. Amygdalarum dulcium unciam,
Aquæ communis libram.

Fiat lege artis emulsio, per linteum rarum colanda. Eandem emulsionis quantitatem habebis ex: Seminum Cannabis uncia, Seminum Lini uncia, Seminum Papaveris uncia.

EMULSIO CAMPHORÆ.

℞. Camphoræ semidrachmam,
Lactis vaccini semunciam;
simul assidue tritis adde:
Aquæ communis uncias septem et dimidiam,
ut fiat emulsio.

EMULSIO PHOSPHORATA.

℞. Phosphori sesquigranum,
Olei Olivarum unciam.

Commista in aqua fervida sæpius agitando, donec omnes phosphori globuli disparuerint, digere et solutioni adde sensim terendo:
Mucilaginis Acaciæ veræ uncias tres,
Aquæ aromaticæ cujuslibet uncias quatuor,
ut fiat lege artis emulsio, cum Syrupi simplicis uncia rite edulcoranda.

D. Semuncia, duodecimam grani phosphori partem continens, secunda vel tertia quavis hora, cautissime tamen, ne ventriculi inflammatio subsequatur.

EXTRACTA.

Pro varia medicaminum indole, ad extrahendas partes eorum efficaces vel aqua sumitur, vel spiritus vini, vel æther; qua de causa Extractorum species sunt sequentes.

Extracta aquosa.

Partes plantarum, ut: cortices, folia, herbæ, ligna, radices, stipites, adstringente, vel amaro mixto cum volatili, vel aromatico, aut acri principio præditarum, incisæ redigantur cum sufficiente quantitate aquæ bullientis in pultem fluidam, et per duodecim horas stent in vase, subinde agitandæ. Pultem, ingestam sacculis linteis, subjice prelo, et residuum, denuo per duodecim horas maceratum, exprime. Omnia expressa misceantur, et vasis terreis, intus crustatis, vel ligneis commissa maneant per noctem, ut subsideant crassiora, dein per pannum colentur, et in vasis stanneis, leni igne inspissentur ad consistentiam syrupi tenuioris; tandem vero in vase porcellaneo, continuo spatha lignea agitando, ad mellis consistentiam consume, sub finem addens aliquantulum spiritus vini, ne extractum cito mucorem contrahat. Hunc ad modum parentur:

Extractum Achilleæ Millefolii. In hypochondriasi bonum auxilium, et inflationem levando, et spasmos leniendo, præsertim extracto chamomillæ junctum. Conducit etiam iis, qui nocturnis pollutionibus vexantur, et tum consulto ei additur tinctura aromatica sulphurica.

D. Datur a granis quindecim usque ad semidrachmam.

EXTRACTUM ARTEMISIÆ ABSINTHII (herbæ).

V. Discutiens; antiseptica; tonica; anthelminthica.

U. Dyspepsiæ, acholiæ, splanchemphraxi, hypochondriasi, hydropisi, febri intermittenti, scorbuto etc. convenit, a scrupulo dimidio ad integrum exhibitum.

EXTR. CARDUI BENEDICTI. Vide in prima parte. Cent. Bened.

EXTR. KRAMERIÆ (radicis).

D. Duo scrupuli in aquæ unciis totidem soluti, aliquot guttis acidi acetici, vel succi citri medicæ admistis, post sex horas repetendi, bis in die propinantur.

EXTR. FUMARIÆ OFFICINALIS (herbæ).

D. Scrupulus.

EXTR. GENTIANÆ LUTEÆ (radicis).

D. A granis quindecim ad semidrachmam porrigitur.

EXTR. GLYCYRRHIZÆ, vulgo *Extractum* seu *Succus Liquiritiæ inspissatus*.

EXTR. GRAMINIS (Vid. Triticum repens).

EXTR. HÆMATOXYLI CAMPECHIANI (ligni).

EXTR. LEONTODONTIS TARAXACI (radicis).

EXTR. MARRUBII VULGARIS (herbæ).

D. Grana quindecim ad drachmam.

EXTR. MATRICARIÆ CHAMOMILLÆ (florum).

EXTR. MENYANTHIDIS TRIFOLIATÆ (foliorum).

D. A decem ad triginta grana exhibentur.

EXTR. QUASSIÆ EXCELSÆ (ligni).

EXTR. RHEI PALMATI (radicis).

D. In diarrhœa grana decem ad scrupulum, pilulari forma cum cochleari aquæ cinnamomi; in dyspepsia vero exiguæ tantum doses conferunt in conjunctione amarorum, aromaticorum, sodæ, nucis moschatæ aliorumque, peptica virtute præditorum.

Extr. Salicis albæ (corticis).

D. Grana decem ad quadraginta.

Extr. Saponariæ officinalis (radicis).

Extr. Tanaceti vulgaris (herbæ).

D. Grana decem ad viginti.

Extr. Uvæ ursi (foliorum).

D. Grana quinque ad scrupulum. Quarundam plantarum liquida extracta magis arrident, *Mellagines* dicta, quæ eadem parentur ratione, non vero nisi ad melassis crassitiem evaporent.

Extracta spirituosa.

EXTRACTUM CINCHONÆ.

℞. Corticis Cinchonæ in grossum pulverem redactæ partem,
Spiritus Vini rectificati partes duas,
Aquæ partes quatuor.

Digere in vase clauso in balneo arenæ per horas triginta sex, exprime et e colato liquore elice spiritum vini destillando. Remanens evaporet ad spissitudinem extracti, cui sub finem adde aliquantulum alcoholis purissimi, ne cito mucescat. Similiter parantur: Extractum Acori Calami, Arnicæ montanæ, Chelidonii majoris (e herba recenti), Clutiæ Elutheriæ vulgo Cascarillæ, Cocculi palmati seu Colombo, Cucumeris Colocynthidis, Gratiolæ officinalis, Hellebori nigri, Humuli Lupuli, Inulæ Helenii, Ligustici Levistici, Pini silvestris, Polygalæ Senegæ, Rhei palmati, Tanaceti vulgaris, Valerianæ, Violæ tricoloris.

Extracta spirituoso-narcotica.

EXTRACTUM ACONITI PANICULATI.

℞. Foliorum Aconiti paniculati, ante anthesin collectorum et recens siccatorum, libras quinque,

Spiritus Vini rectificati libras decem,
Aquæ bullientis libras viginti.

Folia in pulverem grossum redacta retortæ tubulatæ immitte, eisque spiritum vini superinfunde. Aptato excipulo digere calore 50° R. in balneo arenæ per horas viginti quatuor; cola, et residuum in retorta exprime. Foliis expressis superinfunde aquæ fervidæ libras viginti, et digere per bihorium. Infusum cola (residuum exprimendo) et igne moderato evapora, ut septem libræ cum dimidia remaneant. Ex liquido hoc cum tinctura prius obtenta commisto, et decapulando clarificato, abstrahe alcohol destillatione, et quod remanet in balneo aquoso evapora ad extracti spissitudinem.

Vel:

℞. Foliorum Aconiti recentium libras quinque.

Contunde in mortario lapideo pauxillum aquæ adspergendo, dein exprime. Succum expressum ebullitione et percolatione a fæcibus separa, et ad mellis spissitudinem in balneo aquoso evapora. Fæcibus residuis affunde quadruplam quantitatem spiritus vini rectificati, et per horas viginti quatuor digere, et cola, residuum spiritu vini lavando. Tincturis hoc modo obtentis adde aquæ quartam partem, et retorta spiritum vini elice. Residuum in retorta in vase aperto balnei aquosi ope evapora ad extracti spissitudinem. Tunc adde extractum prius obtentum, et spatha lignea agitando misce, et serva in vase probe clauso in loco frigido. His rationibus parentur: Extractum Atropæ Belladonnæ, Conii maculati, Daturæ Strammonii, Digitalis purpureæ, Hyoscyami nigri, Lactucæ virosæ, Rhois Toxicodendri, Solani Dulcamaræ, Strychni Nucis vomicæ.

Extracta peculiariter paranda.

EXTRACTUM ALOËS AQUOSUM.

Aloë purificata.

℞. Aloës pulveratæ partem,
Aquæ partes sex.

Macera per biduum sæpius agitando, et liquorem colatum in balneo arenæ ad idoneam crassitudinem evapora.
Eodem modo paretur: EXTRACTUM MYRRHÆ AQUOSUM.

EXTRACTUM FILICIS MARIS ÆTHEREUM.

OLEUM FILICIS MARIS.

℞. Radicis Filicis maris pulveratæ partem,
Ætheris Sulphurici partes octo.

Digere frigidum in lagena vitrea clausa, per triduum; massam exprime, et e liquore colato elice ætherem destillando. Residuum in balneo aquoso evaporet ad consistentiam mellis.

D. Scrupulus ad drachmam dimidiam, forma pilularum, bis, ter, aut quater in die.

Eodem modo paretur: EXTRACTUM SEMINUM SANTONICI.

EXTRACTUM LACTUCÆ SATIVÆ.

THRIDACIUM.

℞. Caulium recentium Lactucæ sativæ, ante anthesin collectorum, quantum vis.

Rejectis caulium foliis et substantia medullari, corticem eorum fibrosum cultro separa, illumque in mortario lapideo contunde. Succum prelo per linteum exprime, et leni calore ad siccum ferme evapora (Vid. Lactucam sativam).

D. Grana duo, ad quinque, pro dosi exhibentur bis in die adulto.

Extracta composita.

EXTRACTUM AMARUM.

℞. Extracti Absinthii,
» » Menyanthidis trifoliatæ.
» » Radicis Gentianæ luteæ, singulorum pares portiones. Misce.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS COMPOSITUM.

℞. Fructus Colocynthidis, absque seminibus comminuti, drachmas sex,
Extracti Aloës aquosi contriti sescunciam,
Scammonii semunciam,
Seminum Cardamomi contritorum drachmam,
Spiritus Vini libram.

Macera leni calore Colocynthidem in spiritu per quatriduum, et colato liquori adde scammonium et aloën, dein vero consumatur spiritus, quoad aptam habuerit spissitudinem, tandem semina admisceto.

D. Grana quinque ad semidrachmam per se.

EXTRACTUM RHEI COMPOSITUM.

℞. Extracti Rhei aquosi partes duas,
» » Aloës aquosi,
Saponis jalapini, utriusque partem. Misce.

D. Grana decem ad scrupulum.

FOMENTUM ACIDUM.

AQUA VULNERARIA.

℞. Aceti communis partes sex,
Spiritus Frumenti purificati partes tres,
Acidi Sulphurici diluti partem,
Mellis despumati partem.

Misce; et si opus, cola.

U. Vulneribus recentibus ulceribusque asthenicis, multum puris fundentibus, aptum.

FOMENTUM ALUMINATUM.

℞ Supersulphatis Aluminæ et Potassæ semunciam,
solve in
Aceti communis libra.

U. Pernio, genu aliarumque articulationum dolores et tumores, linteum hoc liquore constanter madefactum adplicando, medelam recipiunt.

FOMENTUM DISCUTIENS.

℞ Hydrochloratis Ammoniæ semunciam,
Spiritus Frumenti purificati,
Aquæ, utriusque libram.

Fiat solutio per chartam, si opus, colanda.

U. In ecchymosi, contusione, linteis humefactis tepide vel frigide superdandum.

FOMENTUM TEREBINTHINATUM COMPOSITUM.

℞ Olei Terebinthinæ unciam,
Vitellos Ovorum duorum; simul tritis admisce:
Infusi Chamomillæ libram,
Spiritus Vini camphorati uncias duas.

U. In ulceribus gangrænosis, ad separationem partis emortuæ a viva urgendam, efficacissimum. Anno 1812, quum bellipotens Ruthenorum exercitus in Rossia, 1813 in Germania, 1814 in Franco-Gallia commoraretur, æstivis caloribus expositus, nil ita profuit ad arcendas infestas muscas, ac hoc fomentum, quod etiam generationi vermium in vulneribus (deligatione hoc fomento madefacta) obicem posuit; quapropter magnæ utilitatis esse potest, præsertim quum milites vulneribus saucii, sub æstivis caloribus, ad valetudinaria transferuntur.

GARGARISMA ACIDUM.

℞ Acidi Hydrochlorici officinalis drachmas tres,
Decocti Hordei libram,
Syrupi simplicis unciam.

Fiat lege artis gargarisma.

V. Excitans; tonica; antiseptica.

U. In adfectionibus gingivarum scorbuticis, angina ulcerosa seu cynanche maligna. Quod ad gingivarum laxitatem scorbuticam attinet, nitras argenti fusus forma solida per se, vel in solutione, reliquis externis remediis merito præfertur.

GARGARISMA ALUMINATUM.

℞. Supersulphatis Aluminæ et Potassæ drachmam,
Decocti Quercus libram,
Tincturæ Myrrhæ semunciam,
Mellis despumati uncias duas,
Olei Menthæ piperitæ guttas sex.

Fiat gargarisma.

U. Gingivarum et uvulæ laxitati, anginis serosis supervenienti, interdum opem fert.

GARGARISMA AMMONIÆ NITRATUM.

℞. Hydrochloratis Ammoniæ drachmas tres,
Nitratis Potassæ drachmas duas,
Mellis despumati unciam,
Aceti communis uncias duas,
Decocti Althææ libram.

Fiat gargarisma.

U. Salivæ secretionem movendo, sæpius anginam tonsillarem discutit et propulsat.

GARGARISMA BIBORATIS SODÆ.

℞. Biboratis Sodæ semunciam,
Mellis despumati unciam,
Infusi Specierum emollientium libram.

Solve et misce, ut fiat gargarisma.

Interdum huic additur tincturæ myrrhæ semuncia, quo ulceribus oris fauciumque, a nimio hydrargyri usu obortis, adcommodatius fit. Aqua picea per se eidem bono servit.

U. Aphthæ, sialorrhœa et id genus alia.

GARGARISMA BICHLORIDI HYDRARGYRI.

G. MERCURII SUBLIMATI CORROSIVI.

℞. Bichloridi Hydrargyri grana quatuor,
Hydrochloratis Ammoniæ scrupulum,
Mellis unciam,
Aquæ communis libram, fiat gargarisma.

U. Aphthæ malignæ, et ulcera faucium internarum syphilidis secundariæ phagedænica. Nitras tamen argenti, ut supra monui, hoc in casu præferendus est.

GARGARISMA CAPSICI ANNUI.

℞. Tincturæ Capsici annui semunciam,
Decocti Hordei libram. Sit gargarisma.

V. Mere excitans.

U. Angina gangrænosa seu cynanche maligna, dato intus eodem tempore capsico.

GARGARISMA COMMUNE.

℞. Nitratis Potassæ semunciam,
Infusi Specierum emollientium libram,
Oxymellis simplicis unciam.

Fiat gargarisma.

U. Angina inflammatoria incipiens.

GELATINA CETRARIÆ.

G. LICHENIS ISLANDICI.

℞. Cetrariæ Islandicæ concisæ, a principio amaro liberatæ, uncias duas;

coque ex
Aquæ communis unciis triginta, ad remanentiam circiter partis quartæ; colaturæ addito:
Sacchari albi unciam, ut fiat post refrigerationem gelatina.

GELATINA CORNU CERVI.

℞. Cornu Cervi rasi selibram,
Aquæ communis libras sex.

Coque leni igne in vase fictili ad remanentiam libræ; liquori cum expressione colato et adhuc calenti admisce:

Sacchari albi,
Vini albi Sudacensis Taurici, vel
Cimlensis Tanaitarum, utriusque uncias duas.

Sepone in locum frigidum, ut in gelatinam coëant. Eodem modo paratur Gelatinæ Ichthyocollæ libra ex uncia ejusdem.

HAUSTUS ACIDUM CARBONICUM EVOLVENS.

℞. Tartratis Potassæ et Sodæ drachmas duas,
Bicarbonatis Sodæ scrupulum,
Aquæ Menthæ sescunciam; solve, fiat haustus, cum semuncia succi Citri medicæ, vel Acidi Tartarici granis septemdecim, illico dum effervescit porrigendus.

V. Nauseam vomitumque rebellem, a præternaturali ventriculi irritabilitate ortum, compescit, leniter etiam sudorem et urinam sollicitat.

HAUSTUS ANODYNO-DIAPHORETICUS.

℞. Tincturæ Opii guttas viginti,
Vini stibiati guttas triginta,
Acetatis Ammoniæ liquidi drachmas sex,
Syrupi simplicis drachmas duas; fiat haustus.

HAUSTUS CAMPHORÆ FŒTIDUS.

℞. Misturæ Camphoræ semunciam,
Tincturæ Valerianæ ammoniatæ,
» » Assæ fœtidæ, utriusque drachmam,
Syrupi Zingiberis tantundem; misce.

U. Adversus varia infirmi stomachi et pravæ concoctionis vitia, præsertim inflationem spasmosque hystericos, adhibetur.

HAUSTUS CATHARTICUS.

℞. Infusi Sennæ tartarisati sescunciam,
Tincturæ Rhei vinosæ,
» » Sennæ compositæ, utriusque drachmas duas; fiat haustus, quamprimum, vel summo mane sumendus.

HAUSTUS CROTONIS TIGLII.

℞. Olei Crotonis Tiglii guttam,
Mucilaginis Acaciæ veræ drachmam,
Aquæ destillatæ sescunciam,
Syrupi simplicis drachmas duas.
Misce; fiat haustus.

HAUSTUS DIURETICUS.

℞. Carbonatis Potassæ grana decem,
Infusi Specierum amararum unciam,
Spiritus Nitroso-ætherei,
Tincturæ Scillæ,
» » Calami, singulorum drachmam.
Fiat haustus; excitans, diureticus, hydropisi aptus.

HAUSTUS EMETICUS EXCITANS.

℞. Sesquicarbonatis Ammoniæ scrupulum,
Vini Ipecacuanhæ semunciam,

Aquæ Menthæ crispæ uncias tres,
Tincturæ Capsici drachmas duas.
Fiat haustus.

U. Si opium aut aliud narcoticum supra modum, cæco casu vel de industria, in ventriculum fuerit receptum, et si hunc subito exinanire desideramus, haustus hic omnibus fere hujus generis medicamentis palmam eripit (Vide: haustum sulphatis zinci emeticum, et solutionem tartratis stibii et potassæ emeticam).

HAUSTUS GENTIANÆ cum SENNA.

℞. Infusi Gentianæ compositi unciam,
» Sennæ tartarisati semunciam,
Tincturæ Sennæ compositæ,
Syrupi Zingiberis, utriusque drachmas duas.
Fiat haustus, bis quotidie sumendus.

V. Tonica; leniter alvum sollicitans; concoctioni et chylificationi favens.

HAUSTUS GENTIANÆ cum SODA.

℞. Infusi Gentianæ compositi unciam,
Carbonatis Sodæ crystallisati grana quindecim,
Rhei pulverati grana decem,
Tincturæ Calami drachmam.
Fiat haustus, bis in die capiendus.

V. et U. Haustus hic a præcedenti parum discrepat.

HAUSTUS GUAJACI.

℞. Mucilaginis Acaciæ veræ sescunciam,
Tincturæ Guajaci drachmas duas,
» » Opii guttas decem,
Vini Ipecacuanhæ,
» seminum Colchici, utriusque guttas viginti,
» stibiati semidrachmam.

Fiat haustus (coloris cæsii). Idem cum tinctura guajaci ammoniata præparatus coloris est e fusco grisei.

U. Arthrodynia, seu rheumatismus chronicus, arthritis vaga, ozæna, impetigo; contra photophobiam, quæ aliquando ophthalmiam scrofulosam comitatur, quibusdam placuit mane vel nocte dormituro propinatus.

HAUSTUS MOSCHI.

℞. Moschi grana decem,
Gummi Acaciarum semidrachmam,
probe simul tritis gradatim adde:
Infusi Valerianæ unciam,
Spiritus Sulphurico-ætherei drachmam dimidiam.

Fiat haustus, sextis vel octavis horis, sæpius vel rarius, pro re nata, sumendus.

V. Est eximie antispasmodicum remedium, cerebro systematique nervoso energiam impertiens; hinc in typhi collapsu, delirio, tendinum subsultu, singultu, et floccos carpendi conatu intervenientibus (signa, quæ sane periculum in proximo esse denunciant) utile. Camphoræ et sesquicarbonati ammoniæ junctus, gangrænæ senili succurrit. In eundem finem vide haustum opii camphoratum.

HAUSTUS NARCOTICUS.

℞. Tincturæ Hyoscyami,
» » Conii maculati, utriusque guttas viginti,
» » Opii acetatæ guttas quatuor,
Acetatis Ammoniæ liquidi,
Aquæ Melissæ, utriusque semunciam,
Syrupi simplicis drachmam.

Fiat haustus.

V. Spasmum, dolorem et irritationem auferens; somnum concilians; inde tussi spasmodicæ et asthmati convenit.

HAUSTUS OPII CAMPHORATUS.

℞. Tincturæ Opii acetatæ guttas sex,
Syrupi Zingiberis drachmam,
Spiritus Sulphurico-ætherei guttas viginti,
Misturæ Camphoræ semunciam; fiat haustus.

V. Excitans; leniter diaphoretica; irritabilitatem et sensibilitatem, præter naturam auctas, tandem sedans.

HAUSTUS SEDANS.

℞. Aquæ Lauro-Cerasi,
Tincturæ Digitalis, utriusque guttas viginti,
Misturæ Camphoræ unciam,
Tincturæ Cocculi palmati drachmam.

Fiat haustus. Sensum obtundens, motum opprimens.

U. Cardiopalmum in corpore infirmo, nimia systematis nervosi sensibilitate stipatum, aliquando haud parum mitigat, bis quotidie propinatus.

HAUSTUS SUBNITRATIS BISMUTHI.

℞. Subnitratis Bismuthi grana sex,
Gummi Acaciarum triti scrupulum,
Aquæ Menthæ unciam; fiat haustus.

V. Tonica; antispasmodica.

U. Gastrodynia, pyrosis et aliæ species dyspepsiæ; cardiopalmus et adfectiones spasmodicæ.

HAUSTUS SULPHATIS CHINIÆ.

℞. Disulphatis Chiniæ grana tria,
Infusi Acori Calami drachmas undecim,
Acidi Sulphurici diluti guttas quatuor,
Tincturæ Acori Calami drachmam.

Haustui huic Sulphatis Magnesiæ drachmam addere, ad alvum molliendam, sæpius prodest.

HAUSTUS SULPHATIS ZINCI EMETICUS.

℞. Sulphatis Zinci crystallisati scrupulum,
Aquæ ferventis sescunciam; fiat solutio.

U. Sumpto veneno confestim, ubi prompta exinanitione ventriculi opus est, pro dosi exhibendus.

INFUSUM ABSINTHII.

℞. Herbæ Absinthii unciam dimidiam,
Aquæ ferventis quantum satis.

Macera in vase leviter clauso per horam, subinde agitando; tunc refrigera, et cola libram. Eadem ratione et eadem infusi quantitas obtinetur ex: Acori Calami rad. uncia; Angelicæ rad. uncia; Arnicæ florum et fol. semuncia; ejusdem radicis contusæ scrupulis duobus; Cascarillæ uncia; Chamomillæ fl. drachmis sex; Humuli Lupuli strobilorum semuncia; Juniperi bac. sescuncia; Menthæ crispæ herbæ uncia; Menyanthidis trifoliatæ herbæ drachmis sex; Phellandrii aquatici seminum tantundem; Polygalæ senegæ radicis semuncia; Salviæ fol. uncia; Sambuci fl. uncia; Quassiæ concisi ligni semuncia; Serpentariæ rad. semuncia; Specierum amararum uncia; Specierum antiscorbuticarum sescuncia; Specierum aromaticarum uncia; Specierum emollientium uncia; Valerianæ rad. semuncia.

INFUSUM COCHLEARIÆ ARMORACIÆ.

℞. Radicis Cochleariæ Armoraciæ recentis, rasæ, uncias duas,
Aquæ frigidæ uncias quindecim.

Macera per horas sex in vase clauso et cola exprimendo.

Si hujusce infusi libræ uncias duas seminum sinapis nigræ, et unciam spiritus cochleariæ armoraciæ addideris, egregium remedium in myodynia rheumatica (chronica), paralysi, in quibusdam hydropiseos formis et scorbuto obtinebis.

D. Uncia ad duas, ter singulis diebus.

INFUSUM DIGITALIS.

℞. Foliorum Digitalis siccatorum drachmam,
Aquæ ferventis uncias septem.

Macera folia in vase leviter clauso, subinde agitando, per quatuor horas; ubi refrixerit, cola et adde:
Tincturæ aromaticæ unciam.

D. Drachmæ tres, ad sex, in singulos dies.

INFUSUM GENTIANÆ COMPOSITUM.

℞. Radicis Gentianæ luteæ semunciam,
Fructus Citri Aurantii immaturi,
Radicis Zingiberis, utriusque drachmam,
Spiritus Vini rectificati uncias quatuor,
Aquæ communis libram.

Adfunde primum spiritum vini, dein post tres horas aquam, tum digere leni calore per horas duodecim, et cola.

D. Unciæ duæ, bis, terve unoquoque die.

INFUSUM LINI.

℞. Seminum Lini uncias duas,
Radicis Glycyrrhizæ semunciam; infunde
Aquæ ferventis libras quatuor.

Stet in loco tepido per horas tres, tum cola. Interdum additur succus citri medicæ aut mel oxycocci, vel oxymel simplex, vel saccharum purum, ad gratam aciditatem dulcedinemque.

46 *

U. Dysuria, catarrhus, pneumonitis, blennorrhœa, ischuria incipiens. Nephritidi, splenitidi, hysteritidi auxilio est; cæteris vero phlegmasiis, ut: cystitidi, liquida hujusmodi tantum abest, ut mollimentum præstent, ut potius onere et malum irritent, et conflictantem in discrimen vitæ conjiciant.

INFUSUM PRUNI PADI.

℞. Corticis Pruni Padi unciam,
Spiritus Vini rectificati uncias duas,
Aquæ communis uncias quinque.

Digere in vase clauso; post refrigerationem exprime; corticem remanentem coquito in:

Aquæ communis unciis octo, ad remanentiam unciarum quatuor. Decoctum colatum cum infuso commisce.

V. Infusum hoc alcoholisatum, cum decocto junctum, virtutem initio roborantem et incitantem cum sedante et antispasmodica unit.

U. In arthrodynia et myodynia rheumatica diuturna, haud secus, ac in adfectionibus paralyticis, quæ hæc mala consequi solent, laudatur. Phthiseos symptomata mitigat.

D. Secunda quaque hora cochlear datur.

INFUSUM RHEI BORAXATUM.

℞. Rhei concisi et contusi sescunciam,
Radicis Cocculi palmati (Columbo),
Biboratis Sodæ, utriusque drachmam,
Seminum Cari Carvi scrupulos duos,
Aquæ ferventis uncias tredecim.

Macera, subinde agitando, in vase leviter clauso per sex horas; expressæ colaturæ unciarum undecim adde:

Spiritus Vini unciam. Usui serva.

D. A duabus drachmis ad semunciam, et ultra, bis in die.

INFUSUM RHODODENDRI.

℞. Rhododendri foliorum siccatorum semunciam,
Aquæ fervidæ uncias quatuordecim;
committe vasi fictili clauso et luto oblito. Digere leni calore per horas duodecim, liquoremque cola.

V. Narcotico-diaphoretica, initio stimulans, dein actionem cordis minuens.

D. Uncia pro dosi, sensim sensimque ad duas et amplius adscendendo datur, bis terve in die, nisi vertigo, nausea, vomitus et alia mali ominis indicia ulteriorem usum vetarint.

INFUSUM SARSAPARILLÆ.

℞. Radicis Sarsaparillæ minutim incisæ et contusæ selibram,
Aquæ ferventis libras sex;
digere in vase clauso calore circiter 66° — 72° R., subinde agitans, per horas sex; liquorem adhuc calentem exprime et cola; denique post subsidentiam ad vitrum detur. Modus hicce, eximias sarsaparillæ proprietates (quæ in cortice resident) obtinendi, quin rei naturam scrutarentur, pernotus vetulis, atque apud omnes per totam Rossiam jam dudum pervulgatus observatur.

INFUSUM SCOPARII COMPOSITUM.

℞. Cacuminum Cytisi Scoparii recentium uncias duas, vel
» » » » » siccatorum unciam,
Fructus Juniperi contusi,
Radicis Taraxaci incisæ et contusæ, utriusque unciam,
Aquæ communis uncias quindecim.

Digere calore 66° — 72° R. in vase clauso per horas sex; liquorem fortiter exprime, dein in illo solve:

Acetatis Potassæ semunciam; postremo adde:

Spiritus Juniperi compositi uncias duas.

V. Cathartica; diuretica; majori dosi nonnunquam emetica.

U. Hydropicis, jecinori duro et aliorum abdominis viscerum obstructionibus (post febrem intermittentem superstitibus) subsidio venit.

INFUSUM SENNÆ SALINUM.

℞. Foliorum Sennæ unciam dimidiam,
Zingiberis concisi et contusi semidrachmam,
Aquæ ferventis uncias quinque;

macera per horam, et in colatura solvito:

Sulphatis Sodæ, vel
» » Magnesiæ,
Mellis despumati, singulorum semunciam.

Aliquando Tartratis Stibii et Potassæ dimidium granum additur. Loco aquæ communis carminativa quælibet, ut menthæ crispæ etc. cum fructu adhibetur.

D. Dimidium sumatur, et post duas vel tres horas reliquum, nisi alvus prius responderit.

Si singulis dosibus oxymellis colchici drachmas duas addere velis, misturam habebis sic dictæ Scudamori æquiparabilem, superingerendo magnesiæ quantum lubet.

INFUSUM SENNÆ TARTARISATUM.

℞. Foliorum Sennæ semunciam,
Tartratis Potassæ drachmas sex,
Zingiberis concisi et contusi drachmam,
Aquæ ferventis uncias decem.

Macera per horam in vase leviter tecto et liquori colato tartratem potassæ immisce.

D. Tres unciæ prius sumantur, et uncia singulis duabus subsequentibus horis, donec alvus rite mota sit.

LINIMENTUM ACIDUM TEREBINTHINATUM.

℞. Olei Terebinthinæ uncias duas,
 » Olivarum uncias quinque,
Acidi Sulphurici diluti sesquidrachmam.

Oleis simul commistis guttatim instilla acidum, ut fiat linimentum.

U. Adusta, contusa, distorsio, erythema e morsiunculis insectorum, ecchymoma, præcipue perniones. Rejecto acido sulphurico, ad fricandum ventrem in hydrope valet.

LINIMENTUM AMMONIÆ.

Linimentum volatile.

℞. Olei Olivarum partes tres,
Ammoniæ liquidæ partem.

Agita simul, donec misceantur.

U. Myodyniæ rheumaticæ, doloribus spasticis vel aliis (ab inflammatione internarum partium) stipatæ, anginæ etc. conducit.

LINIMENTUM AMMONIÆ CAMPHORATUM.

Linimentum volatile camphoratum.

℞. Camphoræ partem,
Olei Olivarum partes octo,
Ammoniæ liquidæ partes tres; fiat linimentum.

U. Cynanche tonsillaris, dolores rheumatici etc.

LINIMENTUM CALCAREUM.

℞. Olei Lini usitatissimi recentis,
Aquæ Calcariæ, utriusque pares portiones.

Misce conquassando.

U. Adustis, excoriationibus etc. egregium remedium esse, quotidiana docemur experientia.

LINIMENTUM HYDRARGYRI COMPOSITUM.

℞. Unguenti Hydrargyri fortioris,
Adipis suillæ purificatæ, utriusque uncias quatuor,
Camphoræ pulveratæ unciam,
Ammoniæ liquidæ uncias quatuor.

Camphoram cum adipe et unguento contere, dein ammoniam liquidam instilla, cunctaque commisceto.

V. Stimulando vasculare, præprimis vero lymphaticum et musculare systema, in variis morborum formis infricando fit apprime idoneum.

LINIMENTUM SAPONIS.

℞. Saponis sebacei rasi uncias duas,
Camphoræ drachmas tres,
Spiritus Frumenti rectificati uncias sedecim.

Macerata leni calore in vase clauso et liquata per chartam cola.

LINIMENTUM SAPONIS RUBEFACIENS.

(vulgo Linimentum Vinariense).

℞. Saponis oleacei (Hispanici) libras tres,
» » sebacei (Vologdensis) libras duas,
Olei Terebinthinæ libras quinque,
Camphoræ libram,
Pulveris Cantharidum sescunciam,
Spiritus Frumenti rectificati libras triginta.

Excipulo vitreo commissa in balneo arenæ digere per duas vel tres dies, subinde agitando, seu tamdiu, donec sapo prorsus solutus sit; liquori a balneo remoto et frigefacto adjice:

Ammoniæ liquidæ sesquilibram et per chartam bibulam transmitte.

V. Stimulans eximia.

U. Myodynia rheumatica, arthrodynia, paralysis.

LINIMENTUM TEREBINTHINÆ SAPONATUM.

℞. Saponis mollis uncias duas,
Olei Terebinthinæ uncias sedecim.
Agita simul, donec misceantur.

LINTEUM ADHÆSIVUM.

℞. Collæ animalis purioris quantum vis.

Coque cum aquæ sufficienti quantitate ad solutionem, ut syrupi tenuioris speciem referat. Liquore adhuc calido illine, penicilli ope, linteum, quod bis aut ter iterabis.

U. Tæniolæ, ex tali linteo scissæ, in aquam calidam prius immersæ, vulneribus admoventur loco emplastri adhæsivi (Liston).

MEL DESPUMATUM.

℞. Mellis crudi quantum lubet,
Aquæ communis quantum satis.

Coque despumando, dein cola et ad syrupi crassitudinem evapora.

U. Misturis, decoctis, infusis additur variis.

MEL OXYCOCCI.

℞. Succi Vaccinii Oxycocci,
Mellis despumati, utriusque partem.
Coque leni igne ad syrupi spissitudinem.

MEL ROSARUM.

℞. Petalorum Rosæ centifoliæ uncias quatuor,
affunde Aquæ fervidæ libras duas.

Sepone per noctem, dein cola et exprime. Liquorem colatum cum Mellis despumati libris quatuor coque leni igne ad syrupi spissitudinem, et adde Acidi Sulphurici diluti drachmas duas.

U. Gargarismata et collutoria ingreditur.

MISTURA ACETATIS AMMONIÆ STIBIATA.

℞. Tartratis Stibii et Potassæ grana duo,
Acetatis Ammoniæ liquidi unciam,
Aquæ Fœniculi uncias sex,
Vini Ipecacuanhæ drachmas duas,
Spiritus Nitroso-ætherei drachmam; misce.

V. Diaphoretica.

D. Uncia, tertia vel quarta quavis hora. Misturæ hujusce singulis dosibus nonnunquam tincturæ opii guttæ quatuor adduntur.

MISTURA ACETATIS POTASSÆ JUNIPERINA.

℞. Acetatis Potassæ sicci unciam,
Infusi baccarum Juniperi uncias decem,
Olei Terebinthinæ, cum vitello ovi prius triti, unciam,
Mellis despumati tantundem; fiat mistura.

U. Hydropisi succurrit.

D. Uncia, ter quaterve in die.

MISTURA ACETATIS POTASSÆ SCILLITICA.

℞. Infusi Specierum amararum uncias sex,
Spiritus Juniperi compositi,
Syrupi Zingiberis, utriusque unciam,
Acetatis Potassæ sicci semunciam,
Tincturæ Scillæ,
Spiritus Nitroso-ætherei, utriusque drachmas duas.

Lege artis fiat mistura.

V. Tonica; diuretica.

U. Hydropisi subvenit.

D. Uncia ad sescunciam, ter quaterve in die.

MISTURA AMMONIACI COMPOSITA.

℞. Ammoniaci drachmas duas,
Gummi Acaciæ veræ drachmam,

Spiritus Vini ammoniati drachmas duas,
Aquæ Fœniculi uncias octo,
Tincturæ Hyoscyami semunciam,
» » Scillæ drachmas duas.

Prius ammoniacum cum gummi acaciæ in mortario lapideo contere diligenter, aquam postea paulatim adfundens, denique cætera immisce.

V. Stimulans; expectorans; pituitam, lotium et sudorem movens.

U. Dyspnœa, pneumonitis asthenica, hydrops, morbi pulmonum pituitosi, splanchemphraxis.

D. Uncia, tertia vel quarta quaque hora.

MISTURA AMMONIACI NITRICA.

℞. Acidi Nitrici diluti drachmas duas,
Aquæ Fœniculi uncias octo;
misce, dein contere cum:
Ammoniaci drachmis duabus, et adde:
Tincturæ Hyoscyami,
Syrupi simplicis, utriusque semunciam; misce.

D. Semuncia, aliquoties in die.

MISTURA ASSÆ FŒTIDÆ COMPOSITA.

℞. Assæ fœtidæ purificatæ sesquidrachmam,
Camphoræ scrupulum,
Syrupi simplicis unciam.
Simul contere, et inter terendum sensim adjice:
Aquæ Menthæ piperitæ uncias octo;
demum adde:
Tincturæ Valerianæ ammoniatæ,
Spiritus Nitroso-ætherei, utriusque drachmas duas.
Misce.

V. Excitans; antispasmodica; tandem sedans.

U. Dyspepsiæ, amenorrhœæ, chlorosi, tympanitidi, helminthiasi, asthmati, hysteriæ variisque malis spasticis accommodata.

D. Semuncia ad unciam, tertia vel quarta quavis hora.

MISTURA BALSAMI COPAIVÆ.

℞. Balsami Capaivæ unciam,
Mucilaginis Gummi Acaciarum uncias duas,
Acidi Sulphurici diluti drachmam,
Aquæ Menthæ crispæ uncias quatuor,
Syrupi simplicis unciam. Misce.

D. Mane ac vesperi cochlear mensale.

MISTURA CAMPHORÆ.

℞. Camphoræ, primum cum alcoholis guttis decem contritæ, semidrachmam,
Gummi Acaciæ veræ,
Sacchari albi, utriusque scrupulos duos; diligenter simul tritis paulatim adjice:
Aquæ Menthæ piperitæ uncias sex.

Fiat mistura, ex tempore paranda.

V. Leviter stimulans sub initio, dein narcotica, secretiones per exhalationem cutaneam sollicitans.

U. Variis morbis asthenicis, typho, cynanche malignæ, podagræ retrocedenti, variolis retrogradis, facultate stimulante opitulatur. Pneumonitidi vero (debitis adminiculis sublato statu inflammatorio), rheumatismo acuto, maniæ et cæteris hypersantheniæ notas ferentibus, vi, qua pollet, narcotica et antispasmodica adcommodatior.

D. Semuncia ad unciam per se, frequentissime in conjunctione aliorum, præsertim volatilium, sæpius de die, vitrum fortiter ante singulas doses conquassando, exhibetur.

MISTURA CARBONATIS CALCARIÆ COMPOSITA.

℞. Carbonatis Calcariæ præparati,
Elæosacchari Anisi,
Gummi Acaciæ veræ, singulorum drachmas duas;
in pulverem perquam tenuem redige, dein sensim adde:
Aquæ Menthæ piperitæ uncias octo et semis,
Vini Ipecacuanhæ drachmas duas,
Tincturæ Opii sesquidrachmam,
» » aromaticæ semunciam. Misce.

V. Antacida; leniter antispasmodica.

U. In ventriculo et intestinis acorem jam existentem corrigit, et generationem ejus impedit, inde in dysenteria (sub finem), diarrhœa diuturna, abnormi irritabilitate, doloribusque abdominis stipata, imprimis subductis cruditatibus, aut iisdem per superiora ipecacuanha eliminatis, magnæ est efficaciæ.

D. Uncia, ter quaterve in die, vitrum conquassando, præbetur.

MISTURA CITRATIS POTASSÆ STIBIATA.

℞. Carbonatis Potassæ sicci drachmas duas,
Succi Citri medicæ uncias tres,
vel quantum satis ad saturandam potassam;
peracta effervescentia addito:
Aquæ Menthæ piperitæ uncias quatuor,
Tartratis Stibii et Potassæ grana duo,
Syrupi simplicis unciam, ut totius misturæ mensura sit unciarum octo.

Scire licet, Misturam Riveri nil aliud esse, quam citratem potassæ liquidum, unciatim per se, vel idoneo vehiculo, exhibendum. Additis singulis ejusdem unciis sex guttis tincturæ opii, sudorem ciet et cito, et efficaciter.

V. Excretiones promovens, et præcipue exhalationem dermaticam.

U. In perfrictione et morbis hinc oriundis, inflammationibus acutis et chronicis valet.

D. Uncia, subsequentibus vero bihoriis semuncia, vel prout necessitas exegerit; ad vomitionem vero cohibendam sine stibiatis recte adhibetur. Si loco succi citri medicæ acetum commune adhibueris, Acetatem Potassæ liquidum obtinebis, et tunc mistura vi urinam ciente et cathartica hydropisi conveniet (Vide misturam acetatis potassæ juniperinam).

MISTURA DIGITALIS PURPUREÆ.

℞. Infusi Digitalis uncias quinque,
Tincturæ ejusdem drachmam,
Acetatis Potassæ sicci semunciam,
Tincturæ Opii drachmam,
» » Calami drachmas duas. Misce.

V. Diuretica.

D. Semuncia, bis terve in die; ad doses largiores caute adscendendo.

MISTURA EXPECTORANS.

℞. Extracti Glycyrrhizæ drachmas tres,
Carbonatis Sodæ drachmas duas,
Infusi Specierum pectoralium, vel
Aquæ Fœniculi uncias octo,
Vini Ipecacuanhæ drachmas tres,
Tincturæ Opii camphoratæ unciam.

Lege artis fiat mistura.

V. Sæpius spasmum solvit, exhalationem per cutem liberiorem reddit, sputum movet et irritationem bronchiorum præter solitum auctam cohibet.

D. Uncia ter vel quater nychthemeri spatio.

MISTURA FERRI COMPOSITA.

(vulgo Griffithii).

℞ Myrrhæ contritæ drachmam,
Carbonatis Potassæ sicci semidrachmam,
Sacchari albi semunciam,
Aquæ Menthæ piperitæ uncias octo et semis,
Sulphatis Ferri grana viginti quinque.
Tincturæ aromaticæ semunciam.

Myrrham, carbonatem potassæ et saccharum simul bene tere, hisque inter terendum primum aquam adjice, dein vero, sulphate ferri addito, misturam vasi vitreo, exacte obturando, nec non ad obturamentum usque replendo, ne accessu aëris ferri oxydatio ultro procedat, committe. Coloris sit obscuri viridis.

V. Stimulans; tonica; peptica.

U. Mistura hæcce, minus irritans, quam cætera ferri præparata, continet carbonatem ferri, et persæpe in cacochymia, hecticis febribus, quibusdamque phthiseos formis, catarrho chronico, chlorosi et cæteris morbis, ubi virtus ejus tonica valet, adhibetur, idque unciatim et amplius bis de die.

MISTURA GENTIANÆ SULPHURICA.

℞ Infusi Gentianæ compositi uncias quinque,
Tincturæ Gentianæ compositæ unciam,
Acidi Sulphurici diluti drachmam.

Fiat mistura, cujus cochlearia tria majora ter in die sumantur in dyspepsia.

MISTURA HYDROCHLORATIS AMMONIÆ STIBIATA.

℞ Hydrochloratis Ammoniæ drachmas duas,
Tartratis Stibii et Potassæ grana duo,
Infusi Specierum amararum uncias octo.

Lege artis fiat mistura.

U. Intermittenti maxime convenit, aliisque febribus sic dictis gastricis et catarrhalibus, exhibitis secunda quaque hora cochlearibus duobus tempore apyrexiæ. Si cum extracto glycyrrhizæ paretur, tunc febribus catarrhalibus aptior erit.

MISTURA NITRATIS POTASSÆ.

℞. Nitratis Potassæ drachmas duas,
Decocti Althææ uncias septem,
Syrupi simplicis unciam. Misceantur.

D. Uncia, tertia vel quarta quaque hora. Quandoque pro scopo, qui a Medico intenditur, singulis dosibus additur tincturæ hyoscyami semidrachma, vel tincturæ opii guttæ quinque.

MISTURA NITRATIS POTASSÆ COMPOSITA.

℞. Nitratis Potassæ sesquidrachmam,
Tartratis Stibii et Potassæ grana duo;
simul tritis gradatim adde:
Decocti Althææ uncias quinque,
Acetatis Ammoniæ liquidi unciam,
ut fiat mistura.

U. Febribus inflammatoriis imprimis obest.

D. Uncia, tertia vel quarta quaque hora.

MISTURA SCILLÆ.

℞. Aquæ Menthæ piperitæ uncias sex,
Oxymellis Scillæ uncias duas; misce.
Interdum additur:
Tincturæ Opii camphoratæ uncia.

U. Sputum et lotium movendo, in tussi pituitosa, pneumonitide asthenica, et similibus prodest, semuncia ad unciam, quater in die data.

MISTURA TARAXACI.

℞. Extracti Taraxaci liquidi drachmas sex,
Aquæ Menthæ piperitæ selibram. Misce.

U. In infarctibus viscerum, ictero etc. subjuncto clystere e speciebus resolventibus, vel alio pro re nata.

D. Uncia, ter quaterve in die.

MISTURA TARAXACI COMPOSITA.

℞. Acetatis Potassæ liquidi,
Extracti Taraxaci liquidi utriusque semunciam,
Infusi Rhei boraxati uncias tres,
Mellis despumati unciam.

U. In iisdem morbis, ut antecedens, propinato cochleari tertia quaque hora.

MUCILAGO ACACIÆ VERÆ.

℞. Gummi Acaciæ veræ pulverati partem,
Aquæ bullientis partes duas.

Solvito gummi triturando cum aqua, per vices adfusa, ut redigatur in mucilaginem, et per linteum vetustum, si opus, cola.

U. In suspendendis et aquæ miscendis variis corporibus, connubium cum aqua alias respuentibus, quo resinæ, balsama resinosa, substantiæ pingues et camphora imprimis pertinent, optimum ministerium præbet, ut subactio fiat desiderata, et connubium cum aqua per justum tempus sine divortio retineatur. Basin insuper suetam medicamentorum constituit (id quod de qualibet valet mucilagine), quæ superficici corporis, vel interne vel externe, sese adplicando, eam ab actione acrium defendit, acrimoniamque humorum, si quæ in iis insit, aliquantum corrigit et obtundit. In vitiis bronchiorum, pulmonum et organorum urinæ, ad su-

perficies irritatas illinendas plerumque exhibetur; ad titillationem, tussim provocantem, compescendam in catarrho et phthisi. Hinc cum opio et aliis narcoticis in diarrhæa, dysenteria et adfectionibus calculosis utilis.

MUCILAGO SEMINUM LINI.

℞. Seminum Lini usitatissimi integrorum unciam,
Aquæ communis uncias decem.

Coque leni calore, sub continua agitatione, ad remanentiam selibræ. Cola et exprime per linteum vetustum.

Olea ætherea.

Plantæ recentes (dum florent aut semina formant) aut earundem partes (ut: radices vernali tempore, cortices lignaque hiemali, flores dum perfecte explicati sunt, fructus et semina ad maturitatem perducta, sicco præsertim tempore, dum maximarum esse virium ob olei abundantiam existimantur) collectæ, interdum etiam parum, leni calore furni, super laminam metallicam siccatæ, aut etiam incidente necessitate, id est, si duræ sunt, addita aqua chloridi sodii maceratæ, conscinduntur, vel contunduntur, vel in pulverem tenuantur, atque cum aqua, igne mox ab initio operationis, ut massa ebulliat, auctiori, destillent, et quidem olea volatilia leviora e cucurbita destillatoria in balneo aquæ, ponderosiora vero e retorta in balneo arenæ posita, eousque, donec liquor in excipulum transiens colorem nactus fuerit lacteum, turbidum. Oleum separatur ab aqua, vel simplici per chartam bibulam filtratione, vel filis gossypii, quæ altero extremo in oleum, altero in lagenam excipuli collo adpensam demergunt, vel infundibulo vitreo separatorio, atque vasis, a lucis potentia munitis et rite clausis, usui servetur. Sic parantur sequentia:

OLEUM ANISI VULGARIS.

Q. Coloris sublutei; odoris fragrantissimi, semina anisi æmulantis; saporis dulciculi; frigori expositum coalescit in massam radiatam et crystallisatam.

U. Guttulæ duæ vel quatuor, saccharo instillatæ, adversus inflationem et enterodyniam flatulentam dantur. Guttulæ sex (decem) semuncia spiritus vini solutæ et clysteri additæ, in adfectionibus canalis intestinorum utilitatem promittunt.

OLEUM ARTEMISIÆ ABSINTHII.

Q. Recens viridis coloris, ætate vero fit densius, et tingitur fusco-bruneo colore; sapor aromaticus amarulentusque; odor ipsam plantam æmulans, sed fortior.

V. Nervina; stomachica; anthelminthica.

U. Convenit in languore post febres, concoctione depravata, enterodynia spasmodica, vomitu, singultu spasmisque ventriculi, et diarrhœis. In adfectionibus verminosis abdomini illitum valet, imo etiam clysteri additum ascarides in intestino recto necat.

D. A gutta ad tres.

OLEUM CARI CARVI.

Q. Coloris lutei; odoris fortis, semina cari carvi æmulantis; saporis aromatici exæstuantis.

U. Præbentur interne guttæ duæ vel tres; externe abdomini illitum adversus inflationem usurpatur.

OLEUM CARYOPHYLLORUM.

Q. Recens coloris prorsus expers, vetustum vero fit e fusco luteum; odor penetrans, caryophyllos aromaticos æmulans; sapor exæstuans, aromaticus; pondus specificum aquam distillatam superans. Phosphorus in eo solvitur facilius, quam in aliis oleis volatilibus.

U. Ob causticam indolem intus non datur, sed extrinsecus in carie ossium et sphacelo auxilium spondet; gossypio etiam exceptum atque denti carioso inditum, si nervum contigerit, eum certe destruit, limitesque cariei ponendo, odontalgiam sedat. Ast cavendum, ne crebro hujus aliorumque acrium oleorum usu dentibus noceatur.

OLEUM FŒNICULI VULGARIS.

Q. Coloris sublutei; odoris atque saporis seminibus fœniculi similis, sed fortioris; frigore coalescit, in spissitudinem butyraceam coiens.

V. Aromatica; stimulans; carminativa.

U. In variis infirmi ventris vitiis, e. g. torminibus, flatulentia, debilitate ventriculi. In clysteribus, qui adversus inflationem et spasmos sunt, una cum oleo olivarum ad scrupulum, loco consuetorum oleorum coctorum, addi potest.

D. Guttæ duæ, sex.

OLEUM JUNIPERI COMMUNIS.

Q. Est subviride; saporis acris.

V. Stomachica; diuretica.

U. Extrinsecus linimentis diureticis et nervinis utiliter additur. Saccharo ad aliquot guttas instillatum, blennorrhœam et tumorem testiculi dispulisse fertur; imo etiam helminthiasi et inflationi obponitur.

D. Guttæ duæ (ad decem) præbentur.

OLEUM JUNIPERI SABINÆ (fol.).

Q. Coloris aut prorsus expers, vel diluto-straminei; odor et sapor folia juniperi sabinæ æmulans, sed longe intensior est.

V. Eximie stimulans; lotium et sudorem movens; circuitum sanguinis incitans; suppressa menstrua revocans; abortum accelerans.

D. Gutta (vel pro re nata ad quatuor) exhibetur.

OLEUM LAVANDULÆ SPICÆ.

Q. Est coloris læte flavidi; odoris suaveolentis, flores plantæ æmulantis, sed intensioris; saporis acriculi, balsamici.

V. Nervina; hinc inservit conficiendis unguentis, quæ tali virtute prædita sunt.

D. Guttæ duæ dantur.

OLEUM MATRICARIÆ CHAMOMILLÆ CITRATUM.

Paretur, ut præcedentia; hoc tamen discrimine, ut libris sexaginta florum Matricariæ Chamomillæ olei Citri Medicæ tres unciæ in cucurbitam destillatoriam addantur, consistentiæ impertiendæ gratia.

Q. Coloris intense cærulei, odoris saporisque flores matricariæ chamomillæ æmulantis, sed multo gratioris.

V. Antispasmodica; anthelminthica.

U. In helminthiasi et spasmis, pauculis guttis exhibetur; in cardialgia vero et enterodynia drachma ejusdem combinatur succinatis ammoniæ liquidi (liquoris cornu cervi succinati) drachmis sex et hæc mistura ad guttas viginti, ter in die, cum infuso calido florum matricariæ chamomillæ datur. Junctum cum oleo fœniculi, vertebrali thecæ inunctum, dialeipyræ insultum arcebat (Forestus). Est succedaneum oleo cajeputi.

OLEUM MENTHÆ CRISPÆ.

Q. Ab initio pallide flavi, ætate profunde lutei coloris; odor fortis, herbæ menthæ crispæ similis; sapor pungens, aromaticus.

U. Saccharo instillatum datur intrinsecus a gutta ad duas; externe vero abdomini illinitur in inflatione, enterodynia, vomitu etc.

OLEUM MENTHÆ PIPERITÆ.

Q. Coloris ex viridi lutei, ætate vero fit intensioris; saporis fervidi, atque odoris fortis.

V. Carminativa; nervina.

U. Rotulas, elæosaccharum et aquam menthæ piperitæ extemporaneam ingreditur.

D. Gutta, duæ.

OLEUM ORIGANI VULGARIS.

Q. Coloris lutei; odoris suaveolentis; saporis fervidi, aromatici.

U. Gossypio instillatum et denti carioso inditum, odontalgiam sopit, imo etiam in carie ossium laudatur (Lange).

OLEUM RORISMARINI OFFICINALIS.

Q. Coloris flavescentis vel subviridis est; odor fragrans, foliis rorismarini officinalis similis; sapor aromaticus, camphoraceus. Sub lenissima evaporatione dat $\frac{1}{16}$ part. camphoræ (Proust). Ætate etiam ejus odorem acquirit (Geoffroy).

U. Nervos stimulat, inflationem levat. Guttæ duæ ad quatuor dantur.

OLEUM TANACETI VULGARIS (flor.).

Q. Color e viridi luteus; odor singularis, tanaceto vulgari similis; sapor amarus acerque.

V. Anthelminthica; aliquantulum roborans.

D. Guttæ quatuor ad sex. Infantibus abdomini illinitur; aliis etiam anthelminthicis additur.

OLEUM THYMI SERPILLI (herbæ).

Q. Coloris rubri, penetrantis gratique odoris, atque pungentis aromatici saporis.

U. Denti carioso immissum, odontalgiam lenit.

OLEUM VALERIANÆ OFFICINALIS (rad.).

Q. Recens coloris subviridis, ætate vero fit intensioris, lutei aut flavescentis; odoris penetrantis camphoracei; saporis aromatici, frigerantis.

V. Nervina; excitans; sopiens.

U. In nervorum debilitate, morbis spasmodicis, ipsaque epilepsia (Thilenius), singultu, et id genus aliis, non male adhibetur. Hypochondriacis et hystericis imprimis convenit.

D. Guttæ tres, ad octo, cum saccharo, vino aut æthere sulphurico. Aptius pilulis addi posse, existimatur (Jahn).

Olea empyreumatica.

(Olea fœtida seu adusta).

OLEUM PYRO-ANIMALE.

Oleum Cornu Cervi.

℞. Ramentorum cornu Cervi, vel
Ossium mammalium (omni pinguedine liberatorum, et in frustula redactorum) quantum lubet.

Immittito retortæ ferreæ vel fictili, furno impositæ, ut ignem apertum experiatur, cui excipulum amplum, foramine in superiori ventris parte præditum, tubo vitreo intermedio admove, atque juncturis omnibus (relicto pro lubitu aperiendo foramine) clausis, igne reverberio gradatim adaucto, destillationem institue, donec retortæ fundus candeat. Ubi adparatus ad refrige-

rium rediit, collige seorsim sal sublimatum (Sal cornu Cervi), liquorem alcalinum (Spiritum cornu Cervi) et Oleum, quæ excipulo continentur. Oleum aqua calida sic abluatur, ut nihil salini illi adhæreat. Ab aqua iterum separetur, serveturque.

V. Eadem, quæ purificati, haud raro etiam præstantior est.

OLEUM PYRO-ANIMALE PURIFICATUM.

Oleum animale Dippelii.

℞. Olei pyro-animalis quantum placet.

Infundito cucurbitæ vitreæ ope infundibuli vitrei, longo collo instructi, ne cucurbitæ latera inquinentur; tum alembico et excipulo, probe luto junctis, tamdiu lenissimo balnei arenæ calore destillet, quamdiu oleum limpidum, tenue, fuerit elicitum. Oleum hoc rectificatum sub eadem cautela novæ cucurbitæ infundito, addens quadruplum aquæ pondus, atque adplicato alembico et excipulo purissimo, blando calore iterum destillet, donec decolor, aquæ instar, adparuerit, quod illico lagenulis vitreis accurate replendis, epistomio vitreo probe firmandis atque sub aquam demergendis, immissum, usui servetur.

Q. Quum bene paratur, est pellucidum, saltem stramineum, limpidissimum; odoris penetrantis, balsamici; saporis oleosi, amariusculi, aromatici. Aceto et alcohole solvitur; accessu autem aëris in *Oleum pyro-animale fœtidum* transmutatur.

V. Excitans; antispasmodica; diaphoretica; extrinsecus resolvens.

U. Spasmi apyreti et convulsiones, ex nimia irritabilitate; hysteria (propinatis quatuor guttulis saccharo pulverato exceptis), epilepsia (guttis 30 — 40 datis,

vel cum extracto opii), catalepsis et id genus alia. In dialeipyris etiam laudatur, præsertim quæ spasmos adjunctos habent, mox ante paroxysmum, præcipue ubi frigoris stadium excedit. Externe: debilitas partium, amaurosis, tumores frigidi glandularum scirrhosi, fungi articulorum, perniones, contracturæ. Per modum clysteris: morbi spasmodici, epilepsia etc. et inungendo spinam dorsi. Huic substitui potest oleum pyro-animale fœtidum non minoris efficaciæ.

D. Guttæ quinque, quindecim ad triginta cum saccharo, vel æthere sulphurico, vel eodem alcoholisato. Pro usu externo: cum camphora, solutione saponis, vel cum quopiam pingui oleo.

Olea infusa.

OLEUM CHAMOMILLÆ INFUSUM.

℞. Florum Matricariæ Chamomillæ uncias duas,
Olei Olivarum libram.

Flores oleo superfusos leni calore macera per bihorium, spatha sæpius movendo; dein exprime, et cola.

U. Præcipue externus, forma clysteris. Abdomini illitum, flatus dissipat, tormina sedat. Sic paratur:

OLEUM HYOSCYAMI INFUSUM.

U. Præcipue externus: forma clysteris, linimenti etc. in cephalæa, enterodynia spasmodica, algemate hæmorrhoidali, dysuria, spasmis etc.

Olea expressa.

(Olea unguinosa).

OLEUM CANNABIS.

Semina matura, a heterogeneis liberata, sacculo inclusa contunduntur, et prelo frigide exprimuntur.

Q. Oleum est pellucidum, flavo-brunei coloris, interdum virescentis; saporis cannabini; odoris singularis ingratique, ad 0° R. in aëre atmosphærico exsiccatur; ardet flamma lucida parum fuliginosa.

V. Cum aliis oleis unguinosis convenit; hinc demulcens, nutriens, sopiens.

Eodem modo parantur:

OLEUM LINI.

Q. Odor et sapor olei etiam recentis aliquantum ingratus; calore rancescit.

V. Demulcens, saporem blandum concilians; extrinsecus: emolliens, obtundens.

OLEUM OLIVARUM.

Q. Coloris straminei dilutioris; odoris fere prorsus expers; saporis blandi, sub exiguo frigoris gradu coalescit in massam albam et granosam.

V. Nutriens; relaxans; involvens; saporem blandum concilians.

OLEUM PAPAVERIS.

Q. Est pellucidum, coloris flavescentis; saporis grati et blandissimi.

V. Eadem quæ olei olivarum. Omni vi narcotica caret.

OXYMEL COLCHICI.

℞. Aceti Colchici partem,
Mellis despumati partes duas.

Mixta in vase fictili, vel vitreo, leni igne ad mellis liquidi consistentiam decoque. Sit limpidum, fuscum, empyreumatis expers; saporis acris, aciduli.

D. Drachmæ duæ.

Eodem modo paretur: Oxymel Scillæ.

OXYMEL CUPREUM.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM; OXYMEL ÆRUGINIS.

℞ Acetatis Cupri sescunciam,
Aceti communis,
Mellis despumati, utriusque libram.

Solve æruginem in aceto, et per linteum cola; dein addito melle in sartagine cuprea consume ad remanentem libram.

U. Si faucium ulceribus per se admovetur, magna cura cavendum, ne deglutiatur. Si ita visum fuerit, unguento resinoso excipitur, et tum ulceribus scrofulosis et aliis refractariolis superdatur. Stimulante, exsiccante, leniter escharotica vi, phagedænæ quoque cum successu medetur.

OXYMEL SIMPLEX.

℞ Aceti communis partem,
Mellis despumati partes duas.

In vase fictili, vel vitreo, mixta coquantur ad consistentiam mellis liquidi. Limpidum sit, flavo-fuscum, empyreumatis expers; loco frigido in vasis bene obturatis servandum.

U. Interne raro solum præscribitur; sæpius misturis additum, vel potionibus, a semuncia ad uncias duas. Aqua dilutum gargarisationi inservit.

PILULÆ ALOËS.

℞ Aloës in pulverem subtilissimum tritæ,
Saponis oleacei, utriusque pares portiones,
Syrupi simplicis quantum satis, ut fiat
massa, e qua formentur pilulæ pondere granorum trium, conspergendæ pulvere lycopodii.

D. Pilulæ tres (ad octo) hora decubitus. Interdum additur myrrhæ tertia pars. In alvo cum dolore sup-

pressa sesquigranum, ad tria grana, extracti hyoscyami singulis dosibus adjiciuntur; addita autem decima grani parte tartratis stibii et potassæ (cuivis dosi), vis aloës cathartica mirum in modum intenditur; sed tum minuenda est dosis.

PILULÆ ALOËS et CAMBOGIÆ.

℞. Massæ pilularum Aloës partes tres,
Cambogiæ partem.

Misce, fiant pilulæ pondere granorum trium.

U. In alvo adstricta pilulæ duæ dantur. Si vero intentio est alvum semel vel bis movendi, tum pilulæ quatuor hora somni porriguntur.

PILULÆ BICHLORIDI HYDRARGYRI.

℞. Bichloridi Hydrargyri,
Hydrochloratis Ammoniæ, utriusque grana decem,
solve in
Aquæ destillatæ guttis aliquot; adde
Micæ panis albi drachmas tres cum dimidia.

Fiat massa, in pilulas octoginta æquales dividenda. Dentur conspersæ lycopodio.

D. Duæ ad quatuor, semel aut bis in die. Sumpta singula pilularum dosi, mucilaginosa potui danda, vis bichloridi hydrargyri corrosivæ obtundendæ causa. Interdum addere licet massæ superius indicatæ opii, vel extracti aconiti, aut conii scrupulos duos, ac tartratis stibii et potassæ grana octo, et tum osteocopis lenimen, in cutem vim medicamentosam exserendo, præstat.

PILULÆ CATHARTICÆ.

℞. Chloridi Hydrargyri,
Extracti Colocynthidis compositi,

Saponis jalapini, singulorum drachmam,
Olei Carvi guttas quindecim.

Fiat massa, e qua formentur pilulæ quadraginta quinque, conspergendæ pulvere lycopodii.

V. Cholagoga et hydragoga.

U. et D. Duæ tresve pilulæ, sumptæ pro dosi, promptissime ducunt alvum, ita quidem, ut harum beneficio, evacuata bile, multoties auferre mihi licuit morbos, certam minantes perniciem.

PILULÆ CHELIDONII COMPOSITÆ.

℞. Extracti Chelidonii majoris,
Saponis oleacei,
Ammoniaci, singulorum drachmam.

Misce, fiant pilulæ (per pondus) granorum duorum, conspergendæ pulvere lycopodii.

U. In obstructionibus viscerum abdominalium.

D. Decem ad quindecim pilulæ exhibentur.

PILULÆ CHLORIDI HYDRARGYRI STIBIATÆ.

℞. Tartratis Stibii et Potassæ grana quindecim,
Chloridi Hydrargyri,
Camphoræ, ope aliquot guttarum alcoholis in pulverem redactæ, utriusque drachmam,
Opii puri semidrachmam,
Mucilaginis Acaciæ veræ quantum satis, ut fiat massa, in pilulas sexaginta æquales dividenda, pulvere lycopodii conspergendas.

U. In myodynia rheumatica, osteocopis syphiliticis, duæ tresve pilulæ et amplius, caute adscendendo, bis de die, porriguntur.

PILULÆ COLOCYNTHIDIS FERROSÆ.

℞. Extracti Colocynthidis compositi drachmas tres,
Assæ fœtidæ,

Saponis oleacei, vel
Bilis taurinæ spissatæ,
Hydrochloratis Ammoniæ ferrosi,
Extracti Chelidonii, singulorum drachmam,
Tartratis Stibii et Potassæ grana novem,
Olei Chamomillæ guttas triginta; si opus,
Syrupi simplicis quantum sufficit.

Misce, fiat lege artis massa, in pilulas pondere granorum duorum dividenda, pulvere lycopodii conspergendas.

V. Resolventes sunt, aperientes, catharticæ, stimulo in viscera et intestina impresso, secretioni humorum, haud secus ac absorptioni, addunt calcar, lentescentis in vena portarum sanguinis transmeatum reddunt expeditiorem; ast protracto usu corpus exinaniunt, et infirmant.

U. In splanchemphraxi abdominali, infarctu intestinorum pituitoso, si indoles aut complicatio mali id postulat. Huic formulæ haud inepte chloridi hydrargyri drachma addi meretur. Post singulam dosin non male bibitur infusum specierum chamomillæ compositarum.

D. Tres pilulæ, ad sex, propinantur.

PILULÆ DIURETICO-CATHARTICÆ.

℞. Pulveris radicis Scillæ maritimæ grana tria,
» » » Jalapæ grana decem,
Chloridi Hydrargyri grana duo,
Pulveris aromatici grana quatuor.

Cum syrupo zingiberis, vel oleo terebinthinæ, vel juniperi, fiant pilulæ pondere granorum quatuor, pulvere lycopodii conspergendæ, una vice, noctibus alternis, propinandæ, et pulvis bitartratis potassæ compositus, quovis idoneo liquido solutus, mane insequenti

exhibendus. Granum opii subinde additum non erit alienum.

U. In obstructionibus viscerum abdominalium et hydrope.

PILULÆ ELATERII.

℞. Extracti Elaterii (Dr. Clutterbuck) grana quindecim,
Sulphatis Potassæ scrupulum,
Saponis medicati drachmam,
Pulveris rad. Zingiberis sesquidrachmam.

Sulphatem potassæ et Elaterium simul tere, dein cum zingibere et postea cum sapone contunde, et adde aquæ quantum sufficit, ut fiat massa, in pilulas sexaginta dividenda.

D. Una ad duas omni hora, donec plene soluta sit alvus. Vide Pulv. Elat. fæc.

PILULÆ GUAJACI COMPOSITÆ.

℞. Resinæ Guajaci partes quatuor,
Camphoræ partes duas,
Extracti Aconiti,
Polysulphureti Stibii, utriusque partem,
Alcoholis, si opus, quantum satis, ut fiant pilulæ granorum quatuor pondere.

U. Myodynia rheumatica.

D. Pilulæ duæ.

PILULÆ GUMMI-RESINOSÆ FŒTIDÆ.

℞. Assæ fœtidæ,
Myrrhæ,
Aloës,
Pulveris Juniperi Sabinæ,
Hydratis Sesquioxydi Ferri, singulorum partes quatuor.

Subige in massam cum sufficienti quantitate syrupi simplicis.

V. Tonica, antispasmodica, emmenagoga. Grana decem ad scrupulum, bis de die, porriguntur.

PILULÆ HYDRARGYRI.

℞. Hydrargyri purificati drachmas duas,
Mellis albi drachmas tres,
Extracti Glycyrrhizæ contriti drachmam.

Hydrargyrum cum melle tere, donec globuli penitus visum fugerint, deinde addita glycyrrhiza omnia simul terantur, donec corpus unum sit. E massa formentur pilulæ pondere granorum trium, pulvere lycopodii conspergendæ.

D. Grana tria, ad sex, qua alterans; novem ad quindecim alvum ducunt.

PILULÆ HYDRARGYRI cum OPIO.

℞. Unguenti Hydrargyri fortioris scrupulos quatuor,
Opii scrupulos duos,
Tartratis Stibii et Potassæ grana decem,
Resinæ Guajaci pulveratæ drachmas duas.

Terendo misce in massam homogeneam, e qua fiant pilulæ octoginta, conspergendæ lycopodio.

U. Adfectiones syphilidis secundariæ, osteocopi nocturni etc.

D. Mane pilula, ad noctem vero duæ sumantur.

PILULÆ HYDRARGYRI cum SAPONE.

℞. Unguenti Hydrargyri fortioris drachmam,
Saponis oleacei scrupulos duos,
Pulveris radicis Althææ et mucilaginis quantum satis; fiant pilulæ triginta sex, per pondus granorum quatuor, lycopodio conspergendæ.

D. Pilulæ duæ nocte dormituro, et una mane insequenti, ut alterans; largior dosis purgat.

PILULÆ NARCOTICÆ.

℞. Opii grana tria,
Extracti Hyoscyami,
» » Conii, utriusque grana duodecim.

Simul tere, ut fiat massa, in pilulas sex dividenda.

D. Sumatur pilula omni nocte.

PILULÆ NITRATIS ARGENTI FUSI.

℞. Nitratis Argenti fusi grana quinque; solve in
Aquæ destillatæ guttis quatuor; adde:
Extracti Glycyrrhizæ scrupulum.

Misce, fiant viginti æquales pilulæ, pulvere lycopodii conspergendæ.

U. Irritabilitatem et sensibilitatem minuendo, anginæ pectoris, choreæ et epilepsiæ succurrunt. Extractum lactucæ virosæ et assa fœtida apte aliquando adduntur.

D. Ab una incipiendo, gradatim quotidie augetur ad octo usque, bis terve in die, ut nempe duo grana nitratis argenti fusi singula dosi et quatuor (ad sex) grana nychthemeri spatio consumantur. Post quamvis dosin, disjunctionis nitratis argenti præcavendæ gratia, superbibenda est aqua cum guttula acidi nitrici diluti. Si nausea, vel ventriculi dolor, superveniat, salis culinaris aliquantulum ore ingerendum est.

PILULÆ PICEÆ.

℞. Picis liquidæ drachmas duas,
Pulveris extracti Glycyrrhizæ drachmas tres,
Roob Juniperi drachmam,
Pulveris radicis Althææ subtilissimi drachmas duas.

Fiat massa, e qua formentur pilulæ pondere granorum quatuor, conspergendæ lycopodio.

V. Sudorifera; diuretica; antiseptica.

U. Scorbutus, fœditates cutis, psora, herpes, tinea et cætera.

D. Pilulæ quatuor, sex, bis terve in die, superbibendo decoctum specierum guajaci compositarum.

PILULÆ RHEI COMPOSITÆ.

℞. Pulveris radicis Rhei semunciam,
Aloës drachmas tres,
Myrrhæ drachmas duas,
Saponis terebinthinati tantundem,
Olei Menthæ piperitæ guttas quindecim.

Cum syrupo zingiberis subige in massam, e qua formentur pilulæ pondere granorum trium, lycopodio conspergendæ.

U. Dyspepsia, inflatio, alvus adstricta.

D. Pilulæ quinque ad octo et amplius, bis in die, superbibendo aquam tepidam, vel infusum chamomillæ.

PILULÆ SCILLÆ.

℞. Pulveris radicis Scillæ (recens siccatæ) drachmam,
Ammoniaci contriti,
Saponis terebinthinati, utriusque sesquidrachmam.

Fiat massa, in pilulas sexaginta dividenda.

U. Hydropisis, morbi pulmonum pituitosi.

D. Pilulæ duæ, bis vel ter in die.

PILULÆ SCILLÆ COMPOSITÆ.

℞. Massæ pilularum Scillæ scrupulos duos,
» » » Hydrargyri cum Sapone scrupulum,
Opii grana tria.

Fiat massa, dividenda in viginti quatuor pilulas.

U. Ut et præcedentium; insuper in hypochondriasi commendari merentur.

D. Pilulæ tres, bis terve in die.

PILULÆ SCILLÆ FŒTIDÆ.

℞. Assæ fœtidæ drachmas tres,
Camphoræ pulveratæ grana quindecim,
Chloridi Hydrargyri scrupulum,
Opii puri grana decem,
Pulveris radicis Scillæ drachmam dimidiam,
Olei Juniperi guttas triginta.

Misce, fiat massa, e qua formentur pilulæ pondere granorum trium, conspergendæ pulvere lycopodii.

U. Eximiæ sunt in hydropisi efficaciæ, si tres ad sex pilulæ bis de die exhibeantur.

PILULÆ STRAMMONII COMPOSITÆ.

℞. Extracti Strammonii,
Lactucarii,
Assæ fœtidæ, utriusque scrupulos quatuor.

Fiat lege artis massa pro pilulis quadraginta, lycopodio conspergendis.

U. Asthma spasmodicum, hemicrania, epilepsia, mania (Barton), rheumatismus chronicus.

D. Pilula bis in die, gradatim dosin augendo, nisi aliquid incommodi acciderit.

PILULÆ SUBNITRAT. HYDRARGYRI AMMONIATI.

P. Mercurii solubilis Hahnemanni.

℞. Subnitratis Hydrargyri ammoniati drachmam,
Extracti Glycyrrhizæ drachmas duas,
Aquæ destillatæ quantum sufficit,

ut rite conterendo fiant pilulæ centum viginti, consper-

gendæ lycopodio. Interdum recte adduntur opii grana decem.

U. In syphilide, datis quatuor bis de die pilulis.

PILULÆ SULPHATIS CUPRI BIAMMONIATI.

℞. Sulphatis Cupri biammoniati semidrachmam,
Oxydi Zinci drachmas duas,
Extracti Conii maculati drachmam,
Pulveris radicis Valerianæ quantum satis,

ut fiat massa, in pilulas centum viginti dividenda, conspergendas lycopodio.

U. Chorea, epilepsia, et alia spastica vitia (non idiopathica).

D. Pilulæ duæ ad quatuor ter in die.

PILULÆ TIGLII.

℞. Olei Croton. Tiglii guttas sex,
Extracti Glycyrrhizæ scrupulum,
Saponis medicati drachmam dimidiam,
Olei Caryophyllor. guttas sex.

D. Pilulæ duæ.

POTUS ACIDI HYDROCHLORICI.

℞. Acidi Hydrochlorici officinalis drachmam,
Decocti Hordei uncias viginti,
Mellis despumati uncias duas,

vel quantum satis, ad acorem nonnihil compescendum, et gustum conciliandum.

U. Instar potus ad libitum bibitur. In typho et aliis febribus, adhibitis eodem tempore catharticis.

POTUS ACIDUS VEGETABILIS.

℞. Decocti Hordei libras duas,
Bitartratis Potassæ drachmas duas, vel quantum satis ad fluidum saturandum,
Syrupi simplicis semunciam.

U. Synocha, synochus, varicella et alii sthenici morbi. Corticis citri medicæ additamentum eundem gratiorem facit. Recte tamen huic potui substituitur posca, Ruthenis *квасъ* dicta.

PULPA PRUNORUM.

℞. Fructuum Pruni domesticæ, exemptis nucleis, quantum lubet.

Cum sufficienti quantitate aquæ bulliant ad idoneam parenchymatis mollitiem, quod per setaceum trajectum ad mellis crassitudinem evaporet, et addendo singulis libris duas sacchari uncias, leni igne ulterius inspissando, fiat pulpa.

D. A semuncia ad uncias duas, modo sola, modo cum alio medicamine, soluta in aqua aut sero lactis, jam sub forma electuarii cum aliis ingredientibus catharticis, ut bitartrate potassæ, sulphate magnesiæ, foliis cassiæ sennæ, radice jalapæ et similibus. Vices aliarum pulparum, ut: fructus cassiæ fistulæ, etc. haud mediocri œconomiæ emolumento supplet, addito imprimis bitartrate potassæ, vel acido tartarico.

PULVIS AD ERYSIPELAS.

℞. Carbonatis Calcariæ pulverati,
Farinæ Avenæ, utriusque partes æquales.

Misce.

U. Extrinsecus erysipelati, a vitiata concoctione, et a cruditatibus, diutius solito in ventriculo retentis, plerumque pendenti, nec non erythemati admovetur. Sub initium horum vitiorum plerumque antiphlogistica, præcipue cathartica, diaphoretica, refrigerantia interne sumpta, actionem vascularem et sensibilitatem inhibentia, conveniunt; procedenti vero tempore, simulac metus typhi gravioris vel gangrænæ subest, vel oppres-

sionis encephali indicia, puta: apathia, stupor etc. urgent, mala hæc, jam retrograda, rubefacientibus extrinsecus admovendis, et stimulantibus, aliisque internis pharmacis revocanda sunt. Singulis absorbentis pulveris selibris, carbonatis plumbi semuncia, et semidrachma camphoræ, addita, eundem reddunt efficaciorem, et quibusdam in casibus aptiorem.

PULVIS ALUMINIS COMPOSITUS.

℞. Aluminis exsiccati,
Binoxydi Hydrargyri,
Sulphatis Cupri, singulorum partem,
Foliorum Juniperi Sabinæ partes duas.

Fiat pulvis perquam subtilis.

V. Excitans; adstringens; rodens admodum.

U. Ulcera supercrescentia, phagedænæ, rhagades, verrucæ, psoriasis et alia similia vitia.

PULVIS ANTIHYDROPICUS.

℞. Bitartratis Potassæ unciam,
Nitratis Potassæ,
Biboratis Sodæ, utriusque drachmas duas,
Pulveris radicis Zingiberis scrupulos duos,
» » foliorum Digitalis grana octodecim.

Misce fiat pulvis, quam maxime tenuis.

V. et D. Actionem cordis et vasorum minuens; leniter alvum sollicitans; diuretica. Drachma pro dosi, bis in die.

PULVIS ANTIPHLOGISTICUS.

℞. Chloridi Hydrargyri grana quatuor,
Tartratis Stibii et Potassæ grana duo,
Nitratis Potassæ scrupulos quatuor,
Bitartratis ejusdem grana septuaginta quatuor.

Terendo misce, ut fiat tenuissimus pulvis, in doses octo, pondere æquales, dividendus.

V. et U. Actionem vascularem justo auctiorem coërcet, calorem præter solitum a febre excitatum compescit, inde inter antifebrilia medicamina enumerari meretur, et variis adfectionibus internis, non secus ac externis, febri inflammatoria comitatis, virtute organa secretoria excretoriaque movendi, qua pollet, confidenter opponendus.

D. Pulvis omni quarta hora, sæpius vel rarius, pro re nata, sumatur ex quovis spisso liquido.

PULVIS AQUAM MINERAL. *Carlsbad* ÆMULANS.

℞. Sulphatis Sodæ siccati uncias tres,
Carbonatis » » sescunciam.

Misce in pulverem, cujus drachma, ad duas aquæ libras sumatur.

V. Alvum liquans.

PULVIS AQUAM MINERALEM *Cheltenham* ÆMULANS.

℞. Sulphatis Sodæ partes centum viginti,
» » Magnesiæ partes viginti quatuor,
Carbonatis Sodæ crystallisati partes triginta sex,
Chloridi Sodii partes centum quinquaginta sex,
Sulphatis Ferri partes duodecim.

Simul contrita et probe mixta in vitro pro usu serva.

D. et U. Duæ drachmæ in aquæ tepidæ libra, partitis duabus vel tribus vicibus, summo mane, vel ante jentaculum sumptæ, efficaciter purgant, aquæ genuinæ libræ ad instar, juvante corporis exercitatione, hilari mente ac fiducia, quæ permultum conferunt genuinæ. Eximios præstat effectus in adfectionibus biliosis, alvo

adstricta, calculo biliari, et variis stomachi ac viscerum adfectionibus.

PULVIS AROMATICUS.

℞. Seminum Cardamomi,
Zingiberis concisi et contusi,
Acori Calami,
Fructus Piperis nigri, singulorum partes æquales.

Tere simul in pulverem tenuissimum, in vase bene obturato servandum.

V. Stimulans; calefaciens; peptica.

U. Dyspepsia, inflationes. Supervenientem scarlatinæ anginosæ, aliisque febribus asthenicis, alvi resolutionem, ægro discrimen minantem, vino et opio junctus, aliquando cohibet.

D. A granis decem ad scrupulum, et amplius, per se, sæpius in connubio aliorum.

PULVIS BITARTRATIS POTASSÆ COMPOSITUS.

℞. Bitartratis Potassæ semunciam,
Cambogiæ grana duo,
Pulveris aromatici grana decem.

In subtilissimum pulverem tenua, et usui serva, cui, si lubet, nitratis potassæ grana decem et radicis scillæ maritimæ grana duo, vel tria, addi possunt.

U. Hydrops anasarca, ascites.

D. Semuncia ad unciam, summo mane, ex infusi baccarum juniperi, vel decocti hordei, melle vel saccharo spissati, cyatho datur.

PULVIS BITARTRATIS POTASSÆ et DIGITALIS.

℞. Bitartratis Potassæ scrupulum,
Pulveris foliorum Digitalis purpureæ granum,
Elæosacchari Juniperi scrupulum dimidium.

Misce, fiat pulvis perquam tenuis.

V. Sedans; diuretica; cathartica; aliquando emetica.

U. Hydrops anasarca, hydrothorax.

D. A semidrachma, sensim sensimque augendo dosin ad sesquidrachmam, bis terve in die, donec pulsus arteriarum, stomachus, renes, aut alia viscera abdominis evidenter afficiantur.

PULVIS ELATERII FÆCULÆ.

℞. Elaterii fæculæ granum,
Chloridi Hydrargyri grana duodecim,
Sacchari albi scrupulos quinque.

Fiat pulvis quam maxime tenuis, in doses sex pondere æquales dividendus. Quarum danda est una ex quovis spisso vehiculo sexta quavis hora, donec medicamen in systema glandularum, renes, aut alvum vim suam manifeste diffuderit.

Si vero Elaterii pepones adhibeantur, tunc decima unius grani pars, caute adscendendo ad granum dimidium, datur. Subinde singulis dosibus scillæ pulveratæ duo grana, et pulveris aromatici tantundem addere juvat.

U. Virtute, qua pollet hydragoga, hydropi anasarcæ, hydrothoraci et præcipue ascitæ succurrit.

PULVIS GAS CARBONICUM EVOLVENS.

℞. Bicarbonatis Sodæ scrupulos duos;
detur ad chartam cæruleam.

℞. Acidi Tartarici semidrachmam;
detur ad chartam albam.

Uterque seorsim in aquæ frigidæ unciis tribus solvatur, et liquida simul commista sub ipso effervescentiæ impetu bibenda sunt.

PULVIS GUAJACI OPIATUS.

℞ Resinæ Guajaci grana decem,
Pulveris Ipecacuanhæ opiati grana quinque.
Huic interdum adduntur:
Camphoræ (ope aliquot guttarum alcoholis pulveratæ) grana quatuor,
Sacchari albi grana decem.
Pro dosi propinatur.

U. Myodynia rheumatica, astheniæ notas ferens, arthrodynia, exanthemata asthenica retropulsa.

PULVIS GUAJACI STIBIATUS.

℞ Resinæ Guajaci drachmam,
Tartratis Stibii et Potassæ granum,
Bitartratis Potassæ drachmas duas.
Misce, fiat pulvis subtilissimus.

V. Excitans; sudorem et alvum movens.

U. In myodynia rheumatica egregius.

D. A scrupulo ad semidrachmam e syrupo opiato, vel alio conveniente.

PULVIS IPECACUANHÆ OPIATUS.

Pulvis Doveri.

℞ Pulveris Ipecacuanhæ,
Opii, utriusque partem,
Sulphatis Potassæ partes octo.
Tenua in subtilissimum pulverem.

V. Excitans; sedans; eximie sudorifera; antispasmodica.

U. Myodynia rheumatica, aliive morbi a perfrictione oriundi; diarrhœa, dysenteria, hydrops, ubi suppressam cutis exhalationem provocare expedit.

D. A granis quinque ad scrupulum ex quovis spisso liquido, aut catapotii forma. Sumpto remedio nil illico

bibendum, ne vomitiones provocentur. Si loco sulphatis potassæ carbonas sodæ accipiatur, tunc præcedenti valentior erit in pertussi, præsertim præmisso vomificio quopiam stibiato, et tum pro ratione ætatis, quarta quaque hora, per aliquot dies, ex syrupo exhibetur. Si vero sub usu ejusdem alvus est compressa, eandem chlorido hydrargyri et rheo subducere juvat. Idem effectus cum tinctura opii, vino ipecacuanhæ et carbonate potassæ, habita proportionis ratione, in formula liquida commistis, produci potest.

PULVIS IPECACUANHÆ STIBIATUS.

Pulvis emeticus.

℞. Pulveris Ipecacuanhæ scrupulum,
Tartratis Stibii et Potassæ granum.

Misce, ut fiat pulvis subtilissimus, pro dosi sumendus, superbibendo affatim tepidam aquam, infusum florum chamomillæ vel centaureæ benedictæ, simul ac vomitiones fuerint provocatæ.

PULVIS JALAPÆ COMPOSITUS.

℞. Pulveris radicis Jalapæ partem,
Bitartratis Potassæ partes duas.

Misce, fiat subtilissimus pulvis, cui non inepte additur ipecacuanhæ sesquigranum ad dosin. Loco jalapæ rhei radix substitui potest.

U. et D. Alvo compressa scrupulus, semidrachma, vel duo scrupuli exhibeantur.

PULVIS JALAPÆ et CHLORIDI HYDRARGYRI.

℞. Pulveris Jalapæ grana decem,
Ipecacuanhæ grana duo,
Chloridi Hydrargyri grana tria.

Misce, fiat pulvis tenuissimus, pro dosi, e syrupo, vel melle, mane sumendus; huic interdum adduntur cambogiæ grana duo, ad sex.

V. Cathartica; anthelminthica; diuretica.

U. Alvus adstricta, hydrops, vermes intestina occupantes.

PULVIS PRO CATAPLASMATE EMOLLIENTE.

℞ Lini placentæ (id est, quæ e seminibus oleo orbatis manet) partem,
Farinæ Avenæ partes duas. Misce.

PULVIS RHEI COMPOSITUS.

℞ Pulveris Rhei,
Carbonatis Magnesiæ, utriusque scrupulum,
Tartratis Potassæ scrupulos duos,
Pulveris Ipecacuanhæ sesquigranum,
» » Aromatici grana quindecim.

In pulverem quam maxime subtilem tenua.

V. Est stomachicus; absorbens; vi stimulante alvum movens.

U. In cruditatibus, acore et inflatione infirmi ventriculi, uti et in alvi profluvio, ab iisdem proveniente, utile remedium.

D. A drachma ad totam quantitatem præscriptam ex quovis apto vehiculo. Si vim catharticam ejusdem augere placuerit, radicis jalapæ additamentum (decem granorum) erit opportunum.

PULVIS RHEI et CHLORIDI HYDRARGYRI.

℞ Pulveris Rhei grana quindecim,
Radicis Cocculi palmati grana quinque,
Chloridi Hydrargyri grana quatuor.

Misce, fiat pulvis, pro dosi e melle vel syrupo dandus, alvo adstricta, vel tribus vicibus intervallo duarum, trium, quatuor vel quinque horarum. Subinde, si huicce pulveri jalapæ grana decem addideris, multis casibus omnino aptior erit.

PULVIS SABINÆ COMPOSITUS.

℞. Foliorum Sabinæ semidrachmam,
Hydratis Sesquioxydi Ferri scrupulos quinque,
Pulveris aromatici scrupulum.

Fiat pulvis, in quinque æquales portiones dividendus.

V. Excitans; tonica; menses subsistentes vel non satis fluentes ciens; anthelminthica.

U. Hypochondriasis, dyspepsia, amenorrhœa, dysmenorrhœa.

D. Sumatur pulvis (semidrachma) bis de die. Interdum adduntur singulis dosibus: extracti aloës, et extracti myrrhæ, utriusque grana quinque, separatim vel conjunctim.

PULVIS SEDLITZENSIS.

℞. Bicarbonatis Sodæ scrupulos duos,
Tartratis Potassæ et Sodæ drachmas duas; mixtum detur ad chartam cæruleam.

℞. Acidi Tartarici grana triginta quinque,
Sacchari albi drachmam; misce; detur ad chartam albam.

D. Adhibeantur uti pulvis gas carbonicum evolvens.

PULVIS SENNÆ COMPOSITUS.

℞. Pulveris foliorum Sennæ uncias tres,
» » radicis Glycyrrhizæ uncias quatuor,
» » Seminum Cari Carvi unciam dimidiam,
Sulphuris purificati uncias duas,
Sacchari albi unciam.

Probe contrita misceantur.

D. Mane ac vesperi cochlear theanum.

PULVIS SPONGIÆ COMPOSITUS.

℞. Spongiæ tostæ scrupulum,
Chloridi Hydrargyri grana duo,

Radicis Rhei grana octo,
Hydrochloratis Ammoniæ ferrosi grana sex,
Corticis Lauri Cassiæ grana quatuor.

Misce, fiat pulvis subtilissimus.

U. Infestante struma, pulvis per septimanam bis cum tantillo cujuslibet syrupi a dormituro noctu capiatur. Præterea sumantur, ut præscriptum, trochisci spongiæ compositi, admoto emplastro ad strumam; vel unguentum bijodidi hydrargyri infricetur.

PULVIS SULPHURIS COMPOSITUS.

℞. Sulphuris purificati partes duas,
Bitartratis Potassæ partes tres,
Elæosacchari Carvi partem. Misce.

V. Leniter alvum sollicitans.

Fœditates cutis, psora, achores, non neglectis externis remediis; morbi pulmonum pituitosi, hæmorrhois

D. Drachma ad duas, e syrupo idoneo, hora decubitus. Quandoque bitartras potassæ pro re nata omittitur.

PULVIS TANACETI COMPOSITUS.

℞. Florum Tanaceti vulgaris,
Seminum Santonici, utriusque sesquidrachmam,
Sulphatis Ferri semidrachmam,
Pulveris radicis Valerianæ drachmam.

Misce, fiat pulvis, cujus scrupulus (ad duo) adversus lumbricos præcipue valet, bis de die, exhibendus. Post aliquot dies catharticon fortius propinandum est. Idem forma electuarii in usu est.

RESINA JALAPÆ.

℞. Radicis Jalapæ partem,
Spiritus Vini rectificati partes quatuor.

Jalapam, in crassum pulverem redactam, per aliquot dies cum spiritu vini digere; dein exprime et

cola per chartam; hoc ter cum nova spiritus quantitate repetes. E liquoribus colatis spiritum destillatione absume et residuo aquam tepidam (illud pondere vicies superantem) adfunde. Resinam dejectam calore lenissimo sicca.

ROOB JUNIPERI.

℞. Baccarum Juniperi recentium, maturarum, conquassatarum partes octo.

Ex sufficienti quantitate aquæ communis, donec mollescant, decoque, tunc paulum exprimantur per setaceum. Succus hinc obtentus cum parte una sacchari vel mellis, leniori calore, ad idoneam crassitudinem redigendus est.

V. Eadem, quæ baccarum juniperi communis.

D. Ad uncias duas.

ROOB SAMBUCI.

℞. Baccarum Sambuci nigræ quantum vis.

Succum expressum decapulatumque cola, et leni igne ad extracti crassitudinem evapora.

SAPO GUAJACINUS.

℞. Potassæ liquidæ partem,
Aquæ ferventis partes duas;

sub ebullitione leni (movendo massam continuo) successive inspergito:

Resinæ Guajaci pulveratæ quantum

solvi potest; dein cola, caloreque leni ad spissitudinem massæ pilularis evapora.

SAPO JALAPINUS.

℞. Resinæ Jalapæ,
Saponis oleacei, utriusque uncias duas,
Spiritus Vini quantum requiritur, ut solvantur;

dein evapora balneo vaporis ad spissitudinem massæ pilularis, ut totius massæ pondus sit unciarum quatuor cum dimidia. Sit fusco-griseus, spiritu vini solubilis.

SAPO PICEUS.

℞. Potassæ liquidæ,
Picis liquidæ, utriusque pares portiones.

Commisce picem cum potassa, lenique calore sub perpetua agitatione in sartagine ferrea coque ad crassitudinem saponis. Est semper mollis, niger.

U. Psoram, frequentius inungendo, sine aliis adminiculis sæpius curat, quod de guajacino etiam sapone valet.

SAPO STIBIATUS.

℞. Polysulphureti Stibii unciam; digerendo in
Potassæ liquidæ sufficienti quantitate solvito; in liquido dein triplici aquæ destillatæ quantitate diluto dissolve:
Saponis oleacei rasi selibram.

Leni calore ad crassitudinem massæ pilularis evaporent, addendo, si massa rubet, tantum potassæ liquidæ, quantum satis sit, ut colorem ex albido cinereum præ se ferat.

U. Ejusdem in obstructione viscerum abdominalium, adfectibus arthriticis, hæmorrhoidariis, scrofulosis, fœditatibus cutis rebellibus, non spernendus, optimeque conjungitur in pilularum formam cum resina guajaci, ammoniaco, assa fœtida, et pro re nata aliis. Utimur eo, exempli gratia, in adfectibus scrofulosis cum ammoniaco, utriusque ad drachmam, quibus duæ drachmæ extracti centaureæ benedictæ adjiciuntur, ut inde pilulæ granorum duorum coalescant, quarum duodecim mane et vesperi ingerendæ. In pseudo - syphilide et præcipue quum stases lymphæ cum herpeticis, arthriti-

cis, aliisque adfectionibus male habent, sapo stibiatus cum extracto conii, vel aconiti, camphora et scammonio, præsentaneum est remedium. Expedit quoque eundem in aqua lauro-cerasi, si præsto est, solvere, ejusque solutionis guttas viginti, gradatim adscendendo ad quadraginta, in pervicaci obstructione viscerum abdominalium (spasmis, convulsionibus, et cæteris abnormitatibus systematis nervosi stipata) administrare.

D. A quinque ad octo grana, ter de die, optime forma pilularum, datur.

SAPO TEREBINTHINATUS seu PINEO-OLEOSUS.

BALSAMUM VITÆ EXTERNUM.

℞. Terebinthinæ laricinæ partes duas,
Olei Terebinthinæ partem,
Saponis oleacei pulverati partes duas,
Carbonatis Potassæ partem dimidiam.

Exactissime commisceantur.

V. Lotium cit, uropoëtici systematis relaxationem (incitando) corrigit.

U. In blennorrhœa, ischuria asthenica, myodynia rheumatica et arthrodynia (chronica) est efficax.

SERUM LACTIS.

℞. Lactis vaccini recentis (per duodecim horas in loco frigido a cremore lactis separati) libras sex,
Bitartratis Potassæ drachmas sex, vel quantum satis sit.

In vase fictili cooperto stent per aliquot horas super calidis cineribus, donec lac dense coagulatum fuerit. Sero separato, et per linteum colato, admisce albumina trium ovorum in spumam agitando coacta. Bul-

liant paulum, serumque iterum per linteum coletur, ut evadat clarificatum.

V. Dulcescens; frigerans; alvum liquans; leniter nutriens.

U. Si durities, vel tumor, lieni vel jecinori inhærescit, et alvus inde sueto modo coacta subsequitur, prodest; cachecticis, phthisiscentibus quoque aptum. Ex eo subinde, ineunte vere, varia extracta, sic dicta resolventia, vel succi spissati, puta: taraxaci, fumariæ, graminis, cochleariæ, nasturtii aquatici, trifolii, millefolii etc. propinantur.

D. A quatuor unciis ad libram et amplius quotidie datur.

SOLUTIO ACETATIS CUPRI AMMONIATA.

℞. Acetatis Cupri drachmam,
Ammoniæ liquidæ unciam.

Misce, fiat solutio.

U. Ulcera syphilitica et similia, additis singulis aquæ frigidæ unciis, decem hujus solutionis (plus vel minus) guttis, linteum carptum, hacce aqua madidum, iisdem sæpius imponendo, curantur, præmissis, ubi ulcera recentia sunt, ne ab initio, quod fieri adsolet, irritando, virus absorbeatur, mercurialibus, vel interne per aliquot tempus sumendis, vel extrinsecus fricatione ingerendis.

SOLUTIO ACETATIS STRYCHNIÆ.

℞. Strychniæ granum,
Aceti destillati drachmam,
Aquæ destillatæ drachmas undecim. Solve.

U. In paralysi juvat drachma, bis terve in die propinata.

SOLUTIO BICHLORIDI HYDRARGYRI AMMONIATA.

Solutio Mercurii sublimati corrosivi.

(Liquori van Swietenii *æquiparabilis).*

℞. Bichloridi Hydrargyri grana sex,
Hydrochloratis Ammoniæ grana duodecim,
solve in
Aquæ destillatæ unciis undecim; adde:
Spiritus Vini rectificati unciam.

D. Drachmæ duæ (ad unciam), bis de die, ex decocti specierum guajaci compositarum unciis tribus sumuntur.

SOLUTIO BICHLORIDI HYDRARGYRI NITRICA.

℞. Bichloridi Hydrargyri scrupulum,
Acidi Nitrici diluti drachmas decem.
Fiat solutio.

V. Excitans; tonica; antiseptica; alterans; azotica.

U. Ulceribus faucium internarum, doloribus periostei, rheumatalgiæ, lepræ, ichthyosi aliisque cutis fœditatibus, et symptomatibus luis venereæ secundariis, dum hæc in exhaustis obveniunt, cum successu opponitur.

D. Guttæ decem, gradatim secundum res circumstantes adscendendo, ad viginti, bis terve in singulos dies ex decocti hordei cyatho. Notandum est, sub usu hujus solutionis infusum sarsaparillæ, vel decoctum specierum guajaci, vel ulmi campestris compositum, et id genus alia decocta tonico-diaphoretica profutura.

SOLUTIO CHLORIDI CALCII et ACETATIS CUPRI AMMONIATA.

Aqua ophthalmica cærulea.

℞. Aquæ Calcariæ uncias octo,
Hydrochloratis Ammoniæ scrupulos duos,
Acetatis Cupri grana quatuor.

Misce, et digere per viginti quatuor horas, dein per chartam cola.

U. Externus: phagedæna, palpebræ exulceratæ. Aquæ duplici quantitate diluta contra ophthalmitidem asthenicam, et maculas corneæ quondam adhibebatur.

SOLUTIO DISACETATIS PLUMBI.

Aqua Saturnina; Aqua vegeto-mineralis.

℞. Disacetatis Plumbi liquidi drachmas duas,
Aquæ destillatæ libram.

Misce. Si huic solutioni spiritus frumenti rectificati unciam addideris, *Aquam Goulardi,* vulgo dictam, habebis.

U. Commendanda est in inflammationibus, vi extrinsecus illata motis; hinc proficit in adustis, pernionibus, erysipelate a contusionibus, et sugillationibus, quæ plagas et contusiones concomitantur, nec non in variis malis topicis. In blennorrhagia pertinaci, et inflammatione testiculorum, quæ eam excipere solet, uti etiam in phimosi prodest.

SOLUTIO DISARSENITIS POTASSÆ.

Solutio arsenicalis Fowleri.

℞. Acidi Arsenicosi scrupulum,
Carbonatis Potassæ tantundem,
Tincturæ Calami guttas ducentas,
Aquæ destillatæ uncias decem.

Acidum arsenicosum et carbonatem potassæ cum aqua in vase vitreo coque, donec liquentur; liquori frigefacto adde tincturam calami, et per chartam colato adjice aquæ destillatæ quantum opus, ut pondus totius solutionis decem uncias constituat.

V. Interne tonica; externe escharotica. Ubi actio arteriarum plus æquo auctior, tussis vel proclivitas ad

phthisin pulmonalem adsit, non est ad arsenicum confugiendum. Supervenientibus sub ejus usu sensu gravitatis palpebrarum et faciei, caloris et pruritus tarsi, sensibilitate oris abnormali, supersedendum est.

U. Vide Arsenicum.

D. Hujus solutionis dentur guttæ duodecim, sensim sensimque, idque cautissime, ad triginta guttas bis in die adscendendo. Simulac aut nausea, aut vomitus (qui perraro occurrunt) provocati fuerint, aut tormina, vel alvi profluvium supervenerit, diluentes potiones interponere juvat, a medicamento vero interea abstinendum. Attenuatis viribus debilitatis medicamina (roborantia) adhibere, apyrexias tempore, expedit, ut iisdem, quæ labefactatæ fuerunt, integratis, ad præcedens remedium tuto confugiatur. Alvus, si adstricta est, liquanda congruis remediorum adminiculis, ut e. g. pilulis aloës, aliisque.

SOLUTIO HYDROCHLORATIS MORPHIÆ.

℞. Hydrochloratis Morphiæ grana octo,
Aquæ destillatæ semunciam. Fiat solutio.

D. Guttæ octo, decem, ad quindecim usque, in quovis blando liquido. Guttæ quinque $\frac{1}{10}$, decem $\frac{1}{5}$, quinquaginta vero granum continent.

SOLUTIO JODI (Lugol).

℞. Jodi scrupulum,
Jodidi Potassii scrupulos duos,
Aquæ destillatæ uncias septem. Fiat solutio.

D. Guttæ sex, bis in die. Summa cum cautela docet Lugol augere dosin ad triginta sex guttas usque.

SOLUTIO NITRATIS ARGENTI.

℞. Nitratis Argenti scrupulum,
Aquæ destillatæ semunciam.

Solve, et in vase vitreo, intercluso luminis accessu serva.

V. Tonica; antispasmodica; externe escharotica.

U. Eximius in epilepsia, primis viis prius purgatis, a guttis tribus, sensim sensimque dosin augendo, usque ad guttas triginta sex, bis de die, ex quovis blando vehiculo. Externe: ulcera sordida, aliave rebellia, linteo eadem madido marginem tangendo; aquæ autem libris tribus diluta, ulcera oris et blennorrhœam curat. Solutionis hujus guttæ quinque continent gr. $\frac{1}{4}$, viginti guttæ granum. Si vim remedii intendere lubet, nitras argenti fusus omnino præferendus est. Si autem sub usu ejus mali ominis symptomata supervenerint, salis culinaris tantillum ingerendum est, ut nitras argenti iners fiat.

SOLUTIO NITRATIS ARGENTI OPIATA.

℞. Nitratis Argenti fusi drachmam,
Aquæ communis libram,
Tincturæ Opii drachmam.

U. Ulcera luxuriante carne fœda efficacissime curat.

SOLUTIO PHOSPHORI ÆTHEREA.

℞. Phosphori granum dimidium,
Ætheris Sulphurici drachmam,
Olei Menthæ piperitæ guttas decem.

Fortiter agitando inter solvendum, in vase vitreo fiat solutio.

V. Potissimum aphrodisiaca; diuretica; excitans; hinc febribus intermittentibus, et anaphrodisiæ non male opponitur, cautissime tamen, ne inflammationem stomachi excitet.

D. Guttæ decem secunda vel tertia quavis hora.

SOLUTIO POTASSÆ CAMPHORATA.

℞. Hydratis Potassæ fusi drachmam,
Camphoræ scrupulum,
Sacchari albi unciam,
Aquæ communis libram.

U. Hac solutione ulcera callosa, inveterata, carne luxuriosa livida obducta, utiliter eluuntur.

SOLUTIO SAPONIS SPIRITUOSA.

℞. Saponis sebacei uncias quatuor,
Spiritus Frumenti rectificati libras duas.

Fiat solutio, et si opus coletur.

U. Extrinsecus: myodynia rheumatica, arthrodynia, contusio, distorsio.

SOLUTIO SULPHATIS CHINIÆ.

℞. Disulphatis Chiniæ grana centum viginti octo,
Tincturæ aromaticæ sulphuricæ semunciam,
» » Aurantiorum uncias septem et semis.

Solve.

D. Semidrachma, ad duas usque drachmas et amplius, pro re nata, ex quovis vehiculo conveniente.

SOLUTIO TARTRATIS STIBII et POTASSÆ EMETICA.

℞. Tartratis Stibii et Potassæ grana tria,
Aquæ destillatæ uncias tres. Solve.

V. Emetica, nonnunquam cathartica. Latibulante in ventriculo cruditatum colluvie, porrigenda.

D. Uncia singulis horæ quadrantibus, donec vomitiones motæ fuerint, est danda. Vide: Haustum sulphatis zinci emeticum, et haustum emeticum excitantem.

SPECIES ALTHÆÆ COMPOSITÆ.

℞. Radicis Althææ concisæ,
Herbæ Tussilaginis Farfaræ, utriusque partes tres,

Radicis Inulæ Helenii concisæ,
» » Glycyrrhizæ glabræ concisæ,
Florum Arnicæ montanæ,
Capitum Papaveris contusorum, singulorum partem.

Misce.

U. Specierum semuncia in bilibra aquæ ad selibram decoquitur, sumiturque cyathus sæpius de die in morbis pectoris.

SPECIES AMARÆ.

℞. Herbæ Absinthii,
» Menyanthidis trifoliatæ,
Radicis Gentianæ luteæ, singulorum pares portiones.

Concisæ pro infuso serventur.

SPECIES ANTISCORBUTICÆ.

℞. Turionum Pini silvestris partes tres,
Herbæ Achilleæ Millefolii,
» Absinthii,
» Menyanthidis trifoliatæ,
Baccarum Juniperi communis, singulorum partem,
Radicis Acori Calami partes duas.

U. Inserviunt ad infusum parandum, scorbuticis salutare.

SPECIES AROMATICÆ.

℞. Herbæ Absinthii,
» Origani vulgaris,
» Salviæ officinalis,
» Thymi Serpylli, singulorum partem,
» Menthæ crispæ partes duas.

Concisas misce.

U. Externe cataplasmatibus et fomentis variis, pro re nata admovendis, inserviunt, variisque morbis internis, nec non ulceribus putescentibus, cacoëtheis, sinuosis, conveniunt.

SPECIES CHAMOMILLÆ COMPOSITÆ.

℞. Florum Matricariæ Chamomillæ,
Radicis Valerianæ officinalis,
Herbæ Chenopodii Ambrosioidis, singulorum unciam,
» Achilleæ Millefolii,
Seminum Fœniculi, utriusque drachmas duas.
Concisa contusaque misce, ut fiant species,

V. Leniter peptica; antispasmodica; carminativa.

D. Semuncia pro infuso in aquæ ferventis sufficienti quantitate, ut colaturæ sit libra, pro potu.

SPECIES EMOLLIENTES.

℞. Seminum Lini partes tres,
Herbæ Salviæ,
» Malvæ rotundifoliæ,
Florum Sambuci, singulorum partes duas,
Radicis Althææ partem.
Fiat pulvis grossus.

SPECIES GUAJACI COMPOSITÆ.

℞. Rasuræ ligni Guajaci partes tres,
Radicis Bardanæ,
» » Caricis arenariæ,
» » Saponariæ, singulorum partes duas,
Stipitum Dulcamaræ partem. Misce.

SPECIES NARCOTICÆ.

℞. Herbæ Conii maculati partes duas,
» Hyoscyami partem,
» Belladonnæ partem dimidiam.
Concisas misce; fiant species.

SPECIES PECTORALES.

℞. Radicis Althææ,
Herbæ Tussilaginis Farfaræ,
» Salviæ, singulorum partes tres,
Radicis Inulæ,
» » Glycyrrhizæ,
Capitum Papaveris, singulorum partem,
Seminum Fœniculi partem dimidiam.
Concisa contusaque misceantur.

U. Specierum semuncia in bilibra aquæ bullientis ad selibram remanentem evaporet, sumiturque cyathus sæpius de die in morbis pectoris.

SPECIES PRO SUFFITU.

℞. Baccarum Juniperi partes viginti quatuor,
Benzoës,
Cascarillæ, singulorum partem.

U. Super prunas ustæ odorifera virtute suffitui idoneæ sunt.

SPECIES RESOLVENTES.

℞. Radicis Taraxaci,
» » Saponariæ, utriusque uncias duas,
Herbæ Centaurii minoris,
» » Marrubii vulgaris, utriusque unciam,
Florum Tanaceti vulgaris semunciam,
» » Matricariæ Chamomillæ sescunciam.
Concisa misce; fiant species.

U. Adhibentur pro clystere in infarctibus viscerum abdominalium, uti etiam in hypochondriasi, melancholia et aliis. Circa clysterem resolventem notare expedit sequentia: mane alvo vel sponte, vel clystere cathartico subducta, clyster hic parva quantitate injicitur tepidus, ad plenariam consumptionem retinendus. In-

fusum debet esse saturatissimum, et, ut crassioris fiat consistentiæ, cuilibet specierum unciæ furfurum triticeorum drachmæ duæ admiscendæ; quantitas vero subterdanda non debet selibram excedere, et quotidie per certum tempus injicienda est, donec porta malorum pulsata, contumacium obstructionum claustra fuerint perrupta.

SPECIES VIOLÆ TRICOLORIS et BIDENTIS TRIPARTITÆ.

℞. Herbæ Violæ tricoloris,
» » Bidentis tripartitæ, utriusque uncias tres.
Radicis Sarsaparillæ uncias sex.

Concisas et contusas misce; fiant species.

D. Coque duas uncias specierum cum tribus aquæ libris, ad remanentem sesquilibram, cola, et infantibus cochleatim, adultis vero poculum ter de die porrige. Huic pro re nata duas uncias stipitum dulcamaræ addere juvat, præsertim in morbis ossium, et fœditatibus cutaneis (Neljubin).

SPIRITUS FRUMENTI AMARUS.

℞. Foliorum Absinthii,
» » Menyanthidis trifoliatæ, utriusque semunciam,
Radicis Gentianæ drachmas duas,
Seminum Anisi drachmam,
Spiritus Frumenti libras tres.

Digere per dies tres, et per chartam cola.

V. Incitans; roborans; imbecillo ventriculo aptum.

D. Unciæ duæ vel tres, bis in die exhibentur. Si cuivis dosi addantur terebinthinæ communis guttæ decem, ad triginta, et amplius, tum cachecticis, scorbuticis, iisque, quibus, post febres intermittentes præpos-

tero consilio curatas, abdomen tumet, vel hydropisis et leucophlegmatia (infausti ominis sequelæ) superveniunt, aptius fit, ut id haud æquivoca docet experientia.

SPIRITUS FRUMENTI ANTISCORBUTICUS.

℞. Specierum antiscorbuticarum sescunciam,
Spiritus Frumenti libras tres.

Digere per dies tres, et cola.

U. Ut et præcedentis; scorbuticis tamen hoc adcommodatius.

SPIRITUS JUNIPERI COMPOSITUS.

℞. Fructus Juniperi contusi libram,
Radicis Armoraciæ recentis contusæ sesquilibram,
Radicis Calami,
Seminum Carvi,
» » Fœniculi, singulorum contusorum uncias duas,
Spiritus Vini,
Aquæ communis, utriusque libras octo.

Misce, tum lento igne destillent libræ novem.

U. et D. Drachmæ duæ, ad unciam usque, exhibentur cum quolibet infuso diuretico, vel aromatico, bis aut ter in die, in hydrope et scorbuto.

SPIRITUS VINI AMMONIATUS.

Spiritus Salis ammoniaci vinosus.

℞. Ammoniæ liquidæ partem,
Alcoholis purissimi partes duas.

Misce, et obturata probe lagena serva.

V. Excitans; antispasmodica; sudorifera; interdum pituitam et lotium movens.

U. Morbi asthenici: paralysis, lethargus, asthma pituitosum, hysteria. Adversus serpentum morsum majoribus dosibus externe et interne conducit.

D. A decem guttis, ad drachmam, in quovis vehiculo aquoso, vel vinoso.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

℞. Camphoræ unciam dimidiam,
Spiritus Frumenti purificati libram.

Misce, ut in vase clauso solvatur camphora.

Fit quoque cum duplici vel triplici camphoræ quantitate, si necessitas inciderit.

U. Externe (irritando et discutiendo) adversus myodyniam rheumaticam, torporem paralyticum, tumores frigidos, inflammationes asthenicas, ecchymoses, ad gangrænam præcavendam, vel progressum ejus sistendum, præsidio est.

SPONGIA CERATA.

℞. Spongiæ officinalis quantum vis.

Ab heterogeneis adhærentibus probe purgatam coctione sufficienti, aqua communi lotam, dein perfecte siccatam, cera flava liquefacta imbue, et inter folia chartæ ceratæ fortiter expressam in portiones variæ magnitudinis et formæ concide, usuique serva.

U. Olim adhibebatur pro turundis ad dilatanda angusta ulcerum et fistularum orificia; nostris tamen temporibus praxis hæc pro derelicta merito habetur.

SPONGIA TOSTA.

Carbo Spongiæ.

℞. Spongiæ officinalis, quæ necdum lota fuerat, quantum vis, eamque in parva frustula dilaceratam a heterogeneis purga, dein in sacculo ex linteo raro concussam ab adhærente pulvere libera; sic paratam torre in vase ferreo clauso igne leni, donec fusco-nigrum colorem induat; tum exemptam in pulverem redige, et in vasis probe clausis usui serva.

V. Solvens.

U. Laudatur imprimis in tumore glandulæ thyreoideæ, glandularum mesaraicarum obstructione, ac plerisque omnibus scrofulæ speciebus. Jodo, quod continet, prodest.

D. A scrupulo ad drachmam, bis terve in die cum saccharo aut aliis datur, forma pulveris, vel in trochiscis.

SUCCUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS.

℞. Succi radicis Cochleariæ Armoraciæ bilibram,
» herbæ Veronicæ Beccabungæ,
» » Sisymbrii Nasturtii,
» » Fumariæ officinalis, singulorum libram,
» fructus Citri Aurantii uncias viginti,
Tincturæ Acori Calami selibram.

Misce; cum fæces subsederint liquorem effundito et cola.

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica; persæpe alvum leniter sollicitans.

D. Ab uncia ad duas, vel quatuor, bis terve in die, in cachexia, scorbuto, etc. datur.

SUCCUS OXYCOCCI NITRATUS.

℞. Nitratis Potassæ unciam,
Succi baccarum Vaccinii Oxycocci libram.

Misce; huic, si lubet, duas vel tres tincturæ acori calami uncias utiliter addes.

V. Refrigerans; actionem cordis et micatus arteriarum minuens; parum diuretica; antiseptica; majoribus dosibus antiscorbutica esse, fertur.

U. In morbis inflammatoriis haud inefficax.

D. Uncia ad selibram partitis portionibus quotidie datur. Patterson usque ad libram per diem optato

cum successu propinavit. Ubi nauseam, enterodyniam et oppressionem ventriculi producit, tum camphoræ gr. 1 — 4 singulis dosibus addi debet. Succus oxycocci, vel fructus citri medicæ, aceto, a PATTERSON commendato, in scorbuto præferri meretur. Externe lotionis forma in ecchymosi crurum utilitatem promittit.

SULPHAS CUPRI ALUMINATUS COMPOSITUS.

LAPIS DIVINUS.

℞. Sulphatis Cupri,
Supersulphatis Aluminæ et Potassæ,
Nitratis Potassæ, singulorum unciam;
misce, et liquefac calore auctiori; sub finem adde:
Camphoræ tritæ drachmam dimidiam. Misce.

U. Collyriis parandis inservit.

SYRUPUS CITRI AURANTII.

℞. Corticis flavi Citri Aurantii selibram,
Aquæ communis fervidæ libras tres;
per biduum in vase clauso macerentur; tum colaturæ addito:
Sacchari albi libras quatuor, ut fiat syrupus.

SYRUPUS DIACODII.

℞. Capitum Papaveris somniferi mediocriter maturarum, siccatarum contusarumque selibram,
Aquæ ferventis bilibram.

Macera per duodecim horas, et dein leniter coque, ut liquoris inde expressi et colati supersit libra, cui adde:
Sacchari albi bilibram.

Unica ebullitione fiat syrupus, colandus, usuique servandus.

SYRUPUS SIMPLEX.

℞. Aquæ communis bilibram,
Sacchari albi libras tres et semis.

Coque leni igne, et cola.

U. Decocta, infusa, misturæ, haustus eo edulcorantur. Ad formandas quoque pilularum massas adhibetur.

SYRUPUS VEGETABILIS.

℞. Radicis Arctii Lappæ recens concisæ unciam,
» » Leontodontis Taraxaci,
» » Glycyrrhizæ,
Herbæ Menthæ pip., singulorum semunciam,
Foliorum Sennæ drachmas sex,
Aquæ communis libras tres,
Sacchari albi libram.

Lege artis coquendo, fiat syrupus.

SYRUPUS ZINGIBERIS.

℞. Radicis Zingiberis sescunciam,
Aquæ communis sesquilibram,
Spiritus Vini libram,
Sacchari albi libras tres et semis.

Radicem concisam digere, vase leniter clauso, in spiritu vini per nychthemeron, dein colato liquori adde contritum saccharum, ut fiat syrupus. Et aromate suo, et gratia, quibus se commendat, merito præfertur cæteris.

TINCTURAE.

Tincturæ quælibet in vasis vitreis, ope vesicæ acu perforatæ clausis, calore circiter 40° R., et inter digerendum sæpius conquassando, parandæ sunt, nisi aliter præscriptum fuerit. Quidam pharmacopolæ plerisque omnibus tincturis carbonatis potassæ tantillum addere consueverunt, id quod, ad colorem impertiendum utile est; resolutioni tamen tincturarum ansam suppeditans, prorsus repudiandum. Notari insuper meretur, omnes tincturas, infusaque omnia, sub prelo pneumatico citius meliusque posse parari.

TINCTURA ACETATIS FERRI ÆTHEREA.

Tinctura Klaprothi.

℞. Hydratis Sesquioxydi Ferri recens parati, et adhuc humidi, partem.

Sub continua agitatione in mortario vitreo calore lenissimo, adde:

Acidi Acetici partes tres.

Solutione insequuta liquidum per chartam cola, et

℞. Hujusce Acetatis Ferri liquidi partes novem,
Spiritus Acetico-ætherei partem,
Alcoholis purissimi partes duas. Misce.

D. Guttæ quindecim ad triginta bis in die.

TINCTURA ACONITI.

℞. Foliorum Aconiti paniculati, recens siccatorum et contusorum, partem,
Spiritus Vini rectificati partes duodecim.

Macera in vase clauso per hebdomadem, sæpius agitando, et per chartam bibulam cola.

D. Propinetur a guttis decem, gradatim adscendendo, ad quadraginta usque. Sæpius, pro ratione medendi, antimonialibus nubitur, chlorido hydrargyri, camphoræ, guajaco, aliisque.

TINCTURA ACORI CALAMI.

℞. Radicis Acori Calami concisæ sescunciam,
Spiritus Vini rectificati libram.

Digere leni calore per triduum, dein tincturam exprime, et per chartam cola.

Eodem modo parentur: Tinctura Assæ fœtidæ, T. Cinchonæ, T. Citri Aurantii, T. Digitalis, T. Humuli Lupuli, T. Kino, T. Myrrhæ, T. Scillæ.

50

TINCTURA AROMATICA.

℞. Pulveris aromatici uncias duas,
Spiritus Vini rectificati libras duas et semis.
Digere per hebdomadem et cola.
D. A drachma ad semunciam præbetur.

TINCTURA AROMATICA SULPHURICA.

(Elixir Vitrioli MYNSICHTI *suppar.)*

℞. Corticis Lauri Cassiæ semunciam,
Zingiberis sescunciam,
Spiritus Vini rectificati libras duas.
Digere lenissimo calore in vase clauso per septimanam; colaturæ adde guttatim:
Acidi Sulphurici officinalis unciam.
Cola per chartam bibulam.

U. Imbecillo stomacho, notis lentæ febris stipato, post febres intermittentes conducit, propinatis decem ad triginta guttis, in convenienti aquæ quantitate.

TINCTURA BELLADONNÆ.

℞. Foliorum Belladonnæ siccatorum unciam,
Spiritus Vini rectificati libram.
Macera per dies tres in vase vitreo clauso, ter in dies agitando, et cola.

U. In neuralgia, epilepsia, mania, melancholia, pertussi, interne et externe adhibetur.

D. Tincturæ belladonnæ guttæ octo; dosis sensim sensimque, idque cautissime augenda est, donec effectus remedii manifestetur. Alcalia sub hujus tincturæ usu vitanda sunt.

TINCTURA CANTHARIDUM ACETICA.

℞. Cantharidum in pulverem tritarum unciam,
Acidi Acetici libram.

Macera in vase clauso per dies octo; dein exprime, et cola.

U. Linteum hac tinctura madefactum superdetur parti, ubi cuticula in vesicam extollenda est.

TINCTURA CAPSICI ANNUI.

℞. Capsici annui unciam,
Spiritus Vini rectificati libram.

Digere in cucurbita vitrea, subinde agitando, per dies tres; tincturam refrigeratam exprime, et cola.

U. et D. Tinctura hæc cum successu exhibetur a guttis duodecim ad guttas triginta in nostalgia, tympanitide, cynanche maligna, nec non in ultimo typhi maligni stadio. Vide Gargarisma ejusdem.

TINCTURA CATECHU COMPOSITA.

℞. Extracti Catechu semunciam,
Corticis Lauri Cassiæ tantundem,
Spiritus Vini rectificati libram.

Macera per dies duodecim, et per chartam cola.

U. Tinctura hæc, principium scytodepsicum et materiem extractivam solutam continens, grata est, nonnihil calefaciens, omnibus casibus, ubi adstringentia indicantur, commendabilis. Pro varia medendi ratione, vel cum narcoticis, irritabilitate intestinorum plus æquo urgente, jungitur, vel, ubi excretionem serosam nimiam cohibere expedit, cum aliis ejusdem prosapiæ remediis, absorbentibus, tonicis, nec non diaphoreticis copulatur. Cave tamen, ne cum opii salibus eam misceas, vel ipecacuanha; morphia enim, pariter ac emetina ad fundum trahuntur tannino.

D. Drachma ad tres, ex aqua, vino, vel alio idoneo vehiculo.

TINCTURA CINCHONÆ COMPOSITA.

℞. Tincturæ Cinchonæ sesquilibram,
» » Acori Calami,
» » Citri Aurantii, singulorum uncias tres.

Misce.

D. Drachma ad tres, per se, vel in quovis convenienti liquido. *Tincturæ Whytii*, in privatis obtentæ officinis, subpar.

TINCTURA CHLORIDI FERRI.

Tinctura Ferri muriatici oxydulati.

℞. Chloridi Ferri crystallisati unciam, solve in Spiritus Vini rectificati unciis septem.

Cola per chartam.

D. Guttæ viginti ad triginta bis quotidie.

TINCTURA COCCULI PALMATI.

℞. Radicis Cocculi palmati unciam,
Spiritus Vini rectificati libram.

Macera per dies quatuordecim, et cola.

D. Drachma ad semunciam.

TINCTURA COLCHICI.

℞. Bulbi Colchici recentis contusi uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati uncias sex.

Macera per septimanam; sit colatura e flavo-fusca unciarum sex.

U. Rheumatismus et podagra.

D. Guttæ triginta ad drachmam et amplius.

TINCTURA CONII MACULATI.

℞. Foliorum Conii exsiccatorum uncias duas,
Cardamomi minoris contusi semunciam,
Spiritus Vini rectificati uncias sedecim.

Digere per septem dies, et per chartam cola.

Eodem modo paretur: Tinctura Hyoscyami et Tinctura Seminum Stramonii.

D. Semidrachma ad integram.

TINCTURA GENTIANÆ COMPOSITA.

℞. Pulveris radicis Gentianæ luteæ,
» » Calami, utriusque unciam,
Fructus Citri Aurantii immaturi,
Pulveris aromatici, utriusque drachmam,
Spiritus Vini rectificati sesquilibram.

Digere per quatriduum, et colatam servato.

D. A semidrachma ad duas drachmas commode datur.

TINCTURA GRATIOLÆ OFFICINALIS.

℞. Herbæ Gratiolæ officinalis siccatæ unciam,
Radicis ejusdem incisæ et contusæ semunciam,
Vini Hispanici (Xeres) uncias sedecim.

Digere leni calore per dies octo, et cola.

V. Purgans; emetica; emmenagoga; anthelminthica; sopiens.

U. Podagra (nam Dr Reece existimat, gratiolam esse basin *Aquæ medicatæ Hussonii)*, icterus, ascarides, rheumatismus, asthma. Sunt qui radicem loco ipecacuanhæ in dysenteria adhibendam suadeant; alii vero gentianæ nuptam quartanæ febri opponere velint.

D. Guttæ quadraginta quinque ad drachmam ex jusculo bovillo, sæpius vel rarius ita, ut alvus liquida et levis nausea sustineantur.

TINCTURA GUAJACI.

℞. Resinæ Guajaci contritæ selibram,
Spiritus Vini rectificati libras tres.

Macera per dies quatuordecim, et cola.

D. A drachma ad tres in idoneo vehiculo. Si haustus forma propinari oportet, ne ab aqua separetur, cum vitello ovi, vel mucilagine, prius trituranda est.

TINCTURA GUAJACI AMMONIATA.

℞. Resinæ Guajaci uncias tres,
Spiritus Vini ammoniati sesquilibram.

Misce, et macera per dies quatuordecim, sæpius agitando, tandem per chartam cola.

D. Drachma ad duas, mane et vesperi, e quovis liquido mucilaginoso datur. Præcedenti efficacior est.

TINCTURA JODI.

℞. Jodi scrupulos duos,
Alcoholis purissimi unciam.

Solve in vitro, et liquorem limpidum in vase vitreo exacte clauso serva.

D. Guttæ decem (in se semigranum habentes) ad triginta sex caute adscendendo, ex syrupo simplici.

TINCTURA JODI COMPOSITA.

℞. Jodi unciam,
Jodidi Potassii uncias duas,
Spiritus Vini rectificati uncias quadraginta.

Solve et cola.

D. Guttæ triginta (semigranum jodi et jodidi potassii granum continentes) ex syrupo.

TINCTURA LACTUCÆ VIROSÆ.

℞. Lactucæ virosæ foliorum exsiccatorum unciam,
Spiritus Vini rectificati uncias decem.

Macera per dies quatuordecim.

D. Guttæ viginti ad drachmam.

TINCTURA NUCIS VOMICÆ.

℞. Nucis vomicæ pulveratæ uncias duas,
cucurbitæ immissæ adfunde:
Spiritus Vini rectificati libram.

Digere per dies octo, sæpius conquassando, dein exprime et cola.

D. Guttæ quadraginta. Paralysis, dysenteria, pyrosis, urinæ incontinentia, epilepsia.

TINCTURA OPII.

Tinctura Thebaica.

℞. Opii pulverati unciam,
Spiritus Vini rectificati libram.

Digere leni calore per triduum, exprime, et cola.

D. Guttæ viginti (granum), ad quadraginta guttas in quovis vehiculo idoneo, per se, vel in connubio aliorum, quæ effectum ejus intendunt, vel morantur, vel mutant, vel temperant, adposite exhiberi possunt.

Eodem modo parantur: Tinctura Cantharidum et Tinctura colocynthidum.

TINCTURA OPII ACETATA.

℞. Opii pulverati partem,
Spiritus Vini rectificati,
Aceti destillati, utriusque partes sex.

Macera leni calore per triduum, expressumque cola.

D. Guttæ quinque ad decem.

TINCTURA OPII AMMONIATA.

℞. Opii pulverati semunciam,
Olei Anisi drachmam,
Spiritus Vini ammoniati uncias triginta duas.

Macera frigide per septimanam, et per chartam cola. Drachma (100 guttæ) granum circiter opii continent.

D. A guttis triginta ad drachmam datur.

TINCTURA OPII CAMPHORATA.

℞. Opii pulverati,
Camphoræ,

Olei Anisi, singulorum drachmam,
Spiritus Vini rectificati bilibram.

Digere per quatriduum lenissimo calore, et cola. Semuncia tincturæ hujus (mensura) continet granum circiter opii.

D. A guttis triginta ad drachmam, et duas, exhibetur. Addita tertia parte tincturæ scillæ, egregium aptumque fit tussi catarrhoque incipienti medicamen. Addita acidi benzoici drachma, fiet Elixir Paregoricum a Britannis usitatum.

TINCTURA POTASSÆ.

℞. Hydratis Potassæ fusi, recens parati, uncias duas,
Alcoholis purissimi libram.

Potassam, in ferreo calente mortario in pulverem tenuatam, immittito alcoholi, in cucurbita leviter calefacto.

Q. Tinctura hac ratione obtenta est rubicunda. Interdum singulis ejusdem unciis addere licet scrupulum olei cari carvi vel olei anisi.

U. In hypochondriasi, colluvie primarum viarum pituitosa, incipiente hydropisi, scrofulis, rachitide, urolithiasi, arthrodynia, podagra, scirrho, herpete, blennorrhœa, ulceribus canceraticis, leucorrhœa etc.

D. A decem ad viginti, quadraginta, imo etiam sexaginta guttas, uncia aquæ destillatæ diluendas, porrigitur.

TINCTURA RHEI AMARA.

℞. Pulveris radicis Rhei unciam,
» » » Gentianæ luteæ drachmas duas,
» » » Zingiberis drachmam,
Spiritus Vini rectificati uncias quindecim.

Digere per dies septem, et per chartam cola.

D. Semuncia (ad sescunciam) præbetur. Interdum præcedenti additur aloës semuncia et tum habebis *Tincturam Rhei* et *Aloës* sic dictam, cujus semuncia ad unciam propinatur, si alvum ducere lubet; quibus vero ea habitualiter adstricta est, iis minores doses quotidie aptiores sunt.

TINCTURA RHEI VINOSA.

(Tincturæ Rhei Darelii *suppar).*

℞. Radicis Rhei,
» » Inulæ Helenii, utriusque uncias duas,
Corticis Citri Aurantii semunciam,
Cardamomi drachmas duas,
Vini Malacensis libras duas.

Digere per triduum, liquori expresso adde:
Sacchari albi uncias tres. Misce.

U. Propter saporem gratum infantibus præcipue dicatur, debili ventriculo ægris.

D. Guttæ viginti ad triginta, bis, ter, quaterve de die; largior dosis ventrem laxat. Adultis semuncia ad unciam pro dosi datur, e vino vel aqua.

TINCTURA SENNÆ COMPOSITA.

℞. Foliorum Sennæ unciam,
Radicis Jalapæ pulveratæ semunciam,
Seminum Cari Carvi,
Radicis Zingiberis, utriusque drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati uncias viginti.

Digere per dies septem, et tincturæ colatæ addito:
Sacchari albi uncias duas.

D. E quovis vehiculo apto ad semunciam (vel in connubio aliorum, præsertim salium neutrorum, eadem virtute pollentium) exhiberi cum fructu potest.

TINCTURA SESQUICHLORIDI FERRI ÆTHEREA.

Tinctura tonico-nervina Bestuschevi.

℞. Sesquichloridi Ferri liquidi partem,
Alcoholis purissimi,
Ætheris Sulphurici, utriusque partes duas.

Sesquichloridum ferri liquidum cum alcohole misce et in vase clauso sepone per duo nychthemera, tum per chartam cola et adde ætherem sulphuricum.

V. Est excellens antiasthenicon, leniter adstringens, quod in omnibus adhiberi potest casibus, ubi roborantia medicamina e re fore existimantur, et quidem, a guttis decem ad viginti, bis terve in die.

TINCTURA STRYCHNIÆ.

℞. Strychniæ grana tria,
Alcoholis purissimi unciam.

D. Guttæ sex ad viginti ex haustu quolibet sive potu ordinario. Sumpto medicamine hoc ab omnibus acidis abstinendum, ne ejus vis nimium intendatur.

TINCTURA VALERIANÆ ÆTHEREA.

℞. Pulveris radicis Valerianæ unciam,
Spiritus Sulphurico-ætherei uncias octo.

Macera vase clauso sine calore per dies septem, et per chartam cola.

V. U. et D. Ut ætheris sulphurici; præstantior tamen est hæc quibusdam in casibus.

TINCTURA VALERIANÆ AMMONIATA.

℞. Radicis Valerianæ uncias duas,
Spiritus Vini ammoniati libram.

Macera frigide, vase clauso, per quatriduum, dein cola.

U. Morbi spasmodici, epilepsia etc.

D. Drachma ad tres ex vehiculo idoneo porrigitur.

TROCHISCI SPONGIÆ COMPOSITI.

℞. Spongiæ tostæ uncias duas,
Pulveris gummi Acaciæ veræ drachmas duas,
» » corticis Lauri Cinnamomi semidrachmam,
Syrupi Zingiberis quantum satis, ut fiat massa, longiori lentaque trituratione, addito sensim sensimque syrupo, subigenda, e qua formentur trochisci viginti quatuor.

U. Quotidie trochiscus, summo mane, est continendus ore, donec solutus fuerit, dein sensim devorandus. Præterea subsidiariam opem ferent: pulvis spongiæ compositus, emplastrum ad strumam, et unguentum bijodidi hydrargyri.

UNGUENTUM ACETATIS CUPRI COMPOSITUM.

℞. Acetatis Cupri,
Oxycarbonatis Zinci,
Camphoræ, singulorum drachmas sex,
Oxydi Zinci drachmam,
Adipis suillæ purificatæ uncias octo.

Conterendo examussim longiori tempore, fiat lege artis unguentum.

U. In blepharophthalmia chronica, trichiasi etc. palpebras (noctu dormituris) inungendo, aptum est; illi, quod Londini *Smellome's ointment* nomine insignitur, vix non æquiparabile.

UNGUENTUM ACIDI ARSENICOSI.

Unguentum Oxydi Arsenici albi.

℞. Acidi Arsenicosi subtilissime pulverati drachmam,
Adipis suillæ drachmas duodecim, vel
Unguenti simplicis tantundem.

Misce exactissime; fiat unguentum, ulceribus carcinomatosis semel quotidie illiniendum, caute tamen, ne ab usu justo protractiori sorptum, systemati nervoso ac toti organismo damno sit. Lotio ex acidi arsenicosi et carbonatis potassæ, singulorum granis octo, et aquæ destillatæ unciis quatuor constans, iisdem fere qualitatibus pollet.

UNGUENTUM BIJODIDI HYDRARGYRI.

℞. Bijodidi Hydrargyri drachmam dimidiam,
Ceræ flavæ drachmas duas,
Adipis suillæ purificatæ drachmas sex.

Ceræ et adipi simul liquefactis adde bijodidum hydrargyri, in pulverem subtilissimum tritum, et misce.

UNGUENTUM BINOXYDI HYDRARGYRI.

Unguentum Mercurii præcipitati rubri.

℞. Unguenti simplicis semunciam,
Binoxydi Hydrargyri subtilissime pulverati grana decem.

Misce exactissime. Interdum oxydum zinci, vel opium, huic adduntur.

U. Ubi pannus oculi inveteratus sit, unguentum hoc ope penicilli, vel pennæ columbinæ, oculo caute illinitur. A minori tamen incipiendo, quantitas binoxydi hydrargyri successive augeri potest, exigente id mali pertinacia. Interdum leucomata, et staphylomata spuria, proptosis corneæ (rarius iridis simul) obfuscatæ, deformiter propendentis, at integræ, nec ruptæ, nec exesæ, a morbose collecto humore distentæ, hoc unguento debellata perhibentur. Infantibus neonatis, quibus subinde a mitiore ophthalmitidis gradu pannis teguntur oculi, ita adhibetur hoc unguentum, ut resupinatis cantho (ob clausas firmiter palpebras) interiori admoveatur.

UNGUENTUM HYDRARGYRI FORTIUS.

Ung. Hydrargyri cinereum; Ung. Mercuriale; Ung. Neapolitanum.

℞. Hydrargyri purificati libras duas,
Adipis suillæ purificatæ uncias viginti duas,
Sevi bovilli purificati, vel potius
Unguenti Hydrargyri vetusti, uncias duas.

Hydrargyro cum sevo (vel cum unguento vetusto, si præsto sit) et pauxillo adipis in mortario lapideo probe trito, donec globuli evanuerint, admisce reliquias adipis. Unguentum hoc est valens, dum per frictionem juxta decursum vasorum lymphathicorum internis femoribus, cruribus brachiisve admovetur; perfacile enim absorbetur et interiora penetrat. Sed ut hydrargyrum oxydetur, multum temporis insumendum est triturationi. Procedenti tempore fit fortius et rancidum, formatione imprimis acidi steatici, plus oxydationis metallo impertientis.

D. Drachma (triginta hydrargyri grana continens) pro frictione, mane et vesperi, propria ægri manu instituenda, sufficit.

UNGUENTUM HYDRARGYRI MITIUS.

℞. Unguenti Hydrargyri fortioris partem,
Adipis suillæ purificatæ partes duas.

Misce exacte. Singula hujus drachma decem grana hydrargyri continet.

UNGUENTUM HYDROCHLORATIS AMMONIÆ cum BINOXYDO HYDRARGYRI.

Unguentum Mercurii præcipitati albi.

℞. Mercurii præcipitati albi unciam,
Adipis suillæ purificatæ uncias octo.

In mortario vitreo exacte misceantur.

UNGUENTUM INULÆ.

℞. Radicis Inulæ Helenii pulveratæ selibram,
Aquæ communis libram.

Coque ad consistentiam pultis; dein probe movendo adde:

Adipis suillæ purificatæ selibram, et coque simul leni igne (donec omne humidum avolarit), ut fiat unguentum.

U. In fœditatibus cutis, psora, herpete etc., partes adfectas omni vespere inungendo, est efficax.

UNGUENTUM JODI.

℞. Jodi semidrachmam,
Jodidi Potassii drachmam,
Spiritus Vini tantundem,
Adipis suillæ purificatæ uncias duas.

Jodum et jodidum potassii cum spiritu primum contere, dein, addita adipe, misce.

UNGUENTUM MEZEREI CUPRINUM.

℞. Corticis Mezerei contusi unciam,
Lyttæ vesicatoriæ contusæ drachmas duas,
Olei Olivarum uncias tres.

Digere in vase vitreo leviter clauso per viginti quatuor horas: per linteum densius cola tres uncias, in quibus leni calore liquefac:

Ceræ flavæ uncias duas; dein adde:
Terebinthinæ communis semunciam,
Acetatis Cupri in pulverem subtilissimum triti drachmas duas.

Misce exactissime, ut fiat unguentum, fonticulis peridoneum.

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI.

Unguentum Hydrargyri citrinum.

℞. Hydrargyri purificati partem,

Acidi Nitrici officinalis partes duas,
Adipis suillæ purificatæ partes tres,
Olei Olivarum partes novem.

Hydrargyro cum acido super arenam calidam rite digesto, fiat solutio, quæ adhuc calens cum adipe et oleo, simul liquefactis, commisceatur, denuoque frigescens in mortario vitreo probe subacta unguentum exhibet. Haud dispari ratione cum duplici adipis quantitate fit Unguentum Nitratis Hydrargyri mitius.

U. Unguentum hoc excitante et exsiccante vi pollet; hinc in ulceribus herpeticis, porrigine, psoriasi et aliis cutis fœditatibus auxilium adfert. Mitior unguenti species, infantibus ophthalmia, tarso exulcerato, aut ophthalmia purulenta laborantibus magis convenit.

UNGUENTUM OXYDI ZINCI.

℞. Oxydi Zinci drachmam,
Unguenti simplicis drachmas novem.

Exactissime misceantur, ut fiat unguentum, fere eidem usui, ac ceratum e lapide calaminari, inserviens; imprimis vero ophthalmiæ chronicæ curandæ idoneum.

UNGUENTUM OXYGENATUM.

℞. Adipis suillæ purificatæ recentis uncias octo,
Acidi Nitrico-Nitrosi unciam.

Adipi in vase vitreo calore leni liquefactæ paulatim adfunditur acidum, sub continua agitatione bacillo vitreo; ebulliente massa vas ab igne removetur, ut eadem frigescat. Dum hæc fiunt acidum resolvitur: oxygenium adipi jungitur, nitrogenio avolante.
Vase clauso obscuroque loco servetur.

U. Indurationibus glandularum, ulceribus syphiliticis, herpeticis, psoræ etc. extrinsecus admotum, est efficax.

UNGUENTUM PICIS NIGRUM.

Unguentum Basilicum.

℞. Picis solidæ uncias duas,
Ceræ flavæ unciam,
Adipis suillæ uncias tres.

Liqua leni calore, et in unguentum refrigera.

UNGUENTUM PICIS SULPHURATUM.

℞. Sulphuris citrini pulverati,
Saponis picei mollis,
Adipis suillæ purificatæ, singulorum pares portiones.

Commisceantur, ut fiat *Unguentum antipsoricum.*

UNGUENTUM RESINÆ FLAVUM.

(Balsamo Arcæi *succedaneum).*

℞. Adipis suillæ purificatæ,
Colophonii,
Ceræ flavæ,
Olei Olivarum, singulorum partem.

Misce; colliquefiant lege artis in unguentum.

UNGUENTUM SIMPLEX.

℞. Adipis suillæ purificatæ partes quatuor,
Ceræ flavæ partem.

Commista liquefiant in unguentum. Si singulis ejusdem liquefactis, et jam frigescentibus unciis addideris tincturæ lyttæ drachmas duas, vel semunciam, erit egregium stimulans unguentum, fonticulis et fricationi paralyticorum adcommodatissimum.

UNGUENTUM STIBIATUM JENNERI.

℞. Tartratis Stibii et Potassæ drachmas duas,
Unguenti simplicis drachmas novem,
Sacchari albi drachmam,
Bisulphureti Hydrargyri grana quinque.

Fiat unguentum. Eundem effectum præbet unguentum e tartrate stibii et potassæ cum adipe suilla et saccharo compositum.

UNGUENTUM SULPHURATUM.

℞ Sulphuris partes duas,
Adipis suillæ purificatæ partes octo.

Commisce lege artis, ut fiat unguentum.

UNGUENTUM SULPHURATUM ANGLICANUM.

℞ Sulphuris citrini pulverati selibram,
Radicis Veratri albi pulverati uncias duas,
Nitratis Potassæ drachmam,
Saponis picei selibram,
Adipis suillæ purificatæ sesquilibram.

Commisce in unguentum.

U. In psoræ curatione est maximæ efficaciæ. Libra hujusce unguenti quatuor frictionibus inservit; ideoque noctu dormituro unciæ tres quartæ corporis parti, prius in balneo saponato loti, assiduo sunt infricandæ; dein vero eæ partes per aliquot noctes tangendæ, quæ plus fœdatæ sunt. Quamvis morbus externo usu una portione profligari possit, nihilo tamen minus tutius exhibetur cum pulvere sulphuris composito interne sumendo. Propulsata psora iterum balneum saponatum, ad lavandum corpus, adhibeatur.

VINUM IPECACUANHÆ.

℞ Radicis Ipecacuanhæ contusæ unciam,
Vini Xeres libram.

Macera per septimanam, tum expressum per chartam cola.

D. Semuncia scopo vomitum ciendi datur. A guttis vero quindecim ad triginta porrectum, diaphoresin promovet, vices ipecacuanhæ, refracta dosi propinatæ,

supplens. Si singulis dosibus extracti hyoscyami, vel conii maculati granum, vel opii tantundem additur, vis ejusdem medica in catarrho intenditur; asthma etiam spasmodicum, declinante dysenteria, diarrhœa, eo curatur. In pertussi guttæ ejusdem quinque, tincturæ opii acetatæ gutta una, et carbonatis sodæ grana duo, quarta quaque hora (præmissis emeticis) dantur infantibus.

VINUM SEMINUM COLCHICI.

℞. Seminum Colchici siccatorum et contusorum uncias quatuor,
Vini Xeres uncias triginta duas.

Macera per dies quatuordecim, et cola per chartam.

D. Guttæ triginta ad drachmam et amplius.

VINUM ALOËS ALCALINUM.

℞. Myrrhæ drachmas sex,
Carbonatis Sodæ uncias tres,
Sesquicarbonatis Ammoniæ drachmas quatuor cum dimidia,
Extracti Aloës aquosi drachmas sex,
Vini Hispanici albi (Xeres) libras duas.

Macera per dies septem, et cola.

D. Uncia dimidia ad integram, bis datur in die, ex solutione extracti glycyrrhizæ.

VINUM STIBIATUM.

Vinum Antimonii Huxhami.

℞. Tartratis Stibii et Potassæ grana viginti quatuor,
Vini albi dulcis libram.

Misce et solvito. In singulis unciis vini hujusce continentur grana duo tartratis stibii et potassæ.

U. In morbis ex transpiratione suppressa valet. Laudatur etiam a quibusdam in pertussi, præsertim ad-

dito althææ syrupo dulcificatum, vel syrupo Diacodii, atque omni quadrante horæ cochleari parvo, donec vomitus fuerit insecutus, porrectum. Doses pro ratione ætatis adcommodandæ. Adultis semidrachma (ad integram) bis, terve, in die exhibetur; si vero vomitionem movere libet, semuncia (ad unciam) datur. Juvat etiam singulis dosibus minoribus addere granum, aut sesquigranum extracti aconiti, aut conii maculati, aut hyoscyami, et tum adversus catarrhum, myodyniam rheumaticam, pertussim, aliaque similia mala efficacius aget.

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt; sed non peregerunt; multum restat operis multumque restabit, nec ulli nato post sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Seneca.

INDEX.

A.

Pag.

Absinthium vulgare 43
Acacia Catechu 3
» Seyal 5
» tortilis 5
» vera 5
Acetas Ammoniæ liquidus . . . 675
» Cupri 522
» Plumbi 598
» Potassæ 614
» » liquidus 615
» Strychniæ 355
Acetum camphoratum 676
» Colchici 676
» commune 377
» crudum 377
» destillatum 380
» radicale 381
» Saturni 599
» Scilliticum 676
» Vini 378
Achillea Millefolium 7
Acidum Aceticum 381
» Arsenicosum 463
» Borussicum med. . . . 393
» Carbonicum 384
» Hydrochloricum concent. 389
» » dilut. . 391
» » offic. . 390
» Hydrocyanicum med. . . 393
» Hydrothionicum liquid. . 662
» Hydrosulphuricum . . . 662
» Hyponitric. chlorat. . . 405
» Metaphosphoricum . 406; 408

Pag.

Acidum Muriaticum 388
» » fumans . . . 389
» Nitrico-muriaticum . . . 405
» Nitrico-nitrosum 404
» Nitricum 399
» » concent. . . 400
» » dilut. 402
» » fumans . . . 404
» » offic. 401
» Oxymuriaticum 509
» Phosphoricum . . . 406; 408
» » concentr. liq. 407
» » concretum . 406
» » dilut. . . . 407
» » offic. . . . 407
» » vitrific. . . 407
» Pyrolignosum 377
» Pyrophosphoricum . . 408
» Succinicum 654
» Sulphuricum 410
» » Anglic. . 411
» » concent. . 412
» » dilut. . . 414
» » fumans . . 411
» » offic. . . 412
» » rectif. . . 412
» Tartaricum 415
Aconitum paniculatum 9
Acorus Calamus 10
Adeps ovilla 281
» Suilla purif. 677
Aër fixus 384
Ærugo 522
Æther 417
» Aceticus 423

Pag.
Æther Chloricus alcoholis. . . . 422
» Nitricus » . . . 422
» Phosphoratus 592
» Sulphuricus 418
» » alcoholis. . . 422
Æthiops antimonialis 568
» Martialis 528
» mercurialis 567
» mineralis 567
Affusio frigida 449
Agaricus Chirurgorum 65
Alcali volatile 436
Alcohol 424
» absolutum 430
» purissimum 430
Allium Cepa 12
» sativum 14
Aloë 16
» purificata 712
Althæa officinalis 19
Alumen 433
» ustum 436
Alumina 433
Ammomum Zingiber 372
Ammonia liquida 436
» » concent. . . . 438
» » offic. 438
Ammoniacum 20
Amygdalæ 23
Amylum 25
Amyris Kataf 58
Anethum Fœniculum 164
Anisum vulgare 292
Angelica Archangelica 28
Anthemis nobilis 30
Antimonium 638
» crud. 640
» » præpar. . . . 641
» oxydatum 639
Apis mellifica 31
Aqua 446
» Acidi Carbonici 385
» Aëris fixi 385
» Ammoniæ 436
» Amygdal. amar. 677
» Anisi vulg. 679
» Bicarbonat. Sodæ 678
» Calcariæ 492
» Cari Carvi 679; 680
» Chamomillæ vulg. 679
» Chlori 509
» communis 447
» Creosoti 678
» destillata 451
Aqua ferrosa fact. 678
» fluviatilis 448
» Fœniculi 679; 680
» fontana 447
» fortis 402
» Goulardi 772
» Hydrosulphurata 662
» Lauri Cassiæ 679
» Lauri Cinnam. 679
» Lauro-Cerasi 678
» Magnesiæ 582
» Medicata Hussonii . . 369; 789
» Melissæ 679
» Menthæ crisp. . . . 679; 680
» » piper. . . . 679; 680
» » puleg. 679
» Mercurialis 547
» Myrti Pimentæ 679
» nivalis 447
» ophthalmica cær. 771
» Oxymuriatica 509
» Petroselini 679
» phagedænica 680
» Picis 680
» pluvialis 447
» pura 451
» putealis 448
» regia 405
» Rosæ Centif. 679
» Saturnina 599; 772
» vegeto-miner. 772
» vulneraria 713
Aquæ minerales 452
Arbutus Uva Ursi 34
Arcanum duplicatum 613
Arctostaphylos 34
Archangelica officin. 28
Arctium Bardana 36
» Lappa 36
Argentum 456
Argentum vivum 540
Argilla 433
Aristolochia Serpentaria 37
Armoracia 112
Arnica montana 39
Arrow-root 26
Arsenicum 462
» album 463
Artemisia Absinthium 43
» Contra 45
» Santonica 45
» vulgaris 47
Aspidium Filix Mas 162
Assa fœtida 157

Pag.
Atropa Belladonna 50
Aurum 480
» muriatic. natron. 480
» purum 480
Avena sativa 57
Axungia porcina 356

B.

Baccæ coccognidii 146
» Copaiferæ factitiæ 680
Balnea c. Bichl. Hydrarg. . . . 564
Balneum calidissimum 451
» frigidum 449
» Maris 681
» tepidum 450
» vaporis 451
Balotta lanata 238
Balsamodendron Myrrha 58
Balsamum Arcæi 800
» Copaivæ 128
» Peruvianum 271
» Pineo-laricinum . . . 295
» Pini silvestris 299
» Sulphuris 658
» » terebint. . . 682
» vitæ externum 769
Bardana 36
Baryta 482
Belladonna 50
Benzoë 356
Betula alba 62
Biboras Sodæ 636
Bicarbonas Potassæ 607
» Sodæ 627
Bichloridum Hydrargyri 559
Bicyanidum » 570
Bidens tripartita 64
Bijodidum Hydrargyri 577
Bilis taurina 66
» » spissata 682
Binoxydum Hydrargyri 549
» Mangani 585
Bismuthum purificatum 486
Bisulphuretum Hydrargyri . . . 568
Bitartras Potassæ 617
Boletus igniarius 65
Borax 636
» usta 637
Borussias Hydrargyri 570
» Potassæ ferrosus . . . 537
» » purus 398
Pag.
Bos taurus 66
Botryos Mexicana 89
Brassica Napus 68
Bromidum Potassii 490
Bromum 489
Butyrum Antimonii 639

C.

Cæruleum Berolinense 538
» minerale 539
» Parisiense 539
Calamus aromaticus 10
Calcaria 491
» caustica 492
» chlorata 498
Calomel 553
» vapore paratum 554
Calx 491
» extincta 493
» usta s. viva 492
Calyces Cassiæ 233
Cambogia 349
Camphora 226
Cannabis sativa 68
Cantharis vesicatoria 243
Capita Papaveris 282
Capsicum annuum 69
Caput mortuum vitrioli 534
Carbo animalis 504
» ligneus 501
» Spongiæ 781
» vegetabilis 501
Carbonas Barytæ 485
» Calcariæ 495
» » præp. 495
» Ferri c. Hydrate sesquiox. 530
» » mellitus 683
» Magnesiæ 580
» Plumbi 595
» Potassæ 605
» » impur. 603
» » liquidus 607
» » venal. 603
» Sodæ crystal. 626
» » imp. 625
Cardamomum minus 72
Carduus benedictus 81
» stellatus 83
Carex arenaria 74
Caricæ pingues 161
Carota 150

Pag.
Carum Carvi 75
Caryophyllus aromaticus 76
Cascarilla 110
Cassava 26
Cassia acutifolia 340
» lanceolata 340
» obovata 340
Castoreum 79
Cataplasma acetatum 684
» aluminatum. 684
» Belladonnæ 685
» Carbonis lignei . . . 685
» Carotæ 685
» » comp. . . . 686
» Chloridi Sodii . . . 686
» emolliens 686
» fermenti 686
» maturans 687
» narcoticum 687
» saturninum 684
» Sinapis 687
Cayenne-pepper 71
Centaurea benedicta 81
» Calcitrapa 83
Centaurium minus 90
Cephaëlis Ipecacuanha 200
Cera 31
Ceratum Acetat. Plumbi 688
» e Lapide Calamin. . . . 689
» Sabinæ 688
» Saturni 688
» simplex 688
» Subsilicatis Zinci . . . 689
Cerevisia antiscorbutica 689
Ceromel 690
Cerussa 595
Cervus Elaphus 84
Cetraria Islandica 85
Chamæleon minerale 465
Chamomilla Romana 30
» vulgaris 253
Chelidonium majus 87
Chenopodium Ambrosioides . . . 89
Chinia 504
Chironia Centaurium 90
Chloras Potassæ 611
Chloretum Calcariæ 498
Chloridum Barii 483
» Calcii 496
» Ferri 531
» » c.Hydrochl.Ammon.533
» Hydrargyri 553
» Magnii 681
» Sodii 630
Chloridum Stibii liquid. 639
Chlorum 508
Cichorium Intybus 93
Cicuta terrestris 120
Cinchona 94
Cineres clavellati 603
Cininum 46
Cinis Antimonii 642
» Plumbi 593
Cinnabaris factitia 568
Cinnamomum 234
Citras Ammoniæ liquidus 690
Citrus Aurantium 105
» Limonum 107
» medica 107
» vulgaris 105
Clavelli Canellæ 233
» Cinnamomi 233
Clavus secalinus 338
Clutia Elutheria 109
Clyster Aloës 690
» Amyli 691
» Assæ fœtidæ comp. . . . 691
» catharticus 691
» communis 692
» nutriens 692
» Tabaci 692
» Terebinthinæ com. . . . 693
Cocculus palmatus 117
Cochlearia armoracia 112
» officinalis 113
Colchicum autumnale 114
Colcothar 528
Collyrium Acetatis Ammoniæ . . 693
» » Cupri 696
» » Plumbi . . . 693
» » Zinci 694
» Aluminis 694
» Bichlor. Hydrarg. opiat. 694
» Lini opiatum 695
» narcoticum 695
» Nitratis Argenti . . . 695
» Strychniæ 696
» Sulph. Cupri 696
» » » alum. comp. 696
» » Zinci 696
Colocynthis 140
Colomba 117
Colophonium 295
Conchæ 495
Conium maculatum 120
Convolvulus Jalapa 123
» Scammonia 126
Copaifera officinalis 128

	Pag.
Cornu Cervi	84
Cortex Cascarillæ	110
» Chinæ	94
» Cinchonæ	94
» Peruvianus	94
Cremor Tartari	617
Creosotum	512
Creta alba	495
Crocus Martis adstringens . 528;	531
» » aperitivus	530
» sativus	133
Croton Tiglium	136
Crystalli Tartari	617
Cubebæ	300
Cucumis agrestis	263
» asininus	263
» Colocynthis	140
Cuprum	516
» ammoniacale	521
Cyanetum Hydrargyri	570
Cyanido-Sesquicyanidum Ferri	538
Cyanidum Ferri et Potassii	537
» Potassii	398
Cymæ Abietis	293
Cytisus Scoparius	142

D.

Daphne Mezereum	144
Datura Stramonium	147
Daucus Carota	150
Decoctum album Sydenhami	697
» Althææ	697
» » comp.	697
» Arctii Lappæ	697
» Cetrariæ Islandicæ	697
» Cinchonæ acid.	698
» Corticis Quercus	697
» Furfuris	698
» Gallarum Quercus	697
» Hordei	699
» » nitratum	699
» Juglandis regiæ	697
» Malti	697
» Mezerei	699
» Orchidis	699
» Quercus	697
» Salicis albæ comp.	699
» Spec. Guajaci	700
» » » c. Mezereo	700
» Ulmi campestris	700
» » comp.	701
Diachylon simplex	706
Digitalis purpurea	151
Disacetas Cupri	522
» Plumbi liquidus	599
Disulphas Chiniæ	505
Dorema Ammoniacum	20
Dulcamara	346

E.

Eau de Javelle	611
Elæosaccharum Anisi	701
» Cari Carvi	701
» Chamomillæ	701
» Citri	701
» Fœniculi vulg.	701
» Menthæ crispæ	701
» » piperitæ	701
Elateria	264
Elaterium	263
Electuarium Catechu opiat.	701
» Sennæ	702
Elixir paregoricum	792
» Vitrioli Mynsichti	786
Emplastrum adhæsivum	706
» ad strumam	702
» album coctum	703
» Assæ fœtidæ	702
» Cantharidum	705
» Carbonatis Plumbi	703
» Ceræ	703
» Cerussæ	703
» Conii	703
» » et Hydrargyri	703
» Galbani stibiatum	703
» Gummeo-resinosum	704
» gummosum	704
» Hydrargyri	704
» » narc.	705
» Lithargyri	706
» Lyttæ vesicatoriæ	705
» Meliloti	706
» Picis	706
» Plumbi	706
» » saponat.	707
» Stypticum	706
Emulsio Amygdalarum	707
» Cannabis	707
» Camphoræ	707
» Lini	707
» Papaveris	707
» Phosphorata	707

Pag.
Emulsio spuria 6
Erythræa Centaurium 90
Essentia Neroli 106
Eugenia Caryophyllata 76
Extractum Absinthiæ 709
» Achilleæ Millefolii . . 708
» Aconiti paniculati . . 710
» Acori Calami 710
» Aloës aquosum . . . 712
» amarum 713
» Arnicæ montanæ . . 710
» Artemisiæ Absinthii . 709
» Atropæ Belladonnæ . 711
» Calami 710
» Cardui benedicti . . . 709
» Cascarillæ 710
» Catechu 3
» Chamomillæ vulg. . . 709
» Chelidonii majoris . . 710
» Cinchonæ 710
» Clutiæ Elutheriæ . . 710
» Cocculi palmati . . . 710
» Colocynthidis 710
» » comp. . 713
» Colombo 710
» Conii maculati . . . 711
» Cucumer. Colocynthid. 710
» Daturæ Stramonii . . 711
» Digitalis purpureæ . . 711
» Dulcamaræ 711
» Elaterii 263
» Filicis Maris æth. . . 712
» Fumariæ offic. . . . 709
» Gentianæ luteæ . . . 709
» Glycyrrhizæ 709
» Graminis 709
» » liquidum . . 362
» Gratiolæ offic. . . . 710
» Hæmatox. Campechiani 709
» Helenii 710
» Hellebori nigri . . . 710
» Humuli Lupuli . . . 710
» Hyoscyami nigri . . . 711
» Inulæ Helenii 710
» Krameriæ 709
» Lactucæ sativæ . . . 712
» » virosæ . 225; 711
» Leontodontis Taraxaci 709
» Ligustici Levistici . . 710
» Liquiritiæ 709
» Marrubii vulgaris . . 709
» Matricariæ Chamomillæ 709
» Menyanthidis trifoliatæ 709
» Millefolii 708

Pag.
Extractum Myrrhæ 712
» Nucis vomicæ 711
» Pini silvestris 710
» Polygalæ Senegæ . . 710
» Quassiæ 709
» Rhei aquos. 709
» » compos. 713
» » spirit. 710
» Rhois Toxicodendri . 711
» Salicis albæ 710
» Saponariæ offic. . . . 710
» Saturni 599
» sem. Santonici . . . 712
» Senegæ 710
» Solani Dulcamaræ . . 711
» Stramonii 711
» Strychni Nucis vomicæ 711
» Tanaceti vulg. aquos. 710
» » » spirit. 710
» Taraxaci 709
» Toxicodendri 711
» Uvæ Ursi 710
» Valerianæ 710
» Violæ tricoloris . . . 710

F.

Fæcula Elaterii 263
Far avenaceum 58
Fel Tauri inspissatum 682
Ferrum 523
» jodatum 535
» limatum 527
» oxydatum fuscum . . . 530
» pulveratum 527
» sulphuratum 535
Ferula Assa fœtida 157
Ficus Carica 160
Filix Mas 162
Flavedo Aurant. 106
» Citri 107
Flores Antimonii argentei . . . 638
» Naphæ 105
» Rosarum incarnat. . . . 323
» » pallid. 323
» » rubr. 324
» Salis ammon. mart. . . . 533
» Sulphuris 658
» » loti 659
» Zinci 667
Fluxus niger 462
Fœniculum vulgare 164

Pag.
Fomentum acidum 713
» aluminatum 714
» discutiens 714
» terebinthinatum comp. 714
Formica rufa 166
Fuligo purificata 502
Fumaria officinalis 167

G.

Galbanum officinale 168
Gallæ Quernæ 313
» turcicæ 313
Gargarisma acidum 714
» aluminatum 715
» Ammoniæ nitratum . 715
» Biboratis Sodæ . . . 715
» Bichloridi Hydrargyri 716
» Capsici annui 716
» commune 716
» Mercurii subl. corros. 716
Gas acidum Hydrosulphuricum . . 661
» » Hydrothionicum . . . 661
» carbonicum 384
» oxymuriaticum 508
Gelatina Cetrariæ 716
» Cornu Cervi 717
» Ichthyocollæ 717
» Lichenis Islandici . . . 716
Gentiana Centaurium 90
» lutea 170
Geum urbanum 173
Globuli Tartari ferrosi 539
Glycyrrhiza glabra 174
» glandulifera 174
Gramen rubrum 74
Grana Molucco 137
» Sago 26
Gratiola officinalis 176
Guajacum officinale 178
Gummi Acaciarum 5
» Ammoniacum 20
» arabicum 5
» Gambiense 211
» Guttæ 349
» Mimosæ 5
» Senegal 5
Guttæ Harlemenses 682

H.

Hæmatoxylon Campechianum . . 183
Haustus Acid. Carbonic. evolvens 717

Pag.
Haustus anodyno - diaphoreticus . 717
» Camphoræ fœtidus . . . 718
» catharticus 718
» Crotonis Tiglii 718
» diureticus 718
« emeticus excitans 718
» Gentianæ c. Senna . . . 719
» » » Soda . . . 719
» Guajaci 719
» Moschi 720
» narcoticus 720
» Opii camphor. 721
» sedans 721
» Subnitratis Bismuthi . . 721
» Sulphat. Chiniæ 721
» Sulphat. Zinci emeticus . 722
Hebradendron Cambogioides . . 349
Helleborus albus 368
» niger 184
Helonias Sabadilla 370
Hepar Sulphuris calcareum . . . 665
» » kalinum 664
Hirudo medicinalis 186
Hordeum distichon 189
» præpar. 189
Humulus Lupulus 191
Hydrargyrum 540
» c. Sulphure 567
» muriaticum mite . . 553
» » corros. . 559
» purificatum 546
Hydras Acidi nitrici 400
» Calcariæ 492
» Potassæ fusus 602
» Sesquioxydi Ferri 529
Hydriodas Ferri 535
» Plumbi 578
» Potassæ 575
Hydrobromas Potassæ 490
Hydrochloras Ammoniæ 443
» » c.Binox.Hydr. 566
» » ferrosus . . . 533
» Ferri 531
» Morphiæ 587
» Sodæ 630
Hydrocyanas Potassæ 398
Hydrogenium sulphuratum . . . 661
Hydrosulphas Ammoniæ liquidus 663
» Potassæ » . 663
Hydrosulphuretum Ammoniæ liq. . 663
Hyoscyamus niger 192
Hyperoxymurias Potassæ 611
Hypochloris Calcariæ 498
» Potassæ 611

Pag.
Hypochloris Sodæ 633
» » liquidus 633

I.

Indicum 196
Indigo 196
Infusum Absinthii 722
» Acori Calami 722
» Angelicæ 722
» Arnicæ 722
» Calami 722
» Cascarillæ 722
» Chamomillæ 722
» Cochleariæ armorac. . . 722
» Digitalis 723
» Gentianæ comp. 723
» Humuli Lupuli 722
» Juniperi 722
» Lini 723
» Menthæ crispæ 722
» Menyanthidis trifoliatæ . 722
» Phellandrii aquatici . . 722
» Polygalæ Senegæ . . . 722
» Pruni Padi 724
» Quassiæ 722
» Rhei boraxatum 724
» Rhododendri 725
» Salviæ 722
» Sambuci 722
» Sarsaparillæ 725
» Scoparii comp. 725
» Sennæ salinum 726
» » tartarisatum . . 726
» Serpentariæ 722
» Spec. amararum 722
» » antiscorbuticarum 722
» » aromaticarum . . 722
» » emollientium . . . 722
» Valerianæ 722
Inula Helenium 199
Ipecacuanha 200
Ipomœa Jalapa 123
» macrorrhiza 123

J.

Jacea 371
Jalapa 123
Jodidum Amyli 575
» Ferri 535

Pag.
Jodidum Hydrargyri 577
» Plumbi 578
» Potassii 575
Jodum 571
Juglans regia 203
Juniperus communis 206
» Sabina 208

K.

Kali 600
» carbonicum 605
» ferroso-hydrocyanicum . . . 537
» hydriodicum 575
» nitricum 608
» oxychlorinicum 611
Kermes minerale 645
Kino 211
Krameria triandra 213

L.

Lac 215
» Calcis 492
» Sulphuris 660
Lactuca sativa 220
» silvestris 224
» virosa 224
Lactucarium 221
» genuinum 221
» Parisiense 222
» purissimum 221
Lapides Cancrorum 495
Lapis calaminaris 670
» causticus 602
» divinus 783
» infernalis 457
» spurius 585
Larix Europæa 294
Laurus Camphora 226
» Cassia 233
» Cinnamomum 234
» nobilis 235
Lavandula spica 236
Leontodon Taraxacum 237
Leonurus lanatus 238
Lepidium ruderale 239
Lichen Islandicus 85
» parietinus 289
Lignum Campechianum 183

Pag.
Lignum Indicum 178
» sanctum 178
Limatura Martis 527
» » præpar. 527
Linimentum acid. terebinth. . . . 727
» Ammoniæ 727
» » camphor. . 727
» calcareum 727
» Hydrargyri comp. . . 728
» Saponis 728
» » rubef. . . . 728
» terebinthinæ sapon. . 729
» Vinariense 728
» volatile 727
» » camph. . . . 727
Linteum adhæsivum 729
Linum usitatiss. 240
Liquor anod. miner. 422
» » veget. 424
» Bellostii 551
» Cor. Cervi succin. . . . 656
» decol. Labarraque 633
» Kali carbonici 607
» » caustici 600
» Natri caustici 625
» probat. Hahnemanni . . . 595
» Terræ fol. Tartari 615
» van Swieteni 771
Lithargyrum 595
Lixivium saponariorum 625
Lycopodium clavatum 242
Lytta vesicatoria 243

M.

Macis 270
Magisterium Bismuthi 486
Magnesia 579
» alba 580
» calcinata 579
» nigra 585
» usta 579
» vitriariorum 585
Magnesium 584
Mairania Uva Ursi 34
Maltum hordeaceum 189
Malum Aurantiorum 105
Malva rotundifolia 250
» silvestris 249
» vulgaris 250
Mandiocca 26
Manganas Potassæ impurus . . . 465
Pag.
Manganesium 584
Manna 250
Marcasita 486
Marmor album 495
Marrubium album 252
» vulgare 252
Massicot 593
Matricaria Chamomilla 253
Mel 31
» despumatum 729
» Oxycocci 729
» Rosarum 729
Melaleuca Cajuputi 255
» Leucadendron 255
» minor 255
Melilotus officinalis 257
Melissa citrata 257
» officinalis 257
Mellagines 710
Mellago Graminis 362
Mentha crispa 258
» piperita 259
» Pulegium 260
» viridis 258
Menyanthes trifoliata 261
Mercurius 540
» gummosus 7
» præcipitatus albus . . 566
» » ruber . . 549
» solubilis 552
» sublimatus corros. . . 559
Methodus endermica 440
» Louvrier 548
» Marsh 468
» Noufer 164
Mezereum 144
Minium 593
Mistura Acetat. Ammon. stib. . . 730
» » Potassæ juniper. 730
» » » scill. . . 730
» Ammoniaci comp. . . . 730
» » nitr. 731
» Assæ fœtidæ comp. . . . 731
» Balsami Copaivæ 732
» Camphoræ 732
» Carbonatis Calc. comp. . 733
» Citratis Potass. stib. . . 733
» Digitalis purp. 734
» expectorans 734
» Ferri comp. 735
» Gentianæ sulphurica . . 735
» Griffithii 735
» Hydrochlorat.Ammon.stib. 735
» Nitratis Potassæ 736

Pag.
Mistura Nitratis Potassæ comp. . 736
» Riveri 733
» Scillæ 736
» Taraxaci 737
» » comp. 737
Momordica Elaterium 263
Morphia 586
Morphinum 586
Moschus 267
» artificialis 656
Mucilago Acaciæ veræ 737
» Sem. Lini 738
Murias Ammoniæ 443
» Barytæ 483
» Calcariæ siccus 496
» Ferri 531
» Morphiæ 587
» peroxydi Ferri 532
» Sodæ 630
Myristica Moschata 270
Myroxylon Peruiferum 271
Myrrha 59
Myrtus pimenta 273

N.

Naphta Aceti 423
Nasturtium 344
Natrum 624
» bicarbonicum 627
Nicotiana Tabacum 273
Nihilum album 666
Nitras Argenti biammoniat. . . . 465
» » crystal. 457
» » fusus 457
» Barytæ 485
» Binox. Hydrarg. liq. . . . 551
» Plumbi 600
» Potassæ 608
» Sodæ 629
» Strychniæ 653
Nitrum 608
» crudum 609
» cubicum 629
» tabulatum 609
Nuclei cathartici 137
Nux moschata 270
» vomica 352

O.

Oculi Cancrorum 495
Œnanthe Phellandr. 291

Pag.
Olea Europæa 276
Oleum animale Dippelii 744
» Anisi vulgaris 739
» anthelminth. Chaberti . . 298
» Artemisiæ Absinthii . . . 739
» Cajeputi 256
» Cannabis 745
» Cari Carvi 739
» Caryophyllorum 739
» Castoreum 322
» Chamomillæ citratum . . 741
» Chamomillæ infus. 745
» Cornu Cervi 743
» Crotonis Tiglii 136
» Filicis Maris 712
» Fœniculi vulg. 740
» Hyoscyami inf. 745
» Juniperi communis . . 740
» » Sabinæ 740
» Laurinum 235
» Lavandulæ Spicæ 741
» Lini 746
» Martis 532
» Matric. Chamomill. citr. . 741
» Menthæ crispæ 741
» » piperitæ 742
» Neroli 106
» Nucistæ moschatæ 270
» olivarum 276; 746
» Origani vulg. 742
» Papaveris 746
» Picis 295
» Pineo-laricinum 295
» Pini empyreumatic. . . . 295
» pyro-animale 743
» » purif. . . . 744
» pyro-animale fœtid. . . . 744
» Ricini 322
» Rorismarini 742
» Succini empyreum. . . . 655
» » purificat. 655
» Tanaceti vulg. 742
» Tartari p. deliquium . . . 607
» Terebinthinæ 295
» » sulph. . . . 682
» Thymi Serpilli 743
» Tiglii 136
» Valerianæ offic. 743
» Vitrioli 410
Olibanum 278
Oliva 276
Opium 282
Orchis Mascula 278
» Morio 278

Pag.
Origanum vulg. 279
Oryza sativa 280
Ovis Aries 281
Ovum 290
Oxycarbonas Zinci 669
Oxycoccus Europæus 364
Oxydo-Sesquioxydum Ferri . . . 528
Oxydum Hydrarg. rubrum . . . 549
» Mangani nigrum . . . 585
» Plumbi semivitreum . . 595
» Zinci 667
Oxymel Æruginis 747
» Colchici. 746
» cupreum 747
» Scillæ 746
» simplex 747
Oxymurias Calcis 498
» Hydrargyri 559
» Potassæ 611
» Sodæ 633
Oxysulphuretum Stibii 645

P.

Papaver somniferum 281
Parmelia parietina 289
Pastilli d'Arcet 629
Phasianus Gallus 290
Phellandrium aquaticum 291
Phosphorus 588
Pilulæ Aloës 747
» » et Cambogiæ . . . 748
» Asiaticæ 473
» Bichloridi Hydrargyri . . 748
» catharticæ 748
» Chelidonii comp. 749
» Chlorid. Hydrarg. stib. . . 749
» Colocynthidis ferrosæ . . 749
» diuretico-catharticæ . . . 750
» Elaterii 751
» Guajaci comp. 751
» Gummi-resin. fœtid. . . . 751
» Hydrargyri 752
» » c. Opio . . . 752
» » » Sapone . . 752
» Mercur. solub. Hahnemanni 755
» narcoticæ 753
» Nitratis Argenti fusi . . . 753
» piceæ 753
» Rhei comp. 754
» Scillæ 754
» » comp. 754

Pag.
Pilulæ Scillæ fœtid. 755
» Stramonii comp. 755
» Subnitr. Hydrarg. ammon. 755
» Sulphat. Cupr. biammon. . 756
» Tiglii 756
Pimpinella Anisum 292
Pinus Abies 293
» Laryx 294
» silvestris 299
Piper album 303
» caudatum 300
» Cubeba 300
» Indicum et Hispanicum . . 69
» Jamaicense 273
» longum 302
» nigrum 303
» Turcicum 69
Piperinum 303
Pix abiegna 294
» alba 294
» Burgundica 294
» liquida 295
» navalis 296
» solida 296
» sutoria 296
Plumbum 592
Polychloridum Auri et Sodii . . 480
Polygala amara 304
» Senega 305
Polypodium Filix Mas 162
Polystichum » » 162
Polysulphuretum Potassii 664
» » Stibii 643
Pompholyx 666
Potassa 600
» fusa 602
» liquida 600
Potus Acidi Hydrochlorici . . . 756
» Acidus vegetabilis 756
Prunus domestica 307
» Lauro-Cerasus 308
» Padus 308
Pulpa Colocynthidum 141
» Prunorum 757
Pulvis ad Erysipelas 757
» Algarotti 640
» alterans Plumeri 645
» Aluminis comp. 758
» antihydropicus 758
» antiphlogisticus 758
» Aq. miner. Carlsb. æmul. 759
» » » Cheltenh. » . 759
» aromaticus 760
» Bitart. Potas. comp. . . . 760

Pag.
Pulvis Bitart. Potas. et Digit. . . 760
» Doveri 762
» Ducis Portlandiæ 92
» Elaterii fæculæ 761
» emeticus 763
» Gas Carbonicum evolvens 761
» Guajaci opiatus 762
» » stibiatus 762
» Ipecacuanhæ opiatus . . 762
» » stibiatus . . 763
» Jalapæ comp. 763
» » et Chlorid. Hydrarg. 763
» pro cataplasm. emoll. . . 764
» puerorum Hufelandi . . . 582
» Rhei comp. 764
» » et Chlorid. Hydrarg. 764
» Sabinæ comp. 765
» Sedlitzensis 765
» Sennæ comp. 765
» Spongiæ » 765
» Sulphuris » 766
» Tanaceti » 766
Punica Granatum 310
Putamina Nuc. Jugland. 204
Pyrophosphas Sodæ anhydrus . . 636
Pyrus Malus 311

Q.

Quassia excelsa 312
Quercus infectoria 313
» robur 315

R.

Radix Caryophyllatæ 173
» Graminis 361
» Liquiritiæ 175
» Rhataniæ 213
» Salab 279
Raphanus rusticanus 112
Rasura Cornu Cervi 84
Regulus Antimonii 638
Resina Abiegna 294
» Balsami Pini 295
» Benzoës 355
» Guajaci 178
» Jalapæ 766
» Pini empyreumat. . . . 296
» » flava 295
Rhatania 213

Pag.
Rheum 316
Rhododendron Chrysanthum . . 319
Rhus Toxicodendron 320
Ricinus communis 321
Roob Juniperi 767
» Sambuci 767
Rosa centifolia 323
» Gallica 323
Rosmarinus officinalis 324
Rubus Chamæmorus 325

S.

Sabina 208
Saccharum album 327
» candum 327
» Lactis . . . 66; 216
» officinarum 327
» Saturni 598
Sal Anglicanum 582
» amarum 582
» Ammoniacum 443
» Astrachanense 634
» catharticum 582
» cornu Cervi 744
» culinare 630
» Gemmæ 630
» mirabile Glauberi 634
» » perlatum 635
» polychrestum Seignette . . 619
» rubrum Gmelini 537
» Sedlitzense 582
» Sibericum 582
» Succini volatile 654
Salep 279
Salt of lemons 109
Salix 330
Salvia officinalis 331
Sambucus nigra 332
Santoninum 46
Sapo 621
» Alicantinus 622
» domesticus 623
» Guajacinus 767
» Hispanicus 622
» Jalapinus 767
» medicatus 621
» mollis 621
» niger 621
» oleaceus 621
» piceus 768
» pineo-oleosus 769

	Pag.
Sapo sebaceus	623
» stibiatus	768
» terebinthinatus	769
» Venetus	622
» viridis	621
» vitriariorum	585
» Vologdensis	623
Saponaria officinalis	333
Sarsaparilla	345
Scammonium	126
Scilla maritima	335
Secale cereale	337
» corniculatum	338
» cornutum	338
Semen Cinæ s. Santonici	45
Senega	305
Senna	340
Serpentaria Virginiana	37
Serpyllum	358
Serum Lactis	769
» » aluminosum	435
Sesquicarbonas Ammoniæ	441
Sesquichloridum Ferri	532
» » » liquid.	532
Sesquicyanidum » c. Cyan. Potas.	537
Sesquioxydum Ferri	528
» » Stibii	639
Sesquisulphuretum Stibii	640
» » » lævig.	641
Sevum bovillum	66; 677
» ovillum	281; 677
Simaruba excelsa	312
Sinapis nigra	342
Sisymbrium Nasturtium	344
Smilax Sarsaparilla	345
Soda	624
» cruda	625
» liquida	625
» Water	678
Solanum Dulcamara	346
Solutio Acetat. Cupri ammon.	770
» » Strychniæ	770
» arsenicalis Fowleri	772
» Bichlor. Hydr. ammon.	771
» » » nitr.	771
» Biphosph. Calcar.	589
» Chlor. Calc. et Acet. Cup. Am.	771
» Disacetat. Plumbi	772
» Disarsenitis Potassæ	772
» Hydrochlor. Morphiæ	773
» Hydrosulphureti Potassii	663
» Jodi	773
» Jodidi Ferri	536
» Mercurii subl. corros.	771
Solutio Nitratis Argenti	773
» » » opiata	774
» Phosphori ætherea	774
» Potassæ camphor.	775
» Saponis spirit.	775
» Sulphatis Chiniæ	775
» Tartratis Stibii et Potas.	775
Spartium Scoparium	142
Spathum calcareum	495
» ponderosum	482
Species Althææ comp.	775
» amaræ	776
» antiscorbuticæ	776
» aromaticæ	776
» Chamomillæ comp.	777
» emollientes	777
» Guajaci comp.	777
» narcoticæ	777
» pectorales	778
» pro suffitu	778
» resolventes	778
» Violæ tricoloris	779
Spiritus Acetico-æthereus	424
» Chlorico »	422
» cornu Cervi	744
» Formicarum	166
» Frumenti amarus	779
» » antiscorbut.	780
» » dilutior	429
» » purific.	429
» » rectific.	429
» Juniperi comp.	780
» Mindereri	675
» Muriatico-æthereus	422
» Nitri dulcis	422
» Nitroso-æthereus	422
» Salis Ammoniaci caust.	436
» » » vinos.	780
» » dulcis	422
» Succini volatilis	655
» Sulphurico-æthereus	422
» Vini	428
» » ammoniatus	780
» » camphoratus	781
» » rectificatus	428
» vitrioli	414
Spongia cerata	781
» officinalis	348
» tosta	781
Stalagmites Cambogioides	349
Stibium	638
Stramonium	147
Strychnia	651
Strychninum	651

Pag.
Strychnos Nux vomica 352
Styrax Benzoë 355
Subcarbonas Ammoniæ 441
» » Magnesiæ 580
» » Potassæ depur. . . 605
» » Sodæ » . . 626
Submurias Hydrargyri 553
Subnitras Bismuthi 486
» Hydrarg. ammon. . . 552
Subphosphas Sodæ 635
Subsilicas Zinci nat. 670
Succinas ammoniæ liq. 656
Succinum 653
Succus Citri 107
» Cochleariæ comp. . . . 782
» Liquiritiæ inspis. . . . 709
» Oxycocci nitratus . . . 782
» spis. Lactucæ sativæ . . 221
» Vaccinii Oxycocci . . . 364
Suffumigatio mercurialis . . . 569
Sulphas Chinini 505
» Cupri aluminat. comp. . 783
» » biammoniat. . . 521
» » crystallis. . . . 519
» Ferri » 533
» Magnesiæ 582
» Potassæ 613
» Sodæ crystallis. . . . 634
» » siccus 635
» Zinci calcinatus . . . 671
» » crystallis. . . . 670
Sulphur 657
» auratum Antimonii . . 643
» caballinum 658
» citrinum 658
» præcipitatum 660
» purificatum 659
» sublim. et lotum . . . 659
Sulphuretum Calcii 665
» Ferri 535
» Hydrarg. nigr. . . 567
» » rubr. . . 568
» » stib. nigr. 568
Supersulphas Alum. et Potas. cryst. 433
» » » » exsic. 436
Sus Scrofa 356
Syrupus Citri Aurantii 783
» Diacodii 783
» Melassus 327
» simplex 783
» vegetabilis 784
» Zingiberis 784

T.

Pag.
Tabacum 273
Tanacetum vulgare 357
Tapioca 26
Tartarus ammoniatus 619
» boraxatus 620
» crudus 617
» emeticus 646
» natronatus 619
» tartarisatus 616
» vitriolatus 613
Tartras Ferri et Potassæ . . . 539
» Potassæ 616
» » et Ammon. . . 619
» » ferrosus . . . 539
» » et Sodæ . . . 619
» Stibii et Potassæ . . . 646
Terebinthina Argentoratensis . . 299
» cocta 295
» communis 299
» laricina 295
» Veneta 295
Terra foliata tartari 614
» ponderosa 482
Testæ Ostreæ edulis 495
» ovorum 495
Thridacium 222; 712
Thus 278
Thymus Serpyllum 358
Tiglii grana 137
Tinctura Acetat. Ferri ætherea . 785
» Aconiti 785
» Acori Calami 785
» aromatica 786
» » sulphurica . . 786
» Assæ fœtidæ 785
» Aurantiorum 785
» Belladonnæ 786
» Calami 785
» Cantharidum 791
» » acetica . . 786
» Capsici annui 787
» Catechu composita . . 787
» Chloridi Ferri 788
» Cinchonæ 785
» » composita . . 788
» Citri Aurantii 785
» Cocculi palmati . . . 788
» Colchici 788
» Colocynthidum 791
» Conii maculati 788
» Digitalis 785
» Ferri muriat. oxydul. . 788

Pag.
Tinctura Gentianæ composita . . 789
» Gratiolæ 789
» Guajaci 789
» » ammoniata . . 790
» Humuli Lupuli 785
» Hyoscyami 789
» Jodi 790
» » composita 790
» Kino 785
» Klaprothi 785
» Lactucæ virosæ . . . 790
» Moschi artific. 656
» Myrrhæ 785
» Nucis vomicæ 790
» Opii 791
» » acetata 791
» » ammoniata . . . 791
» » camphorata . . . 791
» Potassæ 792
» Rhei amara 792
» » Darelii 793
» » et Aloës 793
» » vinosa 793
» Scillæ 785
» Seminum Stramonii . . 789
» Sennæ composita . . . 793
» Sesquichlor. Ferri ætherea 794
» Strychniæ 794
» Thebaica 791
» Tonico-nerv. Bestuschevi 794
» Valerianæ ætherea . . 794
» » ammoniata . 794
» Whytii 788
Tormentilla erecta 359
Trifolium fibrinum 261
» palustre 261
Triticum æstivum 360
» hybernum 360
» repens 361
Trochisci Spongiæ comp. . . . 795
Turiones Pini Abietis 293
» » silvestris . . . 299
Tussilago Farfara 362
Tutia 666

U.

Ulmus campestris 363
Unguentum Acetat. Cupri comp. . 795
» Acidi Arsenicosi . . 795
» ad perniones . . . 435
» Ægyptiacum . . . 747
Pag.
Unguentum antipsoricum . . . 800
» Basilicum 800
» Bijod. Hydrarg. . . 796
» Binoxydi » . . 796
» Hydrar. cinereum 547; 797
» » citrinum . . 798
» » fortius . . . 797
» » mitius . . . 797
» Hydrochl. Am. c. Bin. Hydr. 797
» Inulæ 798
» Jodi 798
» mercuriale . . 547; 797
» Mercurii præcipit. albi 797
» » » rubri 796
» Mezerei cuprinum . . 798
» Neapolitanum . 547; 797
» Nitrat. Hydrargyri . 798
» » » mitius 799
» ophthalmicum Janini . 669
» Oxydi Arsenici albi . 795
» » Zinci . . . 799
» oxygenatum 799
» Picis nigrum . . . 800
» » sulphurat. . . 800
» Resinæ flavum . . . 800
» simplex 800
» stibiat. Jenneri . . . 800
» sulphuratum . . . 801
» » Anglic. . 801

V.

Vaccinium Oxycoccos 364
Valeriana officinalis 365
Vapores Chlori 510
Veneficium ex Acido Carbonico . 387
» » » Hydrochlorico 392
» » » Hydrocyan. . 396
» » » Nitrico . . 402
» » » Sulphurico . 413
» » Arsenico 466; 472; 476
» » Belladonna . . . 51
» » Bichlor. Hydr. 476; 561
» » Chlorid. Barii 476; 484
» » Cupro 517
» » Helleboro nigr. . 185
» » Nitrate Argenti . 459
» » Nuce vomica 352; 354
» » Opio 287
» » Plumbo 594
» » Subnitrat. Bismuthi 488
» ex Tartr. Stib. et Potas. 476; 647

Pag.
Veneficium ex Veratro albo . . 368
Veratrum album 368
» Sabadilla 370
Veronica Beccabunga 370
Vinum Aloës alcalinum . . . 802
» Colchici 115
» generosum 425
» Ipecacuanhæ 801
» semin. Colchici 802
» stibiatum 802
Viola tricolor 371
Viride Æris . . . . . , . . 522

Pag.
Vitriolum album 670
» cæruleum 519
» Martis 533
» viride 533
Ward's paste 304

Z.

Zincum 665
» purificatum 667
Zingiber officinale 372